SUMMARIUM THEOLOGIAE DOGMATICAE ET FUNDAMENTALIS

QUOD AD UTILITATEM TIRONUM LITTERARUM SANCTARUM

COMPOSUIT

ANTONIUS SCHÜTZ

SCHOL. PIAR., THEOL. ET PHIL. DOCTOR, THEOL. DOGMATICAE
IN REG. HUNG. UNIVERSITATE PÁZMÁNIANA PROFESSOR ORD.

Editio altera

BUDAPESTINI

SUMPTIBUS SOCIETATIS SANCTI STEPHANI

1935

M45.783

2024

Permissu Praepositi Prov. Hung. Scholarum Piarum (sub n. 1177/1935.).

Nihil obstat *Dr. Nicolaus Töttössy* censor dioecesanus. Nr. 2788/935.
Imprimatur. Strigonii, die 3. Septembris *Dr. Julius Machovich* vic. gen.

Ex officina consortii Stephanaei, Budapestini.

PRAEFATIO.

Editio altera huius Summarii, quum emendatior ut spero prodit, tum non modice aucta, potissimum materiis *theologiae fundamentalis*, emittitur. Cur id fecerim, est res in medio posita. Quam intime enim ista inter se coniungantur, theologia fundamentalis ac dogmatica, nemo est qui non perspiciat. Quum ergo theologia dogmatica sine fundamentali sit quasi corpus abscisis pedibus, fundamentalis vero sine dogmatica velut truncus dempto capite immo et anima, iucundum fors erit et magistris et tironibus sacrae doctrinae, si integrum corpus doctrinae theologicae theoreticae ab uno auctore conscriptum prae manibus habent. Satius quoque visum est in materiis seligendis per excessum magis quam per defectum peccare; facilius enim est non desiderata omittere, quam desiderata frustra quaerere.

Neque me latet, quam acriter his nostris diebus inter peritos disceptetur, quaenam nomine theologiae fundamentalis vel apologeticae et quo modo sint tractanda. Quamvis quid de istis sentiam, et § 20 et «actu exercito» per totum cursum satis dixerim, nec eclecticismo methodologico indulgeam, nihilominus persuasum mihi est *quaestiones methodologicas* imprimis pro arte didactica non esse tanti momenti, quanti a quibusdam habentur. Ipsi sacrae doctrinae magistri, sicut olim ita et nunc, in doctrinis ac materiis et seligendis et dirigendis vitae exigentiis ut dicitur plerumque ducuntur; et ideo meum esse duxi illud Augustini, utique aliquantum accommodatum: «Melius est reprehendant nos methodologici, quam non intellegant populi». Spero tamen fore, ut sua quisque aequitate ductus inveniat; neque vitio mihi dabitur, quod doctrinas apologeticas Ecclesiae dogmatice magis tractaverim.

Ceterum propositum mihi est, sicut erat prima editione anno 1923 emissa, breviario complecti totam doctrinam theologiae theoreticae tam scholasticam quam positivam, idque ad eruditionem dierum nostrorum. Hunc in finem placuit etiam *litterarum monumenta quaedam* addere, quae tironibus utilitati esse possunt. Plura qui desiderat, in opere meo hungarice conscripto (Dogmatika, a katolikus hitigazságok rendszere 2 vol. cuius editio altera Deo favente a. 1936 prodibit), vel in opere B. Bartmann et F. Diekamp (latino).

Si cui nimis audax consilium videatur in Summarium coartare ea quae indefessus tot saeculorum atque ingeniorum labor accumulavit, meminerit id exemplo sanciri principum theologiae, d. Augustini, Thomae, Bonaventurae, qui Enchiridium, Compendium, Breviloquium scribere non recusabant. Mihi autem haec fuit potissimum ratio, ut ad levandam *difficultatem theologiae dogmaticae* perdiscendae aliquid conferam. Pecu-

liaris enim ista difficultas ab eo potissimum repetenda est, quod hinc quidem rationes, quibus dogmata illustrantur, a mente novella tironum difficillima quaeque poscant, illinc vero dogmatum, theologumenorum, factorum cumulus, necnon definitionum, effatorum e Litteris divinis et ss. Patribus pro tot thesibus appellatorum ingens multitudo memoriae rudi onus ac munus haud mediocre imponant. *Adstricte* ergo ea erant proponenda, quibus essentia s. theologiae constituitur, sepositis vel ad veram trutinam revocatis levioribus; idque *clara dispositione* etiam typographice effingenda, ita ut singularum doctrinarum, quaestionum, argumentorum, difficultatum et vis ac ratio et nexus quum intellectui tum memoriae in promptu sit.

Ita Summarium hoc forsitan etiam iis erit alicuius utilitatis, qui uberiore s. theologiae cursu immersi aliquando ut dicitur frondem in silvis non cernunt.

Nec tirones contenti sint oportet Summarium hoc addidicisse. Immo thesaurus sapientiae et eruditionis principum theologiae nunquam non frequentandus est. Idcirco omnia consilia ad hoc retuli, ut incipientibus clavem tradam, qua *thesaurus s. Augustini et Thomae*, quos humiliter sequendos iam olim mihi proposueram, eis pateat; quare etiam uncis assidue ad eorum opera remittuntur. Erat et istud in causa, ut brevitatis sim studiosus in omnibus; namque si claves veteres in humeris tulisse legantur (Is 22), nostri in funda vestis eas gestare delectantur.

Si cui nihilominus quaedam difficiliora videntur, meminerit minime parem esse theologiae dogmaticae perdiscendae, qui aliquam philosophiae scholasticae peritiam non acquisivit, quae utique in hoc quoque Summario ponitur. Neque praetereundum est s. Thomam, qui facile princeps est non modo theologorum, sed etiam magistrorum, in Summa theologica conscribenda ad id unum tetendisse, ut ea quae ad sacram doctrinam pertinent breviter et «*dilucide*» prosequatur; subiunxit tamen: «*secundum quod materia patietur*».

Ceterum liceat mihi et nunc humiliter repetere pia s. Augustini verba: «Quibus parum vel quibus nimium est, mihi ignoscant. Quibus autem satis est, non mihi, sed Deo mecum gratias congratulantes agant. Amen».

Budapestini die 6. Augusti anno 1935.

Antonius Schütz.

Abbreviationes *operum et auctorum* patent ex § 21. *Ubi nullus ponitur auctor*, s. Thomas, *ubi etiam operis titulus omittitur*, v. g. (2II 85, 3), Summa theologica intellegatur.

Ceterae abbreviationes vel sunt consuetae, vel per se intelleguntur; *D* est Enchiridion Denzingeri, cuius numeri marginales ex recentioribus editionibus (inde a 10. ex a. 1908) sumuntur.

EPITOME.

Tractatus primus DE REVELATIONE.

Prooemium de religione.

Pagina

§ 1. Notio religionis 1
§ 2. Veritas religionis 10

Caput 1. Theoria revelationis.

§ 3. Notio revelationis 15
§ 4. Possibilitas revelationis 18
§ 5. Necessitas revelationis 21
§ 6. Criteria revelationis 25
§ 7. Miraculum 30
§ 8. Prophetia 37

Caput 2. Veritas revelationis.

§ 9. Fontes historici revelationis 41
§ 10. Testimonium Christi de seipso 47
§ 11. Testimonium miraculorum 51
§ 12. Testimonium prophetiae 61
§ 13. Testimonium spiritus et vitae 69
§ 14. Perfectio absoluta religionis evangelicae 74

Caput 3. Conservatio revelationis.

§ 15. Scriptura Sacra 78
§ 16. Traditio 87
§ 17. Propositio Ecclesiae 93

Caput 4. Susceptio revelationis.

§ 18. Fides 100
§ 19. Intellectus fidei 108
§ 20. Theologia 113
§ 21. Historia theologiae 118

Tractatus secundus DE DEO.

Caput 1. De cognitione Dei.

§ 22. Cognitio Dei naturalis 127
§ 23. Cognitio Dei supernaturalis 132

Caput 2. De Deo ente absoluto.

§ 24. Aseitas Dei 134
§ 25. Infinita Dei perfectio 138

Pagina

§ 26. Simplicitas Dei... 140
§ 27. Perfectio Dei relate ad mundum 142

Caput 3. De intellectu divino.

§ 28. Factum intellectus divini 146
§ 29. Obiecta scientiae divinae 148
§ 30. Perfectio cognitionis divinae... 151

Caput 4. De voluntate divina.

§ 31. Existentia voluntatis divinae 154
§ 32. Obiectum voluntatis divinae... 156
§ 33. Perfectiones voluntatis divinae 158

Caput 5. De Deo ss. Trinitate.

§ 34. Propositio mysterii ss. Trinitatis... 163
§ 35. Veritas mysterii ss. Trinitatis 166
§ 36. Processiones trinitariae 171
§ 37. Relationes trinitariae 175
§ 38. Operatio ss. Trinitatis ad extra 178
§ 39. Mysterium ss. Trinitatis et ratio... 180

Tractatus tertius DE CREATIONE.

Caput 1. De creatione generatim.

§ 40. Actus creationis 184
§ 41. Conservatio mundi 188
§ 42. Gubernatio mundi 191

Caput 2. Angelologia.

§ 43. Creatio angelorum 198
§ 44. Elevatio angelorum... 201
§ 45. Angeli lapsi 204

Caput 3. Anthropologia.

§ 46. Origo hominis 206
§ 47. Natura hominis 210
§ 48. Elevatio supernaturalis hominis 215
§ 49. Lapsus protoparentum 220
§ 50. Peccatum originale 223

Tractatus quartus DE REDEMPTIONE.

Caput 1. Christologia.

§ 51. Propositio mysterii incarnationis... 232
§ 52. Vera divinitas Christi 234
§ 53. Vera humanitas Christi 238
§ 54. Unio hypostatica 240
§ 55. Mysterium incarnationis et ratio... 243
§ 56. Consecutiones unionis hypostaticae 247
§ 57. Sapientia humana Christi 251
§ 58. Sanctitas Christi hominis 254

Caput 2. Soteriologia.

Pagina
§ 59. Propositio mysterii redemptionis... 258
§ 60. Veritas redemptionis 261
§ 61. Efficacia redemptionis 265
§ 62. Mysterium redemptionis et ratio... 267
§ 63. Christus propheta 272
§ 64. Christus sacerdos 273
§ 65. Christus rex 275

Caput 3. Mariologia.

§ 66. Maria virgo Dei genitrix 279
§ 67. Maria gratia plena 284
§ 68. Maria mater gloriosa 288

Tractatus quintus DE GRATIA.

Caput 1. De gratia actuali.

§ 69. Essentia gratiae actualis 292
§ 70. Necessitas gratiae 298
§ 71. Efficacia gratiae et liberum arbitrium 307
§ 72. Oeconomia gratiae 313
§ 73. Praedestinatio 318

Caput 2. De gratia sanctificanti.

§ 74. Essentia gratiae sanctificantis 322
§ 75. Praeparatio gratiae sanctificantis 331
§ 76. Proprietates gratiae sanctificantis 334
§ 77. Meritum 337

Tractatus sextus DE ECCLESIA.

Caput 1. Conditio Ecclesiae.

§ 78. Institutio Ecclesiae... 343
§ 79. Finis et munera Ecclesiae 346
§ 80. Constitutio Ecclesiae 353
§ 81. Proprietates essentiales Ecclesiae... 361

Caput 2. Veritas Ecclesiae catholicae.

§ 82. Vera Ecclesia Christi 370
§ 83. Infallibilitas Ecclesiae 378
§ 84. Sanctitas Ecclesiae catholicae 386

Tractatus septimus DE SACRAMENTIS.

Caput 1. De sacramentis in genere.

§ 85. Essentia et existentia sacramentorum 393
§ 86. Efficacia sacramentorum 397
§ 87. Auctor sacramentorum 404
§ 88. Minister et subiectum sacramentorum 408

Caput 2. De baptismo.

§ 89. Institutio et signum baptismi 412

§ 90. Effectus et necessitas baptismi 416
§ 91. Minister et subiectum baptismi 419

Caput 3. De confirmatione.

§ 92. Veritas sacramentalis confirmationis 422
§ 93. Usus sacramentalis confirmationis 425

Caput 4. De Eucharistia.

§ 94. Factum praesentiae eucharisticae 429
§ 95. Transsubstantiatio... 435
§ 96. Modus praesentiae eucharisticae 438
§ 97. Eucharistia ut sacrificium 443
§ 98. Essentia sacrificii missae 446
§ 99. Efficacitas sacrificii missae... 450
§ 100. Eucharistia ut sacramentum 453

Caput 5. De paenitentia.

§ 101. Veritas sacramentalis paenitentiae 461
§ 102. Actus paenitentis 466
§ 103. Usus sacramentalis paenitentiae 473
§ 104. Indulgentiae 478

Caput 6. De extrema unctione.

§ 105. Veritas sacramentalis extremae unctionis 481
§ 106. Usus sacramentalis extremae unctionis 483

Caput 7. De ordine.

§ 107. Veritas sacramentalis ordinis 486
§ 108. Usus sacramentalis ordinis 491

Caput 8. De matrimonio.

§ 109. Existentia sacramenti matrimonii 494
§ 110. Essentia sacramentalis matrimonii 496
§ 111. Proprietates matrimonii 501

Tractatus octavus ESCHATOLOGIA.

Caput 1. De eventibus novissimis.

§ 112. Finis vitae terrestris singulorum 506
§ 113. Resurrectio 509
§ 114. Finis saeculi 512

Caput 2. De statibus novissimis.

§ 115. Infernus 516
§ 116. Purgatorium 521
§ 117. Beatitudo aeterna... 523
Index alphabeticus... 528

TRACTATUS PRIMUS DE REVELATIONE.

Disseritur prooemio de religione ; dein de 1. theoria, 2. veritate, 3. conservatione, 4. susceptione revelationis.

Prooemium de religione.

Quaeritur de 1. notione, 2. veritate religionis.

Tractatus de religione: J. P. *Steffes:* Religionsphilosophie 1925 ; *Duilhé de Saint-Projet-Senderens:* Apologie scientifique de la foi chrétienne 1921 ; P. *Schanz:* Apologie des Christentums I [4]1910 II [3]1905 ; H. *Schell:* Religion und Offenbarung [3]1907. — W. *Schmidt:* Ursprung der Gottesidee I—V 1926—34 ; Ursprung und Werden der Religion 1930 ; A. *Anwander:* Religionen der Menschheit 1927 ; J. *Bricout:* Ou en est l'histoire des réligions? 2 vol. 1911 ; O. *Karrer:* Das Religiöse in der Menschheit 1934 ; *Chantepie de la Saussaye:* Lehrbuch der Religionsgeschichte (acath.) 2 vol. [4]1925.

§ 1. Notio religionis.

Statuuntur 1. definitio, 2. elementa, 3. genera historica religionis.

1. Definitio. — Religio est *ordo creaturae rationalis ad Deum* tamquam primum principium et ultimum finem (2II 81, 1. 5). Est ergo *formaliter* (subiective, significatione primaria, ut religiositas) summa habituum et actuum, quibus creatura rationalis Deum theoretice cognoscit et practice agnoscit tamquam principium et finem. *Materialiter* (obiective, significatione secundaria) est complexio notionum, institutorum, operum, quibus religiositas excitatur, fovetur, exercetur, exprimitur. Hoc sensu loquimur de religione catholica vel indica, de doctrinis, ceremoniis religiosis etc.

Nomen sumitur probabiliter a verbo relegere seu diligenter retractare, ea sc. quae ad Dei cultum pertinent (Cic. Nat. deor. II 28) ; vel a verbo religare ; religat enim cum Deo (Aug. Vera rel. cp ult.).

Alii aliter, multi etiam falso religionem definiunt. *Multitudo definitionum* eo progignitur, quod unum alterumve momentum religionis iusto plus praedicatur ceteris neglectis ; *falsitas* vero eo, quod unum alterumve religionis momentum negatur vel plane vitiatur. *Veritas* definitionis supra laudatae comprobatur cum veritate ipsius religionis § 2, et confirmatur eo quod diligenti studio a factis et psychologicis et historicis religionis sit abstracta ita, ut soli et omni definito conveniat.

2. Elementa. — Exquirenda sunt elementa religionis primum metaphysice seu fundamenta ontologica; dein psychologice seu formaliter; denique materialiter seu obiective.

1. *Metaphysice. Fundamenta religionis* ontologica sunt *a) Deus*, qui tamquam principium et finis omnia creat, conservat, gubernat : «ex ipso,

per ipsum et in ipsum omnia» Rom 11 ; quem animus religiosus saltem in confuso apprehendit ut Numen summa potestate dirigens sortem hominis et cursum mundi, Numen inquam personale, quod hominem videre, audire, iuvare, remunerare potest, cuique salus hominis cordi est. *b) Spiritualitas animae,* qua homo Deum mente et corde contingere atque ita in Deum ordinari potest.

2. *Psychologice.* Quum religio sit ordinatio in Deum, totus homo Deo tendat oportet : *a) Intellectus;* nihil enim humani peragitur nisi intellectu praelucente ; neque ulla religio invenitur absque ideis religiosis, etsi saepe satis imperfectis. *b) Voluntas;* etenim ordinatio hominis ad Deum tamquam finem in conformanda voluntate humana cum divina potissimum consistit. *c) Affectus;* quum enim vires animae in una essentia colligantur, vires superiores et inferiores invicem in se influunt, neque «potest esse in natura passibili, ut voluntas ad aliquid fortiter moveatur, quin sequatur aliqua passio in parte inferiore» (Verit. 26, 10. 7). Ex doctrina Litterarum s., imprimis psalmorum religio residet in corde, et docente Augustino (Civ. XIV 9) peregrinantes in hac vita «secundum Deum viventes metuunt cupiuntque, gaudent dolentque». *d) Manifestatio* externa. Quum enim homo essentialiter ex anima et corpore componatur, fieri non potest, quin verbis, gestibus aliisque signis effingat atque exprimat ea quibus intus movetur. Et quum essentia habitus religiosi interni sit plena ordinatio ac devotio in Deum, quod oratione interna, seu ascensione mentis in Deum potissimum fit (2II 83. 84), ideo signum maxime adaequatum religionis est *sacrificium. e) Communitas* religiosa ; etenim homo essentialiter est ens sociale (ζῷον πολιτικόν) ; ergo necessario in societatem coalescunt, qui idem de Deo colendo sentiunt. Est igitur contra naturam, ut societas tamquam societas a Deo profitendo abstineat.

Licet ergo singuli homines pro suo ingenio, pro temporum aetatumque varietate alterum horum momentorum prae altero colant atque exerceant, unde «typi religiositatis» nostrorum inducuntur, minime tamen cetera neglegere et contemnere licet ; sicuti praeceptum est : «Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota mente tua et ex tota virtute tua» Mc 12. Et falso omnino sentiunt ac graviter et in sanam philosophiam et in facta historica atque psychologica impingunt *a) gnostici* cuiusvis furfuris (indorum ii qui vedantam profitentur, gnostici aerae christianae, theosophi nostri) religionem mere cognitionem quandam sublimiorem rerum divinarum arcanarumve autumantes ; *b) ethici,* qui religionis essentiam in ethica, et ubi plurimum, in ascetica ponunt, uti Confucius, Buddha, stoici, pietistae, deistae, Kant ; *c) pathetici,* qui vestigiis Schleiermacheri inhaerentes (Reden über die Religion 1799) essentiam religionis in sensu quodam Numinis infiniti versari censent eiusque fontem in peculiari animae potentia, diversa tum ab intellectu tum a voluntate, sensu atque affectu res apprehendenti (Gemüt) quaerunt ; *d)* quidam religionum historiam colentes religionis essentiam in manifestationibus externis, imprimis communibus cernunt.

3. *Materialiter.* Quum homines religionis exercendae causa necessario in conventus colligantur, lege societatum ea quae singuli de Numine

eoque colendo sentiunt, eo ipso obiective quoque exprimuntur et sic formam a singulorum sensu ac existentia independentem induunt. Huius religionis materialis seu obiectivae haec sunt elementa : *a) doctrina* religiosa, enuntians quid de Numine, de homine eiusque fortuna, de altera vita conventus religiosus sentiat ; *b) leges* religiosae, quibus vivendi ratio singulis praescribitur, necnon observantiae, quibus favor Numinis conciliari, ira arceri confiditur ; *c) liturgia*, seu cultus habitusque religiosi exercitia et praecepta.

3. Genera historica religionis. — Religiones, quarum notitiam historia exhibet, a peritis diversimode *dividuntur:* naturales et cultiores (praesertim quae libris sacris utuntur) ; nationales et internationales ; poly- et monotheistae ; adogmaticae et dogmaticae (Steffes) ; naturales, legales, redemptoriae ; physicae, psychicae, mysticae (Max Müller) etc. Quum tamen his facta non adaequate subsumantur, quum deinde nostra intersit eas nosse, quae ad veram religionem, christianam inquam, illustrandam aliquid conferunt, iuvabit primis lineis designare religiones gentium ahistoricarum, quae origini necnon evolutioni religionis aliquid luminis afferunt ; deinde adumbrandae sunt religiones populorum antiquorum, quibus religio evangelica quandoque componitur : aegyptiorum, sinensium, indorum ; denique eae quae religioni biblicae propinquiores in suspicionem vocantur, quasi multa biblica et ecclesiastica inde deprompta sint : persarum, semitarum, graecorum, romanorum.

1. *Gentes ahistoricae.* — Ex pervestigationibus W.-i Schmidt **pygmaei** (uti afri autochthoni : negriti, negrilli, bushmani ; multi insulani : australes, polynesii ; indiani haud pauci, sicut andamanesi ; inhabitantes Arcturum, uti escimi, patagoni) quum in ceteris vitae moribus, tum in religione *haud adeo longe absunt a prisca nostrae gentis conditione:* non arant neque pecuariam faciunt, sed fructus forte oblatos colligunt et animalia capiunt ; publicis legibus magistratibusque non obstringuntur, tamen vitam agunt satis honestam eamque *monogamicam;* colunt *Numen*, auctorem supremum et unicum, morum custodem et remuneratorem, quem plerumque caeli patrem nominant, orationibus et sacrificiis (primitiis frugum) colunt ; a magia et superstitione abstinent, ritus quibus adolescentiae proximi initiantur, maximi habent.

Stirpes a prisca illa conditione alienae cum religione pygmaeorum id habent commune, quod sensibus et corporalibus dediti ut sunt, Numinosa imaginibus et symbolis expressa et formata paulatim cum ipsis imaginibus et symbolis confundebant et sic in *polytheismum* prolapsi deorum suorum vitam et opera ad similitudinem rerum humanarum effingentes *mythos* (astrales, mox naturales, denique historicos) componebant. Sic vires naturales personificatae vel vires numinosae ad speciem hominis excussae dii efficiuntur. In ipso deinde homine praeter corpus animam immortalem recte suspicantes eius existendi ac operandi modum nimis somatomorphe percipiebant, iudicantes posse eam tamquam umbram vel imaginem etiam in hac vita migrare a corpore, post mortem vero more corporum nutriri, circumvagari, rebus terrenis inmisceri, atque ideo timendam, placandam, colendam esse. Inde initium duxit *manismus*, seu cultus manium, praesertim heroum et procerum ; deinde *animismus* (E. B. Tylor 1871), e cuius opinione omnia, etiam animalia, plantae, rupes, nubes, stellae, sol, luna ad similitudinem hominum animata sunt ac proinde viribus occultis quam potentissimis praedita («mana» melanesiorum), quibus hominibus multum nocere possunt et adsolent, propterea cultu fovendi et placandi : *daemo-*

nismus. Quum res sensibiles, plerumque insignitae, symbola et instrumenta daemonum habentur (minime tamen, ut quidam nostri fingebant, in eodem numero cum ipsis daemonibus ponuntur), enascitur *fetishismus* (a verbo lusitano feitiço = factitium). Saepe animal quoddam (quandoque etiam alia res) symbolum atque vehiculum censetur avi vel dei stirpem peculiariter protegentis, et ideo quasi insigne stirpis evadit, quae se illius consanguineum putat : *totemismus* (totem apud indianos = stirps, gens).

Cultus istius ethnici haec sunt propria : *a) Magia* seu persuasio quibusdam rebus, observantiis, dictis (amuleta, talismani) inesse vim eamque infallibilem arcendi maleficia daemonum et lemurum eaque aliorsum dirigendi. Haec occulta potestas super daemones praesertim quibusdam viris convenit : magi. Res vero vel persona, quibus vis magica insita esse creditur, saepe metu quodam superstitioso ut exitiosa vitatur : est *tabu* (nomen polynesium). *b)* Cultus in temporalibus vel bonis consequendis vel malis cohibendis potissimum versatur et in hunc finem Numen vel daemonia modo crasse *anthropomorpho* sibi conciliare studet ; sacrificia fiunt ad normam «do ut des», peccatum plerumque non moraliter sed externe cernitur ut transgressio observantiarum ; expiatio pariter externe intenditur observantiis, saepe sacrificiis humanis.

Istorum elementorum multa inveniuntur etiam apud populos historicos mox inducendos, maxime autem apud stirpes ahistoricas, etsi apud alias alia emineant.

Afri, et bantu- et sudano-nigritae (isti illis sunt aliquantulum inferiores) quamvis vires magicas a rebus, quibus eas insitas putant, non satis distinguant *(fetishismus* nigritarum) et reges suos, quibus prae ceteris vires magicas tribuunt, eorumque *manes* deos habeant, omnes tamen deum supremum, mundi factorem et gubernatorem profitentur et *vitam post mortem* admittunt. Vita moralis communioni cum stirpe magis quam cultui Numinis innititur. — **Australi,** et papuae et insulani, eo sunt insigniti, quod *totemismo et tabuismo* plus ceteris stirpibus feris inhaerent.

Americani (indiani) prae ceteris gentibus incultis in omnibus vitae varietatibus deos, daemones, manes invocant et *vitam moralem in religione fundant.* Maximi habent vim magicam omnibus rebus et eventibus conspicuis insitam (manitu, *orenda),* atque ideo arti *magicae,* a shamanis exercendae acriter incumbunt. Rerum summum dominum, «*magnum spiritum*» omnes colunt, primitivi (botocudi, irocesi, yagani, patagoni) distinctius, ceteri confusius ; *defunctis* diligentissime consulunt, *peruani* etiam corpora mortuorum medicabant («mumiae»). At fere omnes stirpes, etiam quae aliquem cultus humanitatisque gradum attingebant, uti mexicani et asteci (septemtrionales), «maya»-cultum habentes (medii), peruani (meridionales), crudelissime homines sacrificabant, imo comedebant censentes sic ipsorum virium participes se fieri *(cannibalismus).*

Ex asiatis **iaponici** *shintoismum* sequebantur antequam buddhismum amplecterentur s. 5. p. C. Dii, kami vocati, partim sunt vires naturales deificatae, partim manes heroum et regum. Kami arcis et *sacellis* tamquam habitaculis includuntur et sacrificiis non cruentis, tabulis votivis, processionibus coluntur. Leges morales non e shintoismo enascuntur. Religio haec satis imperfecta a. 1867 auctoritatem publicam in Iaponia nacta est. — **Mongoli** et tartari naturalismo ut sunt immersi *magiae* sunt prae ceteris dediti ; in omnibus eorum negotiis partes principales agit theurgus *shaman* dictus, qui ope tympani magici daemones pro nutu ciet et dirigit. — **Finno-ugri,** in quibus et prisci hungari, deum supremum patrem appellant (yumala, ucco = proavus ; öregisten), quem sacrificiis plerumque animalium colunt, vitam post mortem utique ad similitudinem huius sperant : mortuis utensilia, equum etc. comites addunt.

Ex *Europae* priscis incolis **slavi**, quantum ex fontium penuria conicere licet, vires naturae deificatas, daemones et *larvas mortuorum* superstitionibus quoque colebant, templis non utebantur, manium cultui deditissimi erant, dei supremi tamen non ignari (svarog, dazbog, perun). — **Celtae** Galliam et Hiberniam maxime inhabitantes polytheismum anthropomorphum profitebantur, *theriolatriae* (animalium cultui) quoque suas partes dabant. Ex sacerdotum generibus enitent *druidae*, qui populo etiam legislatores et magistri erant. — In **germanorum** religione *mythi de origine et fine mundi* (etiam deorum) abundant, quos sacerdos islandus christianus Snorri cca a. 1200 collegit, quibus eodem tempore cantus pagani superstites adiungebantur ; sic *Edda* enascebatur. *Dii* summi anthropomorphe percepti sunt praeter Tiu, deum belli et Thor-Donar, deum tonitruorum ac fulgurum imprimis *Odin-Wodan* = Mars, dein Freya, dea fecunditatis ; viri fortes in olympo = *Walhall* vitam huic similem cum diis agunt. Cultus deorum et munera sacerdotum secundo loco ponuntur.

2. **Aegyptii** Herodote teste *omnium hominum piissimi* erant. Revera nulla unquam gens tot vires ac opes in deorum cultu et mortuorum cura consumpsit. *Fontes* sunt inscriptiones hieroglyphae, quae magno numero in monumentis, templis, pyramidibus, papyris («liber mortuorum») inveniuntur. *Dii* initio sunt vires et res naturae deificatae, paulatim anthropomorphisatae : dii locales, qui saepe sub symbolis animalium coluntur (theriolatria, residuum totemismi vetustioris) ; inde ab unito regno inferioris et superioris, cca a. 3300 a. C. *deus summus* eis praestituitur : Re (Ra), deus solis ; cca a. 2200 Amon vel Ptah, qui ex doctrina sacerdotum verbo suo deos mundumque procreavit et cuius theophania est sacer taurus *Apis;* Hor = Mars aegyptiorum. Tempore romanis iam propiore deus summus est Osiris secundum mythum (Plutarchus : De Iside et Osiride) olim rex iustissimus aegyptiorum a fratre Seth occisus et dismembratus, vi magica uxoris Isidis redivivus, qui mortis deinde imperium tenet. Etsi ergo aegyptii et hunc et alias alium tamquam deum supremum et quasi unicum profiterentur *(henotheismus)*, imo Amenhotep IV. cca a. 1370 lege praescriberet cultum exclusivum dei *Aton* (orbis solis), nunquam tamen monotheismum attingebant. Deos suos templis, sacerdotum collegiis, processionibus quibus eorum simulacra ferebantur, vestimentis, utensilibus, cibis appositis celebrabant ; theriolatriam, magiam nunquam non exercebant. — Principem locum *curae mortuorum* dabant, quin tamen eos deorum cultu prosequerentur. Persuasum ipsis erat animarum alteram, quasi umbram et imaginem hominis : kha, et alteram avis instar avolantem : bha, post mortem ad iudicium vocari ; cor uniuscuiusque tunc ab Osiride inferorum rege trutina examinatur, et anima ad beatorum elysium vel ad tartarum mittitur. Vita et beatitudo mortui multum ex conservatione cadaveris pendet ; ideo corpora mortuorum multa diligentia condimentis medicabantur, monumentis magnifice exstructis condebantur (pyramides cca a. 2800), servi, utensilia, cibi imaginibus sculpti necnon cantationes apponebantur, vi quarum sperabatur fore ut imagines istae ad vitam excitentur et mortuo ministrent.

3. **Sinenses** naturalismo et cultui manium sunt addicti. *Dii* eorum sunt res, vires, eventus naturae (caelestis imprimis) personam induentes, quorum princeps est Shang-ti vel Tien = Caelum. Cursus et harmonia universi, e duorum principiorum, alterius salutaris (yang), noxii alterius (yin) concentu progenita aeterna lege = *tao* (ex doctrina *Lao-tse* in libro celeberrimo Tao-te-king cca a. 500 a. C. proposita ; tao est principium transcendens absolutum monistice cogitatum) diriguntur, cui ergo homo ut pars universi conformari omnino debet ; conformatur vero praecipue *observatione rituum* qui continentur libro canonico shi-ki, necnon observatione morum

patriorum quorum norma canonica sunt «colloquia» Confucii *(Cong-tse* † 479 a.C.) quibus lun-yü inscribitur. Cultus diis a magistratibus tantum, quorum praesul est imperator (= filius caeli) praestari potest, idque sub divo, quo dein tao, ordo universi populo sinensi et imperio favorabilis, tutus redditur. — Altera facies religionis sinensium est *cultus manium*, avorum imprimis, qui et in templis et a privatis praestatur sacrificiis potissimum, ubi antiquitus nepos aliquis, posterius stemma gêntile tabulis inscriptum avorum vices gerebat.

Ceterum hic cultus, cca a. 1000 a. C. publica auctoritate ornatus, aridum ritualismum et moralismum ieiunum sapiens, plebi minime satisfecit, quae deinde in crassum daemonismum et magiam prolapsa avide buddhismum superstitionibus depravatum (mahayana) tempore Christi arripuit.

4. **Indi** sunt *gens piissima*, ad excessus et subtilitates tamen proclivis, unde religio eorum magnam varietatem exhibet. *Libri sacri* indorum sunt quattuor collectiones hymnorum et rituum vetustorum (terminus ad quem est s. 8. a. C.), quibus nomen commune est *Veda* (lingua sanscrita = scientia). Accedunt explanationes Vedae plerumque rubricistae : brahmana ; canonem terminant (terminus ad quem est probabiliter s. 6. a. C.) meditationes et asceticae (aranyacae) et philo atque theosophicae : *upanishadi*.

Prisca indorum religio, *vedismus* est polytheismus naturalis. *Dii* praecipui sunt Varuna, iustitiae custos, eiusque socius Mitra ; dein Indra seu Mars et Vishnu eius socius, denique Shiva deus exitii. Coluntur maxime sacrificiis animalium, praesertim vaccae et *soma*, potu quodam inebrianti. Postquam indi haud sine continuis bellis Gangis fluminis regiones occuparent, membra tribus («casta») sacerdotalis, brahmani auctores facti sunt *brahmanismi*, qui in sacrificiorum usum nimis diligenter inquirentes ritualismum quendam exuberantem exaedificabant. Eodem tempore fides vitae futurae semper inter indos vigens speciem *metempsychosis* (samsara) induit ; erat enim eorum opinio animas post mortem secundum opera in alias atque alias formas transire, donec requiem aeternam assequantur. Multa etiam et subtilia in originem et medicinam mali inquirentes alii liberationem in subtiliore scientia ponunt, et sic oritur gnosis indica, *vedanta* upanishadorum, quae est pantheismus idealista imo conscientialis : hic mundus est mera species et apparentia, *maya;* unica realitas, brahma est *atman*, seu seipseitas (tat tvam asi). Alii vero piis meditationibus et ascesi nimis diligenter exculta contendunt liberari posse animam ex corporis et mayae amplexibus atque novis plane viribus instrui ; et est haec *yoga*.

Saeculo deinde 5. a. C. quidam ex tribu seu casta militari (kshyatriyarum) neglecto cultu Numinis *autosoteriam via mere ascetica* prosequebantur. Ex quibus *Mahavira* reinstauravit *jainismum*, cuius haec est summa : Quodcunque opus humanum vestigium veluti fluidum quoddam *(karma)* in anima relinquit ; omnium carmarum complexione status animae quem in cursu metempsychosis occupatura sit, determinatur ; dura ascesi, etiam ieiunio mortifero, carma minuitur, imo pedetentim exstinguitur, et tunc demum anima ingreditur requiem aeternam, *nirvanam*.

Multo maiorem vim nactus est **buddhismus**, cuius auctor est *Siddharta Gautama* († cca a. 485 a. C.) e stirpe regia oriundus, post mortem ab asseclis Buddha = illuminatus celebratus. Fundamentum doctrinae eius sunt *quattuor «veritates nobiles»:* 1. Quidquid est, dolor est atque tormentum, quippe quum nihil vere ,sit' sed omnia fiant ; 2. causa malorum est concupiscentia existendi, quae est stimulus carmae et genetrix samsarae ; 3. liberatio a malo est ergo exstinctio concupiscentiae essendi ; 4. cuius via est *semita octuplus* recte sentiendi et agendi, imprimis abstinentia a sanguine, imo ab omnibus operibus, et diligens contemplandi studium ; quibus

paulatim attingitur vel iam in hac vita, vel in aliqua altera metempsychosis statione nirvana, seu plena exstinctio omnis existendi concupiscentiae. — Buddhismus hic orthodoxus *(hinayana* = vehiculum parvum) in India citeriore et insula Ceylon, patria canonis buddhistici lingua «pali» scripti *(tripitaca* = canistrum trinum) s. 3. a. C. favente rege Ashoka divulgatus, tempore Christi multum laxatus et polytheismo auctus tamquam *mahayana* (vehiculum magnum) sinenses et iapones inundavit. — In patria fere elisus est a *hinduismo* (cca a. 1000 p. C.), *cui est syncretismus* brahmanismi cum multarum aliarum gentium cultibus. *Dii* supremi sunt Brahma = auctor, Vishnu = conservator, Shiva = destructor ; cultus in templis et locis sanctis quam plurimis observantiis etiam minus piis exercetur. Hinduismus deinde in innumerabiles desivit sectas, quarum quaedam ferme theistice plenam devotionem in Numen *(bhakti)* commendant ; aliae polytheistice vim genetricem *shakti* observantiis etiam obscaenis et magicis colunt.

5. **Persae.** Prisca religio persarum et medorum eadem erat atque indorum vedismo haud aliena, quibuscum eiusdem erant stirpis et patriae (regionis sc. in dorso montium Iran porrectae). Quam deinde Zarathustra (graece Zoroaster) probabiliter s. 6. a. C. (secundum quosdam iam s. 8.) instauravit, quamque liber sacer *Avesta* dicta (in formam quam nunc habet cca a. 350 p. C. redactus) utcumque exhibet. Fides parsismi est *dualismus* theologicus, cosmologicus, anthropologicus. *Auctor boni* est Ahura-Masda = *Ormuzd*, cui adstant ameshae-spentae, attributa divina personificata ; ab aeterno independenter ab eo existit Angra-Mainyu, Ahriman, auctor mali, cuius exercitus sunt spiritus mali, devae. *Hominis*, constituti corpore et spiritu, officium atque religio est decertare malum mendaciumque et pugnare pro bono. *Post mortem* anima, si recte in hac vita proeliata sit, inoffenso pede transibit pontem subtilissimum cinvat et adhaerebit Ormuzdo ; alioqui damnum subibit aeternum. *In fine* mundus hominesque igne purgabuntur et post resurrectionem corporum supremo certamine malum et homines mali a bonis penitus superabuntur. *Cultus* praeter orationes et sacrificia multas praescribit lustrationes (cultus ignis !) et immunditias vitandas ; praesertim cadavera vitantur, quae nec sepeliuntur, neque uruntur, sed in turribus dakhma dictis putredini et volatilibus exponuntur. Labente tempore etiam magia percrebruit. Post invasionem arabicam (642 a.) parsismus quam celerrime declinavit.

Eo adhuc florente *Mani* quidam, nobilis parthus († 275 p. C.) manicheismi fuit auctor. Est **manicheismus** dualismus quidam gnosticus, qui hominem a malo liberari fingit per rectam cognitionem, systematis sc. Mani : duo esse ab initio principia, boni et mali, luminis et tenebrarum, initio separata, in homine permixta ; qui novit hunc mali originem et abstinet a matrimonio, ab escis carnalibus, ab agricultura (triplex signaculum perfectorum : sinus, oris, manus) ad regnum luminis mox post mortem revertitur ; ceteri, manichei imperfecti fors post multas migrationes animarum liberabuntur. Manicheismus postquam labente s. 3. syncretismum cum religione Christi inierat, s. 4. et 5. valde divulgatus ingens detrimentum evangelio intulit (s. Augustinus).

A parsismo videtur originem ducere etiam *mandaeismus*, qui probabiliter in regionibus transiordanis non a. C. (probabiliter non ante s. 2.) ortus est. Summa doctrina eius est descensus animarum involuntarius ad vitae huius tenebras et pericula; deinde post vitam pie ductam, frequentibus lustrationibus, rebaptismis, dapibus sacralibus, in mortis articulo etiam signaculo olei consecratam, fit ascensus ad Dominum (manda) vitae et luminis. Corporum resurrectionem non admittunt.

6. **Semitae** eodem linguae genere et iisdem ferme ideis religiosis necnon moralibus utentes Mesopotamiam (babyloni, assyrii), Arabiam et Syriam

inhabitabant frequensque commercium inter se invicem et cum aegyptiis habebant.

Babyloni et assyrii res, vires, eventus naturae deos faciebant ; *dii* pincipales sunt Anu caeli, Enlil-Bel terrae et aeris, Ea aquarum deus ; Ishtar (Astarte, Ashera) dea fertilitatis et veneris, cui socius est Thammuz, deus «vegetationis» autumno marcescentis, vere reviviscentis. Singulis civitatibus singuli dii erant praestituti, qui civitate crescente etiam ipsi potestate et cultu augebantur, donec demum Babylone rerum potiente deus istius civitatis *Marduk* deorum princeps evasit, qui secundum carmen epicum «Enuma elish» fuit minimus natu deorum, ex primis omnium rerum principiis Tiamat (Chaos) et Apsa (Oceanus) theogonice progenitus ; matrem Tiamat fortiter decertavit, ex eius cadavere caelum et terram, ex sanguine dei cuiusdam hominem procreavit, ut deos coleret. *Cultus* frequentissimis sacrificiis etiam cruentis, templis, festis compositione anni designatis, orationibus (quae sicuti et leges Hammurabi cca a. 2000 a. C. mentem moralem haud adeo imperfectam praebent), processionibus, sacerdotibus in circiter 80 classes distributis exercebatur. Magnus erat usus atque auctoritas *vatum* fatidicorum, qui ex ominibus, imprimis e stellis («chaldaei»: patres astrologiae) divinabant ; deinde exorcistarum, quorum erat carminibus exercitum daemonum fugare et magorum ac veneficarum artes arcere. Mortuorum *larvae* circumvagantur, donec corpus sepeliatur ; ceterum omnes post mortem iudicium dei inferorum Nergal subeunt, vitam postea satis tristem degentes, paucissimis exceptis, in quibus *Utnapishtim*, qui e diluvii periculo liberatus et ad beatorum regionem translatus, ibi post longum tempus a heroe *Gilgamesh* quaeritur, qui sc. multis facinoribus editis ad verbenam vitae aeternae comparandam inferos petierat.

Cananaei, syri, phaenicii fere eodem modo iisdemque nominibus colebant *deum supremum*, fertilitatis dominum Baal, Melek, Moloch, secundum locorum diversitatem diversa attributa ac cognomina eidem adiungentes ; *deam* matrem, Astarte, Atargatis, cultu etiam obscaeno cum hierodulis et maribus et feminis ; eorum filium Adonem. *Cultus* sacrificiis erat insignitus, cruentis imprimis, etiam humanis ; carthaginenses et cananaei Molochio infantes offerebant (Num 31, 23). *Loca sacra* erant excelsa, ubi sub arboribus altare lapideum et columnam tamquam dei habitaculum, masseba, erigebant.

Arabi eadem fere ac ceteri semitae colebant, dum **Mohammed** († 632, sexagenarius) litterarum imperitus, affectibus deditus sibi persuaserit se esse «signaculum prophetarum» (in quibus magni habebat Abrahamum, Moysem, Christum) arabis destinatum. Anno 622. ex urbe patria profugus (hidshra) Medinates sibi conciliavit eorumque ope doctrinam suam et potestatem ceteris stirpibus arabis vi et armis imposuit. Doctrina mohammedana, quam exhibet liber sacer *Coran* (effata Mohammedi plerumque authentica paulo post mortem eius colligens et in 114 suras disponens, dialecto Meccana scriptus) et traditio, sunna, est *syncretismus* iudaismi, evangelii, gnosticismi, arabismi vetustioris. Dogma fundamentale est : unus est Deus Allah eiusque propheta Mohammed. Docet creationem et gubernationem, extollit fatum (kismet) ; praeter angelos admittit daemones paganismi arabi (dshinn-i), vividis coloribus describit iudicium, gaudia caelestia multum carnalia, cruciatus damni aeterni. Praecepta sunt mere legalia : quina oratio diurna ritualis, lustrationes, eleemosynae vel potius tributum religiosum, ieiunium mense ramadan, peregrinatio Meccam ad visitandum Kaaba: massebam araborum paganorum ; praesertim autem *bellum sacrum*, quo factum est, ut vertente saeculo islam ad omnes regiones mediterraneas et usque ad Indiam extenderetur, negotiis politicis quam religiosis studiosior. Inde a s. 10. periti ope philosophiae graecae theologiam, mox etiam mysticam (Gazali † 1111), inde ab Alfarabi († 1249) ad quietismum pantheisticum

delapsam excolebant, ordines religiosos instituebant et totius orbis ad islamum adducendi consilium capiebant.

7. *Graeci et romani.* **Graeci** ad particularismum et individualismum proclives, philosophiae necnon phantasiae et artibus addictissimi a prisca religione naturalismi (numina saepe impersonalia, saepe eventuum v. g. partus, educationis : dii particulares, «Sondergötter» ; theriomorphismus deorum, ars magica, cultus diligens mortuorum) inde a Homero et Hesiodo ad anthropomorphismum, ad theogonias et mythologias deorum Olympi delapsi sunt. Exinde summum Deum Δία *(Zeus)* habebant ; simul tamen a multis *Apollo*, deus oraculi, ordinis, concinnitatis, ab aliis *Dionysus* thrax, deus «vegetationis» cultu quodam exstatico celebrabatur, ita ut nocturnis facibus adlucentibus adepti per procliva montium et nemora furore quodam sacro rapti animal, dei personam agens vivum dirimerent et comederent. — Inde a s. 5. a. C. vetus pietas declinavit. Ars plastica, poesis, respublica eam colere pergebant, at homines alii philosophiae, alii cultibus orientalibus et mysteriis se dedere, et initium fecit syncretismus ille hellenismi, qui etiam romanorum religionem abripuit.

Romanorum prisca religio, quae penuria fontium difficile eruitur, est quasi imago repercussa asperitatis ac siccitatis agricolarum Romam et Latium inhabitantium. *Numina*, quae erant res et eventus naturae vix personificata, sine imaginibus et templis, ritibus tamen ad amussim observatis colebat *paterfamilias*, qui etiam dis parentalibus: laribus et lemuribus, dein penatibus, praesertim Ingenio domini, Iunoni dominae, Iano (deo ianuae), Vestae (deae foci patrii) statutis diebus sacrificia obtulit. Sacra haec privata tempore regum *publicam* quoque *auctoritatem* nanciscebantur, iam sacerdotum collegiis (pontifices, vestales, flamines) demandata. *Magia* vetusta, auspicia, haruspicia a plebe et a republica celebrari pergebant, etiam quum vertente saeculo 3. a. C. *hellenismus*, (hoc nomine a nostris tria illa saecula ab Alexandro Magno usque ad Caesares, 330—30 a. C. donantur, quo tempore) animus atque ingenium graecorum romanos obtinuit, primum per etruscos (e quibus etiam haruspices sumebantur), deinde per libros Sybillinos, denique directe per graecos, quorum dii, mythologiae, templa pervadebant pantheon romanum deorum «indigetum», ceterum dis «novensidibus» semper apertum. Latini deinde «interpretatione romana» deos istos alienos similitudinibus vel levissimis ducti suis aequabant (Zeus = Iupiter, Hera = Iuno, Hermes = Mercurius, Poseidon = Neptunus etc.), quo lata ianua aperta est *syncretismo*, seu mixtioni et colluvioni idearum et cultuum orientalium cum graecis et romanis. Ingens exinde nata est varietas cultuum et theologiarum, quae vix non omnes in theologiam astralem, emanatismum gnosticum, neoplatonismum abiere. Et quantum evanescebat pietas ingenitae religionis, tantidem invalebant cultus illi advenae, ita plane ut singuli quoque homines pluribus cultibus se mandarent.

Specimina insignita syncretismi illius sunt **mysteria,** seu cultus solum initiatis (μύστης, qui initiatur per μυσταγωγόν) pervii, quibus deitas immediate se manifestat et communicat. Praecipua sunt haec :

1. Vetustissima omnium sunt *Eleusinia*, quae maxime processione mystarum ad sancta Eleusina (prope Athenas) celebrabantur, ubi primum dramate narrabatur, quomodo Demeter filiam raptam Persephonam ubique terrarum quaesierit et post multas vicissitudines invenerit ; deinde competentes baptismo quodam, actibus minime decentibus, necnon epulis sacris initiabantur. — 2. *Orphica*, quorum mythos de origine mundi et hominum narrantes imprimis pythagoraei et platonici colebant. — 3. *Dionysia*, quibus neophyta e luto excitatus et purgatus face a δᾳδούχῳ accensa inducitur ad deum (qui primitus erat Sabazios phrygorum, post Dionyso aequabatur), quem sponsum et lumen salutat, dein serpentem e cysta mystica

prolatum corpori admovet et tunc confidit se ex homine deum factum esse. — 4. Mysteria Magnae Matris, Κυβέλης phrygorum filiique Attis, qui seipsum castrans mortuus est et revixit ; mystae erio- et taurobolio, necnon conviviis sacris morti et resuscitationi Attis participant. Cultus hic rudis nimis et obscaenus cca a. 200 a. C. etiam romanos obtinuit. — 5. Mysteria *Isidis et Osiridis* s. 2. a. C. totam hellenismi dicionem pervadunt. Neophytae nocturno tempore post sacrum quoddam lavacrum per duodecim caeli signa (muris inscripta) ducebantur, totidem vestimentis eis impositis et demptis, donec in ultimo veste caelesti induti se renatos putarent. — 6. Mysteria *Mithrae*, e quibus mulieres excludebantur, s. 2. p. C. totum imperium invadebant, imprimis colonias militares. In ritibus initiantibus numerabatur baptismus aquae et mellis, epulae panis, aquae et vini, inustio signaculi, deinde probationes in crypta subterranea stellarum et elementorum imaginibus consita subeundae ; post septimum deinde tentationum gradum imago dei neophytae revelabatur, qui periculis (utique fictis), potu inebrianti, imaginibus arcanis excitatus se ad extrema mundi in viciniam dei raptum esse putabat.

§ 2. Veritas religionis.

Statuuntur 1. veritas metaphysica, 2. origo, 3. universalitas religionis.

1. Veritas metaphysica. — Ubi de veritate religionis agitur, duo possunt quaeri : 1. *Utrum religionis factum vero innitatur*, an vero sit fictio sive phantasiae sive affectuum sive rationis errantis, prout opinantur agnostici, materialistae, imprimis marxistae, relativistae. Adversus quos probandum est 1. *metaphysice* religionis fundamenta esse vera ; atque ideo 2. *psychologice* originem religionis non in mente vana fingenti, sed in natura humana spirituali verum apprehendenti esse ponendam ; quod confirmatur 3. *historice* universalitate et extensiva et protensiva (perpetuitate) et intensiva religionis. — 2. *Quaenam* ex magno religionum numero *vera sit*. Quod non potest determinari, quin criteria verae religionis statuantur (§§ 3—8).

Quum religio sit ordo creaturae rationalis, imprimis hominis ad Deum tamquam principium et finem, *religio metaphysice est vera, si* hinc quidem *existit Deus*, ex quo omnia pendent et in quem omnia tendunt, inde vero *homini inest natura spiritualis*, qua Deum tamquam Dominum et summum Bonum cognoscere, libere agnoscere et ut finem absolutum adaequate i. e. aeterne apprehendere potest. Iam nunc ambo veritatis cognoscendae fontes, et ratio et revelatio, comprobant esse Deum (§§ 22. 24. 28. 31) et inesse homini animam spiritualem, liberam, immortalem (§ 47). Ergo fundamenta religionis sunt vera.

COROLL. *Una tantum potest esse vera religio.* Unus enim est Deus, unaque natura animae humanae cognoscentis et agnoscentis Deum ; essentialiter ergo una tantum potest esse relatio hominis ad Deum, quae utique admittit gradus.

2. Origo (veritas psychologica). — Ubi de religionis origine quaeritur, distinguendus est *ordo specificationis et exercitii*, seu naturae et status (vel ut nostri malunt, quaestio iuris et facti, seu idea et concretum).

Quod ad *exercitium* seu factum attinet, mox probabitur religionem generi humano desuper, *revelatione* esse datam ; singulis vero et olim et nunc a parentibus, maioribus, a societate religiosa eam contingere nemo ignorat.

Hic autem *quid specificationis* seu naturae, iuris sit, quaeritur ; i. e. non quomodo religio revera originem duxerit, sed quomodo, si a revelatione abstrahatur, nasci potuerit, vel potius, adversus evolutionistas, quomodo non potuerit. Quae tamen psychologica ac philosophica inquisitio in veras religionis radices *aliquid luminis etiam quaestioni facti* affert ; non enim religio in homines revelatione descenderet, si natura humana ad religionem proferendam positive apta non esset. Examen vero falsarum opinionum evolutionistarum causas aperiet, cur religio primitus una et vera labente tempore in tot religiones multa etiam falsa molientes defecerit.

Radix et origo religionis sita est in spiritualitate animae humanae. Homo enim ratione praeditus urgetur, ut causam eamque sufficientem quaerat huius mundi et ipsius hominis, quam invenit esse Deum (§§ 24. 28). Voluntate vero arbitrii ornatus in sui ipsius et vitae perfectionem intendit, quam propter debilitatem hominis et defectibilitatem mundi nonnisi a Numine omnipotenti et absolute bono potest sperare (§ 31). Religio ergo in ratione et conscientia radicatur. Quod *confirmatur historia religionum.* Etenim ex erroris et ingorantiae nubibus quoque illucescit Numinis, summi principii boni, et cognitio et professio, prout vel eius nomina produnt : Dominus, Caelum (Shang-ti), Lumen (Dyaus pater, Zeus, Iupiter, Ahura), Supremus (Assur), Fortis (El), Logos (Tao), seipseitas (Atman) etc. Omnibus deinde communis est persuasio vitae et mundi perfectionem solum a Numine posse adduci et religione esse adnitendam.

Argumentum indirectum peremptorium est *falsitas theoriarum evolutionistarum,* quarum hae sunt praecipuae :

1. *Prisca ignorantia* ut fons religionis. — Ex multorum opinione prisca gens rudis et naturae vitaeque ignara pro veris rerum causis vires numinosas assumpsit et fetishismum vel animismum imprimis protulit vel phantasiae indulsit.

Ex opinione *De Brosses* (1760) prisca religio hominum est **fetishismus,** eique adstipulatur Comte (1830) et Lubbock (1870). — At *a) fetish* est res naturae plerumque mira ac conspicua (conchaeae, lapides versicolores, ossa ; arbores, rupes, animalia etc.), quae habetur incorporatio vel habitaculum vel symbolum virtutis daemoniacae et fit tum instrumentum artis magicae, tum idolum superstitionis ; ergo *iam aliquam numinis fidem ponit, et igitur non potest esse primum.* Quod historia confirmatur ; licet enim fetishismus in multis religionibus gentium incultarum inveniatur (praesertim in Africa occidentali), nullibi tamen centrum religionis constituit, sed quasi peripheriam continet. *b)* Intime *cum arte magica coniungitur,* quae tunc demum invalescit, ubi arbitrium atque libido mentis inter homines iam percrebruerit, ergo in statu gentium iam multum degeneri. Et revera fetishismus apud stirpes vere priscas, pygmaeorum inquam, non occurrit, sed eas occupat, quae ad aliquam «culturam» ut dicitur pervenerunt.

Animismi auctor est E. B. *Tylor* (Primitive Culture 1872) et permulti sectatores. Ex hac doctrina *eventus* vitae humanae minus vulgares at *aliquantum miri,* uti halitus vivorum, torpor aegrotorum, somnium, simulacra ac phantasmata somni et exstasis, rabies, vesania, delirium, deinde mors et mortuorum apparitiones in imaginatione et memoria superstitum, intellectui priscorum hominum tunc demum patebant, quum ista *opera ac manifestationes animarum* occultarum habebant, quarum veluti umbrarum itu redituque arcano omnia illa fieri putabant. Ut deinde *larvas mortuorum* plerumque noxias arcerent vel etiam sibi conciliarent, manes colere incipiebant ; et haec sunt religionis initia. Paulatim omnibus naturae rebus, in quibus vitam

ac virtutem inesse suspicabantur, eiusmodi umbras seu «animas» affingebant, quas deinde manium modo colebant. Hoc modo labente tempore invaluit polytheismus, ex quo demum monarchice constituto monotheismus est progenitus. — At *a)* manes et larvae *non timentur neque coluntur, nisi esse credantur;* ergo hic cultus non potest esse initium religionis, sed persuasio de existentia animarum a corpore diversarum ac immortalium praecedat oportet. Et haec persuasio tam communis, firma, constans est, ut minime ex crassa ignorantia vel ex morbidis quibusdam eventibus psychicis originem ducere possit. Nihil enim sine ratione sufficienti ; *persuasionis communis de anima* spirituali, immortali ratio sufficiens non potest esse nisi ipsum factum a hominibus etiam priscis cognitione vividiore et perspicaciore apprehensum. *b) Nulla religio in solo manium cultu absolvitur*, neque ulla religio Numen ab umbris et larvis non apprime distinguit. Et recte omnino ; esse enim animas est quasi immediata agnitio factorum perspicuorum vitae internae ; esse Deum est conclusio consideratione mundi, hominis, conscientiae procreata ; ergo aliam habet radicem. *c)* Historia religionis docemur unicitatem, maiestatem, sanctitatem Numinis primitus dilucide propositam labente tempore in polytheismum abiisse crassisque anthropomorphismis faedatam esse ; et istius degenerationis causa erat etiam *animismus ;* qui ergo *non religionis, sed religionum originem quadamtenus illustrat. d)* Nulla religio causali mundi et vitae humanae explicatione exhauritur, sed quaepiam simul in perfectionem intendit, seu finem moralem prosequitur. Fetishismus et animismus *nullam reddit rationem huius necessitudinis inter religonem et ethicam.*

Quidam opinantur **phantasiam** «idealia» ut dicitur effingentem esse fontem religionis. Ex illorum sententia priscus homo rudis ut erat, ea quae de rerum causis rationibusque, de vitae huius cursu fineque cogitat, nonnisi imaginibus, *symbolis, mythis* (sc. ut opera hominum eximiorum) effingere potest, et sic huius vitae inopiis miseriisque medetur, in asylum mundi pulchrioris et perfectioris, symbolorum et mythorum inquam, confugiens. Ita Schelling, Hegel, Schopenhauer, multique evolutionistae nostri. — At manifestum est *imaginandi vi ideas non inveniri, sed vestiri* tantum. Ideo phantasia eiusque opera non possunt esse primum, neque in religione, prout et ipsa religionum historia testatur : quo minus ab initio absunt gentes, eo magis carent mythis et theogoniis. Ceterum symbolis uti humanum est, atque adeo non modo apud priscos, sed ubique gentium usque modo non desiderantur.

2. **Timor** ut fons religionis. — Ita iam *Lucretius* (Rerum nat. 6, 50) : «Primus in orbe deos fecit timor, ardua caelo fulmina dum caderent» ; seu religionis pater est timor virium et eventuum naturae, dein procerum, item larvarum, contra quorum nimiam potentiam priscus homo inops et debilis non nisi recurrendo ad potestates superiores se defendere potuit. Ita *Euhemerus* graecus (cca a. 300 a. C.) : primos deos esse homines potentia imminentes deificatos ; dein Hume, Spencer. — At *a)* est etiam *timor nobilis*, verecundia conscientiae ingenuae, timor summae Maiestatis et Virtutis, quae est exercitium naturae spiritualis humanae et vere fons religionis : «Principium sapientiae timor Domini» Prov 9. *b)* Timor autem iste *vilior* et abiectus minime potest esse genitor religionis, sed ubi plurimum, excitator («qui nescit orare, pergat ad mare»). Plerumque est depravator. Daemones enim et lemures non timentur, nisi esse credantur ; neque homines potentiores deificantur, nisi deos esse iam aliunde constet ; ergo timor iste non deos procreat, sed daemones ; seu depravat religionem. Revera vetustissimae religiones Numen non tremore isto servili, sed fiducia filiali prosequebantur, patrem invocantes ; daemonum cultus, imperatorum apotheoses etc. collabente humanitate percrebrescebant. *c)* Si timore virium naturae non satis

cognitae religio nasceretur, tunc cessante crassa ista *ignorantia* emoreretur ; quod equidem minime evenit.

3. **Egoismus** seu appetitus sui ut fons religionis. — Quae homo propriis viribus consequi non potest, a diis exspectat, et quorum in hac vita compos non fit, ea in futura sperat ; prudentes deinde principes in gubernandis et refrenandis populis vana ista spe sedulo utebantur. Omnis ergo religio egoismo procreatur et est *eudaemonismus,* omnisque cultus est *utilismus* id unum moliens, ut servitiis et sacrificiis («do ut des») deos sibi propitios faciat. Ita iam sophistae (Plat. Pol. X 889), Cicero (Nat. deor. I 42); deinde Kant, Nietzsche et prae ceteris socialistae nostri. — At *a)* distinguendus est *appetitus superior* et inferior. Superior, spiritualis nihil aliud est atque studium perfectionis. Qui utique potest dici *vere fons religionis,* etenim via logica trahit hominem ad Deum, omnis perfectionis fontem et finem asserendum; at ipse est ab omni egoismo et utilismo alienissimus, imo ad vincendum amorem proprium obligat atque impellit et Deum non modo remuneratorem sed etiam vindicem exhibet. *b)* Appetitus *inferior,* qui instinctu quodam etiam in materialia imo in turpia fertur, plane ineptus est qui fidem et spem sive Numinis sive vitae alterae progignat, quippe quae tunc demum possint appetitu appeti, si esse iam sciantur ; ignoti enim nulla cupido. Aptissima tamen est haec cupido ad religionem depravandam ; seducit enim mentem, ut Numen in hominum et alteram vitam in huius terrestris similitudinem effingat. *c)* Quod religionum historia quoque confirmatur. Egoismus, utilismus, particularismus eo maiores partes in religione capessit, quo magis «cultura» progreditur. Sed neque tunc omnia eudaemonismum sapiunt : mortificationes rigidae v. g. buddhistarum, sacrificia hominum, mutilationes, cultus Shivae et Molochi nullo pacto ex eudaemonismo enasci possunt.

4. **Sensus numinis** ut fons religionis. — Inde a *Schleiermacher* († 1834) inter protestantes (Ritschl et eius asseclae, R. Otto), deinde inter modernistas (Pascendi *D* 2074) invaluit haec opinio : Religionis origo non est quaerenda in prisca ignorantia vel timore vel egoismo, sed in peculiari animi sensu affectuque *(Gefühl),* quo absque ratiociniis et argumentis immediate arripitur et quasi attingitur Infinitum nostraque ab eo plena dependentia, seu «Numinosum» : summa Vis horrenda ac veneranda, mysteriis symbolisque exprimenda, summus valor et adiutorium ultimum. Itaque religio est compensatio necessaria imbecillitatis humanae, *non scientia progenita, nec scientiae progressu labefactanda* — quo haec theoria ex assectatorum mente prae ceteris commendatur. — At *a)* psychologice est impossibile alicuius rei (plane Numinis!) sensum habere, quin prius ratione percipiatur. Etenim *affici non est primum psychologicum,* sed est ut psychologi docent, reactio interior axiologica eorum quae percipiebantur ; sensum ergo Numinis et dependentiae ((«Kreaturgefühl») aliqua cognitio Dei et creationis praecedat oportet. *b)* Ex hac theoria Numen, providentia, remuneratio, auxilium divinum *non ut vera* apprehenduntur (verum enim est obiectum formale intellectus, non sensus affectusque), sed ut «valores» ad vitam humane ducendam necessarii, utique «necessitate non logica, sed vitali», ut isti volunt. At quod non necessario est verum, potest esse opinio vana et falsa. *Falsum autem non potest esse fundamentum firmum* spei nec auxilium solidum ad vitam humane agendam. Tantum ergo abest ut hac theoria religio sarta tectaque adversus impugnationes progressus constituatur, ut etiam funditus evertatur. Ceterum historia testis est religionibus omnibus nihil antiquius fuisse, quam *quae credebant vera habere,* imo revelationi ea tribuere. *c)* Id unum hi «pathetici» recte sentiunt *religione integrum hominem affici* quam maxime, etiam sensum intimum atque cor; et lege psychologica ad ea quibus vehementer afficimur apprehendenda

impulsu quodam adigimur, absque multis considerationibus doctis. Et revera ita plerumque cognitio religiosa paratur : ratione, quae corde trahitur.

3. Universalitas religionis. — Quum religio ipsius naturae humanae radicibus nitatur, tam late patet quam ipse homo, seu est universalis sensu pleno : spatio (extensione), tempore (diuturnitate), vi («intensitate» ut nostri loquuntur).

1. *Extensio.* — *Nulla gens nec olim, neque nunc absque religione fuit.* Quod firmissimum historiae testimonium *non periclitatur relationibus* peregrinatorum vel etiam missionariorum de stirpibus feris areligiosis narrantium. Nam vel obiter tantum, linguae indolisque gentium illarum ignari, vel idea religionis christiana ut norma utentes ista ponebant. Neque valet *exceptio buddhismi* utpote divina omnino neglegentis. Etenim etiam Buddha in beatitudinem supramundanam tamquam in summum bonum intendit, et ipse quoque discrimen fundamentale inter bonum et malum morale admittit, quibus implicite Numen profitetur. Buddhismus deinde ulterior nomine mahayana insignitus deos populares suscepit, imo ipsum fundatorem deum coluit.

Si vero *atheistae nostri* obiciantur, considerandum est *a)* atheismum non ratione sed *voluntatis imperio* progigni, atque ideo neque integras gentes invadere neque suos assectatores generatim diu tenere. *b)* Atheistae utplurimum compensatione quadam *falsa numina* vero substituunt : genus humanum, artes, progressum (uti bolshevistae), quae deinde veneratione religiosa prosequuntur. *c)* Universalitati religionis essentialiter virtuali non derogatur, si quandoque non deducitur in actum, sicuti neque homo desinit esse animal rationale, eo quod quidam ratione actu non utantur.

Ex hac universali religionis extensione colligere licet *veritatem fundamentorum* eius metaphysicorum. «De quo enim omnium natura consentit, id verum esse necesse est» (Cic. Nat. deor. I 17 ; cf. Gent. II 34).

2. *Perpetuitas* futurique eventus religionis. — *Evolutionistae*, imprimis socialistae et quicunque religionem ex ignorantia, timore, egoismo repetunt, plane non dubitant, quin progrediente vera rerum cognitione mundi moderatores iam non dii sint habendi, et pervulgato bono communi iam non fuerit ad spem futurae caelestis remunerationis refugiendum, locumque religionis *cultus humanitasque* sint occupatura. — At *a)* religio altissimis radicibus *in ipsa humana natura* defigitur; et igitur non nisi cum ipsa natura poterit eradicari. Progrediente igitur vera humanitate tantum abest ut religio deficiat, ut etiam laetiora captura sit incrementa. «Opinionum commenta delet dies, naturae iudicia confirmat» (Cic. Nat. deor. II 2). *b)* Quod historia religionum confirmatur. Nusquam enim cultus humanitatisque progressus, uti apud indos tempore magnorum regum (Ashokae etc.), apud graecos tempore Periclis, apud romanos aevo augusteo etc. religionis lapsum moliebatur ; si quando in extremum discrimen vocabatur, ex inopinato semper refloruit.

3. *Intensitas.* — Religio quum in tota natura humana radicetur, totum etiam hominem pervadit : facultates, necessitudines, opera. *a) Intellectui* summi veri, *voluntati* summi boni, cordi perfectae quietis pandit viam, in vitae periculis laboribusque fidum est munimentum. *b)* Omnis *societatis* humanae, familiae, amicitiae, gentis, commercii, pactio-

num certum est fundamentum atque sanctio. *c)* Est omnis *humanitatis* mater atque nutrix. Doctrina et artes a religione progignuntur et inde continuo accipiunt incrementa et appulsus ; et notum ist illud Goethei : omnis humani generis historia nihil est aliud nisi pugna pietatis et impietatis.

Ex quibus apparet *necessitas et obligatio* religionis. Religio non modo utilis est ad vitam vere humanam agendam, ad communitatis salutem firmandam, ita ut religione soluta omnis iam solvatur humana consortio ; quod equidem omnes facile largiuntur. Sed gravis et fundamentalis obtinet etiam obligatio amplectendi religionem. Nam hinc quidem Deus, omnium conditor et conservator et finis, ens absolutum absolute sibi omnia vindicat (§ 24, 3), etiam creaturae rationalis rationalem servitutem seu religionem; inde vero hominem natura sua spiritualis obstringit ad verum bonumque strenue profitendum, quod idem est atque Deum cognoscere et agnoscere (2 II, 81 ; Aug. Mor. Eccl. 30).

Caput 1. Theoria revelationis.

Quaeritur de 1. notione, 2. possibilitate, 3. necessitate, 4. criteriis revelationis ; deinde de criteriis externis singillatim, de 5. miraculo, 6. prophetia.

Tractatus de revelationis theoria. I. Martinez de *Ripalda:* De ente supernaturali I 1634 ; J. M. *Scheeben:* Natur u. Gnade [3]1934 ; Handb. d. kath. Dogmatik I 1873 ; J. *Kleutgen:* Theologie der Vorzeit IV [2]1873 ; R. *Garrigou-Lagrange:* De revelatione [3]1925 ; G. *van Noort:* De vera religione [5]1929 ; A. *Schmid:* Apologetik 1900 ; H. *Schell:* Religion u. Offenbarung [3]1907 ; A. *Gardeil:* La crédibilité et l'apologétique [2]1912 ; J. *Brunsmann:* Religion u. Offenbarung [2]1930 ; J. de *Tonquédec:* Introduction à l'étude du merveilleux et du miracle 1916 ; A. *van Hove:* La doctrine du miracle chez S. Thomas 1927 ; *Spesz* S. : Okkultizmus és csoda 1933.

§ 3. Notio revelationis.

Statuuntur notio 1. supernaturalis, 2. revelationis.

1. Supernaturale. — Quum fons omnis cognitionis theologicae sit ‚revelatio' ‚supernaturalis', diligenter explodenda est utriusque notio.

Supernaturale est contrarium naturali. *Naturale* vero est, quidquid essentia, potentiis, indigentiis naturae continetur ; natura autem (a verbo nasci ; φύσις a v. φύειν; természet a verbo obsoleto termész = tenyész) philosophice est principium quo agendi remotum ; theologice : terminus formalis creationis. *Supernaturale* ergo est *negative* quidquid superat naturae sive essentiam seu principia constitutiva metaphysica, sive indigentias, sive potentias ; *positive materialiter* est donum divinum superadditum naturae, *formaliter* terminus donationis divinae distinctae ab actu creationis.

Quod aliquam naturam seu aliquam entium ordinem excedit, non eo ipso exsuperat omnes omnino naturae ordines ; et tunc est *relative supernaturale*, sicuti materiae vita, animali ratio, homini pura spiritualitas.

Omnem plane ordinem naturae solus Deus superat, cuius ergo participatio immediata («divinae consortium naturae» 2 Pet 1) est creaturae *absolute supernaturale*. Supernaturale *absolutum seu simpliciter* ideo dicitur etiam *secundum deificationem;* relativum vero, seu *secundum quid* etiam *praeternaturale*. Ferme eiusdem tenoris est distinctio supernaturalis *quoad substantiam* seu essentiam, et *quoad modum* seu per accidens.

Omnis vita christiana totumque Christi opus in eo vertitur, ut *ordo supernaturalis* absolvatur atque ad effectum perducatur (I 23; § 74, 3). Cuius haec sunt constitutiva: 1. *Causa finalis* est communio Dei, seu participatio vitae divinae trinitariae, cuius culmen est visio Dei beatifica, lex atque norma omnis vitae et entitatis supernaturalis. 2. Causa *efficiens* est Deus, qui absolute infinitus solus potest actu a creatione distincto naturae a se creatae finem novum praestituere novasque vires ac potentias superaddere. Creatura ex se nihil potest supra se ; nullum enim ens agit ultra suam naturam. 3. Causa *materialis circa quam* seu subiectum (substratum) est creatura, et quidem primarie et per se creatura rationalis, secundarie et propter spiritum etiam materialis; idque reduplicative ut creatura ; ut talis enim potest a Deo causa prima adduci in actum altiorem actu naturali ; quae peculiaris potentia passiva nominatur *potentia obedientialis* (III 11, 1 ; 2II 2, 3). 4. Causa *formalis* est inhabitatio ss. Trinitatis, inchoative per fidem et gratiam, consummative per lumen gloriae.

Omnis theologia genuina in genuina entis supernaturalis doctrina vertitur, quam post Augustinum et Cyrillum Alexandrinum scholastici s. 13. elaborabant, novatores s. 16. et iansenistae depravabant, s. 18. infuscabat. Non enim est supernaturale simpliciter *restitutio naturae integrae* per peccatum originale corruptae, prout volebant novatores et iansenistae, aut quum plurimum, virium naturalium auxilium (Baius, Hermes, Hirscher). Eo minus est mere *suprasensibile* (Kant et protestantes posteriores), vel *extraordinarium* (ita plurimi illorum rationalistarum, qui historiam et psychologiam religionis colunt). Quae omnia per totum hunc cursum theologicum diluentur refellenturque.

2. Revelatio. — Quum revelatio, ἀποκάλυψις, φανέρωσις generatim sit manifestatio rei vel veritatis occultae, *revelatio divina naturalis* ea est, qua Deus se manifestat in rerum natura, ac proinde naturali rationis lumine per ea quae facta sunt cognosci potest. Alia est revelatio *supernaturalis*, i. e. communicatio supernaturalis veritatum et virium religiosarum ; quae ergo non naturali rationis lumine, sed lumine fidei accipitur. Altissimum revelationis supernaturalis genus est revelatio *caelestis*, qua Deus immediate se manifestat sicuti est, nulla mediante specie creata, quaeque lumine gloriae suscipitur. Nunc de revelatione simpliciter supernaturali seu positiva (quae etiam *specialis* dicitur) est sermo, quippe quae sola sit fidei et doctrinae christianae fons.

Haec revelatio distinguitur alia *activa* seu actio Dei revelantis, quae diligenter discernenda est non modo ab actione creatrici, sed etiam a prophetia (§ 8), ab inspiratione (§ 15), ab infallibilitate (§ 83) ; alia *obiectiva* seu ipsa revelata, quae sunt doctrinae, leges, vires, facta, instituta. *Antonomastice* communicatio supernaturalis doctrinarum earumve summa dicitur revelatio.

Revelatio *activa est* aut *immediata*, qua Deus immediate se mani-

festat, sicuti prophetis vel Christo homini; aut *mediata*, quae ab his immediate illuminatis procedit. Item est aut *communis* seu ad omne genus humanum data, aut *privata*, soli accipienti destinata. — Revelatio *obiectiva est* alia *supernaturalis* secundum modum seu *formaliter tantum*, i. e. revelatio supernaturalis veritatum, quae per se rationi humanae naturali imperviae non sunt; alia supernaturalis *simpliciter*, secundum formam et materiam, i. e. veritates, quae viribus naturalibus attingi non possunt, et sunt mysteria (vires simpliciter supernaturales sunt gratia.)

Mysterium sensu theologico est veritas revelata excedens potentiam luminis rationis naturalis. Et est mysterium *absolutum* seu primi ordinis, si propriis rationis naturalis principiis neque inveniri potest: «quae nisi revelata divinitus innotescere non possunt» (Vat. 3 cp 4); neque si innotuerit, interna eius possibilitas ostendi potest; ita «ut etiam revelatione tradita et fide suscepta ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant» (ib.). Ergo mysterium absolutum est veritas religiosa, de qua neque an sit, neque quid sit, rationis naturalis lumine perspicitur, velut sunt Trinitas, incarnatio, Eucharistia. Mysterium *secundum quid* seu secundi ordinis est veritas religiosa, ubi vel an sit (factum), vel quid sit (modus) excedit facultatem naturalem rationis; sic creationis factum ratione evincitur, non modus; primatus Petri quod ad modum attinet, rationi impervius non est, at factum a Christo d. revelatione edocemur.

Revelationis notionem catholicam *vitiant a) pietistae* protestantes et Schleiermacher, quemcunque motum religiosum ad quendam Dei tactum atque impulsum immediatum referendo et revelationis nomine insigniendo A quibus non adeo aliena est *b)* opinio protestantium liberalium et *modernistarum:* revelatio nihil aliud est atque acquisita ab homine conscientia suae ad Deum habitudinis (Lament. 20). *c)* Plerique racionalistae *qui religionis historiae et psychologiae incumbunt*, revelationem in eo constare autumant, quod ideae et affectus religionis a quibusdam excellentioribus hominibus, ab «ingeniis religiosis» maiore vi et vivacitate percipiuntur et ideo «desuper» esse finguntur.

Mysterii notionem catholicam *corrumpunt*, qui omnem *cognitionem occultiorem*, imprimis religiosam, mysterium dicunt; etenim omnis omnino cognitio humana vel dilucidissima, quum non sit comprehensiva, eo ipso manet aliquantum occulta, et ideo ex mente istorum mysterium esset. Alii doctrinas *esotericas*, solis initiatis pervias vel ideam religiosam symbolis expressam mysterium nominant; ita *modernistae*. Infuscatur genuina mysterii notio etiam a *semirationalistis* (protestantes latitudinarii: Tholluk, Martensen; catholici Hermes, Frohschammer, Günther), qui omnia mysteria ita secundi ordinis esse volunt, ut ex revelatione cognito eorum facto philosophiā perlustretur modus.

Hi omnes, rationalistae et agnostici, evolutionistae et anthropologistae (immanentistae), materialistae et pantheistae et deistae non modo genuinam revelationis supernaturalis notionem depravant, verum etiam eius *existentiam, imo et possibilitatem infitiantur*. Quorum contradictio nostris temporibus percrebrescens ut efficaciter redarguatur, apologetice comprobanda est primum possibilitas, necessitas, cognoscibilitas, deinde veritas revelationis, ita tamen ut methodus theologica minime neglegatur (cf. § 20, 3).

§ 4. Possibilitas revelationis.

Statuitur possibilitas revelationis 1. formalis, 2. mysteriorum.

1. Possibilitas revelationis formalis. — THES. **Revelatio formalis est possibilis.** *De fide.*

«*Si qu. d. fieri non posse aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo cultuque ei exhibendo doceatur, a. s*» (Vat. 3 c. 2 rev.). *Revelatio ponitur* hic activa, immediata, formalis, seu secundum modum, cuius obiecta per se non excedunt rationis naturalis captum. *Theologice* probatur thesis facto revelationis (infra cp 2.) ; ex esse enim ad posse valet illatio. Hic *apologetice* est probanda. Apologetice revelatio possibilis est, si non pugnat cum natura Dei, hominis, veritatis philosophice et theologice cognitis. Notandum est genuinum conceptum revelationis utpote entis supernaturalis originem sumere ex ipsa revelatione ; pro dissertatione apologetica tamen potest ex religionum historia hauriri. — Possibilitatem revelationis formalis *negant* praeter materialistas pantheistarum illi, qui rationem humanam opinantur esse entis absoluti de seipso conscientiam, deinde deistae (§ 41), denique omnes rationalistae (infra n. 2.).

1. *Deus*, qui mediate docet homines per ea quae facta sunt, deinde per magisterium parentum, maiorum, virorum insignis ingenii, idem potest etiam immediate. Nam *a) hominibus quoque inest potestas communicandi* aliis suas ideas ; eo magis Deo, qui dedit homini hanc potestatem. *b)* Deus ut creator sensu pleno immediate et intime praesens est omnibus creaturis ; potest ergo ut *causa efficiens prima immediate agere in intellectum humanum*, opus suum, eumque participem facere veritatum divinarum ; idque omnibus modis, quos ipse homini ad enuntianda sua iudicia impertivit : locutione, symbolis, visione, sive externe sive interne, sive vigilanti sive somnium vel extasim patienti exhibita. — Qui vero Deum revelationis actu *mutari* vel opus creationis *corrigere* opinantur, quod utique esset absurdum, falso de Dei immutabilitate sentiunt (§ 27, 1).

2. *Homo* natura sua rationali essentialiter aptus redditur ad veritatem simpliciter cognoscendam, sive proprio ingenio, sive ope alieni magisterii. Imo plus *magisterio indigemus*, quam proprio ingenio debemus, praesertim ubi de veritatibus sublimioribus quaeritur.

Neque audiendi sunt *rationalistae* nostri fingentes *a)* revelatione *evolutionis humanae cursum vi turbari;* quasivero etiam ingenio virorum praestantium turbetur et non magis iuvetur progressus humanitatis ! — *b)* Revelatione cognitio absoluta atque perfecta homini praebetur, qua ergo *ut mere passive se habeat* nec propria industria laboret, inducitur. At revelatione utpote operatione Dei cooperatio creaturae minime cohibetur, imo quam maxime excitatur, ut veritate catholica de concursu Dei docemur (§ 41, 2).

3. *Veritas* etiam naturali rationi pervia potest esse obiectum revelationis (utique mere formalis). Etenim veritates naturales, praesertim sublimiores in quibus maxime religiosae, etiam ratione iam perceptae, *semper aliquid obscuri* retinent ; ab altiore ergo ingenio, imprimis a Deo, semper plus claritatis et certitudinis eis addi potest. Neque ullo modo repugnat, ut aliquid propriis viribus pervium etiam dono detur, et ut

eadem veritas *gemino motivo* propriae inventionis et altioris magisterii suscipiatur atque teneatur.

COROLL. *Possibilis est revelatio mediata.* Non enim adversatur Dei potentiae, ut quospiam immediata revelatione donatos criteriis instruat, quibus ab hominibus ut legati divini dignoscantur (§§ 6—8), et ut revelationis depositum sine alteratione servetur et communicetur (tract. 6). Iam vero ex his duobus possibilitas revelationis mediatae pendet. Neque est contra *sapientiam Dei* iam in providentia naturali manifestam, ut quibusdam plus ingenii auctoritatisque tribuat, per quos deinde ceteris opituletur. *Homo* vero iam natura sua disponitur, ut *procuratores recipiat*, praesertim in rebus sacratissimis, uti israelitae «dicentes Moysi : loquere tu nobis, et audiemus ; non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur» Ex 20. — Neque ferendi sunt qui cum *Rousseau* dictitant se immediatae revelationi proniores aures praebere ; quos Christus d. in parabola de Lazaro reicit Lc 16, 31.

2. Possibilitas revelationis mysteriorum. — THES. **Revelatio mysteriorum possibilis est.** — *De fide* ex Vat. (3 c. 3 revel.) : *Si qu. d. hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse . . . a. s.*»

Synodus mysteria intellegit non modo relativa, sed absoluta : «*Si qu. d. in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri*, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intellegi et demonstrari, a. s.» (3 c. 1 fid. et rat.). Existere vera mysteria, imprimis Trinitatis, incarnationis, Eucharistiae, peccati originalis et gratiae, comprobat theologia dogmatica. Quo *theologice* coarguitur etiam possibilitas (illatione ex esse ad posse). *Apologetice* vero probatur sic :

1. *Deus potest habere a) mysteria relativa.* Quum enim sit ens maxime personale, potest consilia sibi proponere, quae nisi ipse ea manifestare velit, semper nos latebunt. Et quum ut ens infinitum a nobis analogice tantum cognoscatur (§ 24, 3), multa potest et continere et agere, quae ab intellectu finito nunquam penitus perspiciuntur (Gent. IV 1). Sed *potest habere etiam b) mysteria absoluta.* Etenim ratione cognosci potest Deum esse ipsum esse subsistens seu ens a se (§ 24) ; ergo necessario et semper excedit omnem intellectus creati proportionem.

Quod ab iis tantum in dubium vocari potest, ex quorum opinione Deus omnem suam naturam («naturantem») necessario in mundum (naturam «naturatam») infundit et imprimit ; ergo *pantheistae*, necnon *theistae optimismum* metaphysicum profitentes, qui sc. asseverant Deum teneri mundum optimum creare, nihil igitur ei remanere mundo creato superaddendum. Utique falso omnino (§ 26. 40).

2. *Homo capax est mysteriorum etiam absolutorum recipiendorum.* Nam mysterium est *veritas;* etenim nihil aliud est atque enuntiatio de Dei vel essentia vel operatione vel opere ; iam vero Deus est ipsa veritas (§ 28). Intellectus vero humanus, eo ipso quia intellectus, capax est veritatis simpliciter absque restrictione ulla. Licet enim obiectum proprium intellectus humani sit intellegibile in sensibili (I 85, 1 ; 87, 3 ; 2 II 8, 1), obiectum adaequatum est ens simpliciter, absque restrictione (I 79, 7 ; 12, 4 ; Verit. 1, 1 ; Comp. 104) ; ergo propter analogiam entis etiam Deus ut Deus, seu etiam prout Esse divinum mysteria continet.

Huic argumento adversantur *rationalistae*, quorum communis doctrina est inde a sophistis : ἄνθρωπος μέτρον πάντων, seu rationem humanam esse normam et mensuram omnis veritatis, ita ut quod ratio per se invenire et perspicere non potest, reiciendum sit ut non-veritas. Quod principium deinde rationalistae anthropologici ita revelationi applicant : Quae a christianis mysteria habentur, sunt experientiae religiosae humana industria acquisitae, vix ratione perceptae, symbolice expressae ; ita rationalistae *biblici* inde a Spinoza cum *modernistis*. Vel sunt veritatum et praeceptorum naturalium accomodationes paedagogicae pro rudibus erudiendis; ita Kant et *humanistae* s. 18. *Theosophistae* vero (J. Böhme protest., Frohschammer et Günther cath.) sperant fore ut ope verae philosophiae (puta ab ipsis excussae) veritatum rationalium indolem sumant. Denique *fideistae* et protestantes orthodoxi ea coram ratione falsa esse putabant, fide tamen teneri debere («duplex veritas»; «credo quia absurdum»). — Quibus omnibus optime respondet Thomas (Gent. I 3) : Sicut maximae amentiae esset idiota, qui ea quae a philosopho proponuntur falsa esse assereret, quia ea capere non potest, ita et amplius nimiae stultitiae esset homo, si ea quae divinitus revelantur falsa esse suspicetur ideo quod ratione investigari non possunt. Seu : *existit et intellectus supra humanum;* humanus ergo non potest esse sive fons, sive norma omnis veritatis.

3. *Deus potest mysteria revelare hominibus;* seu non est contradictio in terminis revelatio = manifestatio mysterii = arcani, manentis etiam post revelationem seu manifestationem occultum. Etenim mysterium quum sit veritas, *habet faciem lucidam*, rationi humani perviam ; potest enim enuntiari terminis saltem analogis, seu potest hoc sensu manifestari. Habet etiam faciem *alteram obscuram*, sicut columna praelucens israelitis in deserto ; superat enim essentialiter intellectum creatum, et ex hac parte manet arcanum etiam post manifestationem.

DIFF. 1. Mysterium, veritas divina quum ab hominibus suscipitur, necessario *elementis humanis commiscetur* ac proinde depravatur. — *Dist. :* Veritatis susceptionem subiectivam humanis misceri *C*, ipsam veritatem obiectivam *N*, et *N* consequens. — Si haec modernistarum obiectio valeret, penitus impossibilis redderetur omnis omnino veritatis communicatio : omne enim quod recipitur, recipitur secundum modum recipientis.

2. Etiamsi immediata mysterii revelatio possibilis admittitur, penitus est impossibile, ut legatus divinus novam hanc et plane *singularem suam cognitionem aliis fideliter enuntiet*, sicuti nec enthusiasta alios participes facere potest eorum quae ipse senserat. — Iterum *dist. :* Non potest tradere sensum et affectum subiectivum revelatione elicitum *C*, ipsam veritatem obiectivam *N*.

ADDIT. *Revelatio mysteriorum utilis est* et ideo non repugnat Dei sapientiae. Id utique aposteriori, i. e. revelatione iam facta tantummodo probatur : *a)* Mysteria sunt maiestatis divinae signa manifestissima, et igitur *humilitatis incitamenta* et medicina quam efficacissima superbiae intellectus, omnium periculosissimae. *b)* Sunt nihilominus *comitatis divinae pignora*, ipso Christo d. testante : «Iam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos ; quia quaecunque audivi a Patre meo, nota feci vobis» Jn 15. Neque est ulla alicuius nominis religio, quin mysteriis glorietur. *c)* Mysteria ut veritates eaeque superiores non sunt contra rationem, sed secundum (licet supra) rationem ; et proinde incitant et invocant intellectum ad investigandum, et quum multipliciter intellectui pervia sint (§ 19), sunt *fons* et fomes inexhaustus *cognitionis theologicae*.

§ 5. Necessitas revelationis.

Statuitur necessitas 1. physica, 2. moralis; 3. convenientia revelationis.

1. Necessitas physica. — THES. **Revelatio homini physice est necessaria in hypothesi finis supernaturalis.** *De fide* ex Vat. (infra).

EXPLIC. *Necessarium* dicitur in ordine spirituali medium vel potentia, sine qua finis praestitutus obtineri nequit. Si penitus deest potentia, finis tamen est intendendus, necessitas est *physica.* Si adsunt quidem vires, nihilominus sine adiutorio finis non obtinetur sive propter debilitatem virium seu facultatum, sive propter difficultates quibus obstruitur, necessitas dicitur *moralis.* Thesis necessitatem revelationis supernaturalis, eiusque absolute et non formaliter tantum statuit, eamque conditionatam : revelatio est necessaria, si homo ad finem supernaturalem destinatur.

DEMONSTR. Convenit homini seu ut homini, ut enti spirituali *vitam instituere propter finem* (1II 1, 1). Ad hoc autem physice necessarium est nosse finem eiusque media, et praeditum esse viribus ad finem efficaciter prosequendum proportionatis. Si ergo homini praestituitur *finis supernaturalis,* qui ex definitione exsuperet absolute vires naturae humanae, desunt ei vires ad finem istum et cognoscendum et prosequendum, nisi supernaturaliter conferantur (Verit. 14, 2). Physice ergo homini necessarium est, ut finis eiusque media a Deo manifestentur : revelatio ; necnon ut vires proportionatae ad finem istum et apprehendendum et prosequendum addantur : gratia.

Quum Deus, qui ad hominem supernaturaliter elevandum non tenetur, id revera praestiterit, *necessitas* ista conditionata *facta est absoluta:* «Revelatio absolute necessaria dicenda est, quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda sc. bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant» (Vat. 3 cp 2 fid.). Idem concilium anathematizat eos qui dixerint hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem iugi profectu pertingere posse et debere (3 c. 3 rev.). Veritas haec *dogmatice probatur* probata necessitate fidei, gratiae, luminis gloriae (§ 70. 75. 117).

2. Necessitas moralis. — THES. **In praesenti generis humani conditione revelatio (formalis) ad congruam religionis naturalis cognitionem moraliter et disiunctive est necessaria.** *Certum.*

EXPLIC. Docet *Vat.* 3 cp 2 : «Divinae revelationi tribuendum est, ut ea quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione *ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore* cognosci possint.» Sensus thesis est hic : *a) Religio naturalis* de cuius cognitione thesi agitur, complectitur veritates fundamentales de Deo uno, ente absoluto, transcendenti, personali, gubernatore et remuneratore, de anima humana spirituali, libera, immortali, de cultu Deo praestando, de lege morali naturali, prout decalogo enuntiatur. Thesis loquitur *b)* de *cognitione congrua,* seu expedita, certa, erroris experti, *c)* idque *pro toto genere humano;* non vult ergo impossibilem dicere aliquorum virorum eximii ingenii cognitionem religiosam naturalem ; *d)* et *pro hac humani generis conditione,* quam experientia et historia exhibet; quam utique lapsum esse fide edocemur ; nihil ergo de statu naturae purae

enuntiat. *e) Necessitatem moralem* et non physicam asserit; non ergo asseverat omnino deesse vires naturae ad religionem exercendam, prout novatores, fideistae, tradicionalistae (n. 3) volunt; *f)* eamque *disiunctivam*. Compertum est enim potuisse Deum impotentiae illi morali aliis quoque modis ac revelatione occurrere, v. g. suscitando ordine viros et scientia et auctoritate ad tollendam infirmitatem religiosam humani generis praeditos. Quum Deus de facto dederit revelationem, eamque absolutam (n. 1), disiunctio thesis quoque in hunc sensum dirempta est. Thesi ergo enuntiatur revelationem (utique mere formalem) in praesenti moraliter necessariam esse, etiam praecisione facta finis supernaturalis.

DEMONSTR. 1. *Noetice*, ex conditione praesenti ingenii humani. «Ad ea etiam, quae de Deo ratione humana investigari possunt, necessarium fuit hominem instrui revelatione divina; quia veritas de Deo per rationem investigata a paucis, et per longum tempus, et cum admixtione multorum errorum homini proveniet; a cuius tamen veritatis cognitione dependet tota hominis salus, quae in Deo est» I 1, 1 (cf. 2II 2, 4; Gent. I 4; Aug. Util. cred. 10).

2. *Ethice*. Si moralis destinatio restringatur ad *officia erga seipsum et societatem*, facile apparet, hominem quoad finem moralem, fundamentum ordinis moralis, leges et sanctionem legum absque revelatione in eadem miseria esse atque quoad veritates religiosas: paucissimi tantum, iique post longum tempus et non sine admixtione errorum ad eorum cognitionem venirent, quae tamen omnibus expedite, certo et plene sunt necessaria; imo maior erit miseria, quia cognitio moralis utpote practica opinionibus praeiudicatis, voluntatis scurrilitate, sensibus ad commodum proclivibus, mundi illecebris multo magis praepeditur quam cognitio magis theoretica veritatum religiosarum.

Si vero ordo moralis sensu eo largiore accipitur, quo etiam obligationes religiosas, *erga Deum* inquam, complectitur, iterum patet absque revelatione *a)* incertum manere, quomodo *Deus colendus* sit, prout Ps. Platon fatetur: non potest homo scire, utrum recte oret, nisi a Deo doceatur (Alcib. 2). *b)* Peccator absque revelatione non potest certior reddi de *remissione* obtenta (1II 109, 7); etsi enim peccare sit solius hominis, remittere est etiam Dei. *c)* Observatio *totius legis* moralis diuturna atque diligens, quae norma ethica postulatur, impossibilis est absque auxilio gratiae (§ 70, 2); atqui gratia, etiam medicinalis, est pars adnexa revelationis.

3. *Historice*. Historia religionum testis est homines sibi relictos in gravissimos errores et turpissima exercitia de Deo, homine, fine hominis, cultu, vita morali impegisse; ex quo via facti evincitur non posse hominem absque supernaturali Dei adiutorio infirmitati religiosae et morali mederi. Etenim quum tot gentes et ingenia, per tot saecula defecissent, non videtur, undenam et quinam animum ad faustiora renovent.

Non est illud unquam a *philosophia* exspectandum, quippe quae summae veritatis et certa scientia et auctoritate et zelo apostolico careat. Neque a *progressu cultus humanitatisque* id praestabitur, iam vel ideo, quia cognitio religiosa salutaris nunquam non erat necessaria, nec suspendi

potest, dum humanitas adeo progrediatur, ut inopiae religiosae iam consulere possit ; quod utique et ipsum gratis speratur. Nihil ergo mirum, quod omnes religiones sublimiores, uti vedismus, brahmanismus, parsismus, imo etiam aegyptii, chaldaei, graeci (cf. Plat. Pol. II 4 p. 361; Phaed. p. 85 ; Plutarch. Isid. 1) nomen revelationis suis opinionibus religiosis vindicabant.

DIFF. Qui thesim praestitutam defendunt, largiuntur *revelationem iam esse datam*. Nihilominus et historia et nostrum tempus testis est *perseverare miserias*, in quorum remedium revelatio repetitur. — RESP. *a)* Infirmitati humanae per revelationem obiective et virtualiter, *secundum sufficientiam subventum est;* imo si historia et nostrum tempus sine ira et studio examinatur, haud levia signa inveniuntur id fieri etiam actualiter et secundum efficientiam (cf. § 13). *b)* Revelatio, sicut omnis Dei concursus minime tollit liberum hominis arbitrium et cooperandi officium ; non ergo vi quadam se imponit, sed *libera cooperatione* ad effectum perducenda est. «Non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus»! Zach 4.

4. *Theologice. Scriptura* docet posse hominem per ea quae facta sunt, Deum cognoscere (§ 22) ; nihilominus fatetur Deum de facto argento et auro et lapidibus et arti et cogitationibus hominum similem esse putatum Act 17. *Patres* acerrime paganos, imprimis philosophos eorumque impotentiam religiosam impugnant ; ita *Tert.* Apol, Ad nat. ; *Theoph.* Autol. ; *Clemens Al.* Cohort. ad gent. ; *Cypr.* Idolor. vanit. ; *Lactant.* Div. inst. III 1; IV 1; *August.* Civ. II.

DIFF. Si revelatio est necessaria, tunc ante revelationem in supposito a Christo datam omnes gentes iudaeis exceptis, imo aliquando omnes omnino homines revelatione destituti in *discrimen salutis* vocabantur. — At probabitur simul ab exordio generi humano revelationem esse datam (§ 14).

3. Convenientia. — 1. *Revelatio non est absolute necessaria, sed est libera Dei comitas.* Tunc enim esset revelatio absolute necessaria dicenda, si vel Dei essentia vel hominis natura eam exigeret.

Dei essentia postulari revelationem *pantheismus* opinatur docendo Deum ut naturam naturantem necessario omnem suam essentiam in mundo, natura naturata manifestare. Quod graviter est falsum (§ 26, 2). E contrario quum Deus sit ens omni perfectione infinitum, nec ut creet necessitatur, nec si creare vult, omne quod est, creatione exprimere tenetur, quum sit liber in actibus ad extra. Imo pugnat mundus adaequate manifestans Deum (§ 40). — Eo ergo tantum sensu a theistis revelatio necessaria asseri potest, quod Deus sibi, i. e. suae sapientiae, sanctitati, bonitati debet, ut creaturae rationali revelatione occurrat, quasi alioqui manca esset. Quod equidem *protestantes orthodoxi, iansenistae, traditionalistae* asseverant docentes hominem absque adiutorio revelationis penitus incapacem esse veritatum religiosarum et moralium quarumcunque inveniendarum. Quod iterum falsum est. Inest enim homini potentia physica cognoscendi Deum verum (§ 22) et animae spiritualitatem (§ 47) ; nec deest ei vis moraliter honeste agendi (§ 70, 4). Ergo revelatio nullo titulo est debita hominibus, sed est gratuita omnino.

2. *Conveniens est revelatio formalis*, etiamsi abstrahatur a necessitate morali supra statuta. Etenim *a)* quum religio sit ordinatio hominis in Deum principium et finem, *religionis exercitium eo est perfectius*, quo manifestius Dei existentia atque personalitas, veritas ordinis moralis, spes vitae aeternae animae exhibetur. Atqui ista omnia revelatione, seu dictis et factis divinis longe efficacius praesentantur, quam si ex operibus

Dei tamquam e speculo et aenigmate eruuntur. *b)* Factis et dictis Deus historiam et vitam humani generis immediate ingreditur, et sic *facilior accessu* et certior cognitu redditur. *c)* Deus immediate : locutione, factis, apparitionibus se manifestans *motiva quam efficacissima* ad apprehendenda invisibilia et ad repellendas illecebras huius saeculi praebet. Revera historia et psychologia religionis est testis vitam religiosam laetiorem nonnisi praesidio revelationis — sive factae sive fictae — florere.

3. *Conveniens est revelatio absoluta.* Quum utilitas revelationis mysteriorum iam utcunque sit adumbrata (§ 4, 2), hic ipsa radix omnis elevationis supernaturalis, potentia obedientialis est perquirenda, et probandum est convenire homini elevari ad immediatum consortium vitae Dei trinitariae, quod gratia sanctificanti inchoatur et visione beatifica perficitur.

Ex doctrina s. Thomae (III 11, 1 ; Verit. 1, 10 ; Comp. 104) **potentia obedientialis** formaliter non dicit ordinem ad aliquem actum vel obiectum sicut ceterae potentiae, sed ad agens superioris ordinis, per excellentiam ad Deum utpote agens supernaturale absolutum ; et sic «in tota creatura est quaedam potentia obedientialis, prout tota creatura obedit Deo ad suscipiendum in se, quidquid Deus voluerit» (Verit. 1, 10 ad 13). Est ergo aptitudo creaturae ad obediendum Deo, ad suscipiendam eius operationem ; seu est *potentia passiva* et nullo modo activa ; eo tantum fit activa, quod Deus supernaturaliter agens in creaturam, eam aptam reddit ad cooperandum secum. Nihilominus *non est mera indifferentia* sive ad elevationem sive ad non-elevationem supernaturalem, prout post Caietanum molinistae (Medina, Molina, Suarez, Vasquez et multi recentiores) volunt; sed creatura rationalis *appetitu naturali seu innato,* non solum elicito (quod quidam molinistae quoque largiuntur cum Suaresio), inclinat ad perfectionem suam, cuius culmen est visio beatifica.

Hac doctrina *gratuitas elevationis* supernaturalis minime periclitatur; namque appetitus visionis, licet sit innatus, ex se et in se tamen est inefficax, seu ex propriis naturae viribus et exigentiis ne levissimo quidem appulsu in finem agitur, qui ideo nullo pacto est debitus — in hoc impingunt theologi *augustiniani* (cf. § 21, 3) affectum istum ex se efficacem autumantes, cui ex decentia Creatoris satisfieri debeat; et est conditionatus : tunc demum in actum deducitur, si revelatio, ad quam inducendam nihil omnino potest, ei praesentatur. — *Neque* ex hoc capite creatura rationalis *infelix* erit, si elevatio supernaturalis ei denegetur ; etenim hinc quidem in naturalibus neque tunc deficiet, illinc vero appetitus ille hanc quoque comitem habet sapientiam : generatim maior est capacitas passiva quam vis activa etiam in aliis, quin inde animae quies turbetur, si adsunt necessaria.

Hac genuina s. Thomae doctrinae id unum praedicatur elevationem supernaturalem, atque ideo revelationem non esse contra, sed penitus *secundum naturam;* «Visio seu scientia beata est quodammodo supra naturam animae rationalis, in quantum sc. propria virtute ad eam pervenire non potest ; alio vero modo est secundum naturam ipsius, in quantum sc. per naturam suam capax est eius, prout sc. ad imaginem Dei facta est» III 9, 2 (cf. I 12, 1 ; Gent. III 50—2).

Thomam utique *non omnes ita interpretantur;* haec tamen videtur esse eius et veterum thomistarum, immo et Scoti necnon Bellarmini genuina sententia.

§ 6. Criteria revelationis.

Statuitur 1. existentia, 2. genera, 3. valor criteriorum.

1. Existentia. — THES. **Existunt criteria revelationis.** *De fide.* Vat. (3 c. 3 fid.) eum anathematizat, qui dixerit «*revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse*»

EXPLIC. Criteria sunt signa seu notae, quibus ratione certo cognosci et dignosci potest factum revelationis. Sunt ergo *motiva credibilitatis,* seu efficiunt, ut susceptio revelationis ut revelationis, i. e. fides (§ 18) sit rationabile obsequium. Diligenter ergo distinguendum est inter *motivum fidei,* quod est auctoritas Dei revelantis, et motivum credibilitatis, quod est ratio, qua evidens redditur illud iudicium : Hoc est a Deo revelatum, ergo credibile imo credendum. Id quo evidens redditur revelationem esse factam, est criterium. — Thesi agitur de criteriis revelationis mediatae. Utique *etiam revelatio immediata praedita est criteriis,* imo subiectum immediatae revelationis, propheta tunc tantum est testis et praeco idoneus revelationis, si infallibiliter iudicat verum esse et immediate a Deo oriri quod ei panditur. Necesse ergo est, ut cum et in revelatione ei infundatur lumen propheticum elevans et adiuvans ipsum ad duo ista iudicia formanda (de quo fuse 2 II 171, 2. 5 ; 173, 2 ; Verit. 11 : de magistro). — Adversantur *rationalistae* cum impossibilitate simul et incognoscibilitatem revelationis asserentes.

DEMONSTR. **Scr.** Legati divini inde a Moyse multum adlaborabant, ut coram hominibus suam missionem atque doctrinam comprobent. Ipse *Christus* auditores frequenter ad scrutandas Scripturas necnon ad opera sua consideranda remittit : «*Ipsa opera quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me*» Jn 5 ; discipulis Ioannis Baptistae opera a se facta commendat Mt 11. Imo Ioannes hunc ponit finem sui evangelii : «*Multa quidem et alia signa fecit Iesus . . . Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus, filius Dei*» Jn 20. Et omnes prophetae et apostoli in id intendunt, ad quos Petrus suos hortatur : «*Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quae in vobis est spe*» 1 Pet 3. Imo «qui cito credit, levis est corde» Sir 19. — **Tr.** Patribus familiare est illud *Aug.:* «Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum» (Praed. sanct. 2, 5 ; cf. Vera rel. 24). Iam multo ante *Tert.* fatetur : temere credi, quodcunque sine originis agnitione creditur (Marc. V 1) ; et iam apologetae diligenter rationes fidei, imprimis prophetiam exponunt (cf. Iust. I 3 ; Orig. Cels. I 2).

R.—1. *Possunt existere criteria.* Etenim Deus est ipsa veritas, etiam Deus revelans. At ex doctrina sanae philosophiae sunt *criteria, quibus veritas* cognosci et a falso dignosci potest. Ceterum si etiam virorum eximii ingenii dicta talibus sunt insignita notis, ut a spuriis etiam post multa saecula certo dignosci possint, nimis absonum est opinari dicta Dei non posse eadem efficacia obsignari. — 2. *Debent existere.* Etenim *homo tenetur amplecti religionem revelatam,* si existat. Tenetur enim generatim ad religionem, et peculiariter ad revelatam, partim ideo quia alioqui a fine deficeret, partim quia «a Deo tamquam creatore et domino suo dependet et ratio

creata increatae veritati penitus subiecta est» (Vat. 3 cp. 3) ; quare penitus falsus est *liberalismus* opinans «rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit» (Vat. 3 c. 1 fid.). Cuicunque ergo prudens dubium suboritur se nondum verae religionis esse participem, tenetur inquirere in veram, ergo etiam in revelatam. At huic obligationi, omnium humanarum summae, satisfieri nequit, si revelatio ut talis non potest certo cognosci, seu si criteriis caret.

DIFF. *rationalismi*. Criteria *vel continentur ambitu veritatum mera ratione naturali perviarum*, et tunc etiam revelatio, cuius susceptio ipsis nititur, pariter est secundum capacitatem rationis naturalis, ergo secundum philosophiam et non secundum fidem ; vel vero excedunt ambitum rationis naturalis, et tunc nihil valent ad discernendam ratione revelationem. — RESP. Criteria non sunt norma, suprema auctoritas et motivum credendorum (fidei *quae* creditur), quod est sola auctoritas Dei revelantis ; sed sunt normae, signa et notae, quibus factum revelationis ut tale cognoscibile et credibile redditur rationi ; ergo sunt *praeambula* credendi (fidei *qua* creditur). Nec est noetice impossibile, ut evidenter et certo cognoscatur testem aliquem esse fidedignum, quin ipsum eius testimonium perspiciatur. *Criteriis non fides redditur evidens seu ratione accipienda, sed credibilitas.* — Et sic solvitur etiam *difficultas fideistarum:* Periclitatur supernaturalitas fidei, si criteriis nitatur rationalibus. Criteria enim non sunt motiva, sed conditiones fidei (§ 18, 2).

2. Genera. — Quum criteria sint motiva, quibus credibilitas revelationis evincitur, aliter de ipsis criteriis sentiunt, qui aliud vel de fide vel de revelatione opinantur.

1. *Rationalistae a) illuminati*, qui ubi plurimum, admittunt revelationem formalem eamque ut adiumentum paedagogicum generis humani, unicum criterium habent conformitatem religionis cum principiis et exigentiis rationis practicae. Ita Kant (Religion innerhalb der Grenzen der bloszen Vernunft 1793). *b) Semirationalistae*, imprimis Hermes admittunt factum revelationis mysteriorum, cuius criterium autem ex eorum sententia est conformitas etiam mysteriorum cum «vera», hoc est, ipsorum philosophia. *c)* Protestantes liberales cum Schleiermacher docent : criterium est conformitas religionis et doctrinae et institutionum cum aspirationibus et exigentiis sensus religiosi. Quibus accedunt *modernistae*, qui admittunt factum revelationis, cuius supernaturalitatem utique non diserte docent.— Qui *immanentiae* apologiam profitentur (galli, imprimis M. Blondel : L'action 1893 ; L. Laberthonnière : Essais de philosophie réligieuse 1903 ; cf. P. Schanz : Über neue Versuche der Apologetik 1897 ; A. de Poulpiquet: L'obiect intégral de l'apologétique 1911) eo istis appropinquant, quod criteriis a catholicis generatim laudatis praeferant imo his temporibus unice utilem habent conformitatem religionis cum aspirationibus nobilioribus animae humanae («actione» ad infinitum tendentis), nulla alia atque catholica religione satiandis. Ex eorum enim sententia intima animae experientia de suo desiderio et exigentia veri sanctique naturam superantis est punctum, quo supernaturale e revelatione veniens naturae inseritur ; hic ergo istud apologetice prehendatur oportet. — 2. *Pseudo-supernaturalistae* (fideismus) : *a) Veteres protestantes* tamquam unicum criterium appellant «privatam inspirationem», immediatum testimonium internum Spiritus s. *b) Traditionalistae* criterium omnis veritatis, etiam revelatae, habent conformitatem cum fide ac persuasione communi generis humani.

Ex genuino fidei conceptu *catholico* vero id tantum verum criterii nomen meretur, quod *a)* nonnisi Deum auctorem immediatum habere

potest ; *b)* quod aptum est quo significetur revelationem esse factam ; *c)* quod noetice est obiectivum, seu et in se et ut revelationis signum certo et obiective cognosci potest. Quorum si vel unum desideretur, criterium praetensum non est motivum aptum, quo iudicium credibilitatis vere certum reddatur; quod tamen est conditio sine qua non iudicii credenditatis et actus fidei (§ 18).

Satis est utique, ut *criteria certitudinem moralem* progignant. Etenim credibilitas revelationis in credibilitate testimonii legatorum divinorum nititur ; cuius facti certitudo non est physica vel plane metaphysica, sed solum moralis ; ex constantia enim ingenii et morum humanorum enascitur. Et talis satis est ad humane ac prudenter agendum in rebus etiam gravissimis, v. g. in reo capitis damnando, in bello indicendo. Neque hōc afficitur supernaturalitas vel firmitas actus fidei, quippe cuius motivum non sit ullum criterium revelationis, sed sola auctoritas Dei revelantis.

Quaenam signa postulatis istis satisfaciant, apriori statui non potest. Id unum ex idea Dei veri colligitur : quum Deus sit summa *potestas et sapientia et sanctitas*, nihil potest criterii nomine haberi, ubi istorum aliquid deficiat. Alioqui ex facto et fontibus revelationis etiam criteria eruuntur, quorum genera praecipua a Vat. (3 cp 3) enumerantur et a cl. Garrigou-Lagrange in hoc systema prae ceteris commendandum rediguntur :

1. *Criteria externa*, quae sunt extra conscientiam hominis inquirentis in factum revelationis. Et sunt vel *extrinseca* religioni revelatae : miracula et vaticinia, vel *intrinseca:* sublimitas doctrinae et vis sanctitatem progignens, imprimis in vita mirabili Ecclesiae. 2. Criteria *interna*, quae sunt intra conscientiam inquirentis ; et iterum sunt aut universalia, sc. harmonia cum aspirationibus nobilissimis et altissimis humanae naturae : veritatis, perfectionis, iustitiae, beatitudinis, aeternitatis, Dei ; vel individuales : beatitudo, gaudium, pax ex suscepta religione promanans, quae mundus dare non potest.

3. Valor.

1. *Falsum est criterium fideismi.* Imprimis *testimonium internum et privatum Spiritus s.*, prout a protestantibus orthodoxis accipitur, experientia sc. immediata redemptionis et iustificationis personalis, est *a) mere subiectivum* quid, et igitur non potest esse criterium obiectivae veritatis ; experimentum crucis est, quod religiones quaedam, evidenter falsae, huic criterio insistunt, uti buddhismus. *b)* Nititur principio materiali protestantismi («sola fides»), quocum et ipsum cadit (cf. § 75). *c)* Est etiam *contra principium formale protestantium* («sola Scriptura»). Legati enim divini, imprimis Christus longe alia criteria appellant (§ 7. 8). Quae ab ipsis invocantur : «Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei» Rom 8 ; «Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos ; sed sicut unctio eius docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium» 1 Jn 2 (cf. etiam 1 Jn 6, 44 ; Jn 8, 47 ; 12, 37 etc.), non sunt ad rem. Id enim *α)* inculcant : gratiam illuminationis esse necessariam ad fidem evangelii eliciendam. Deinde *β)* Spiritus s. ut principium et pignus sanctitatis, sapientiae, amoris divini vere est testis supremus veritatis revelatae : «*Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas*» 1 Jn 5 ; ergo non ut principium experientiae subiectivae et igitur incertae omnino, sed ut

principium personale absolutum omnium testimoniorum obiectivorum, quibus ipse interna illuminatione pium credulitatis affectum addit ; prout Vat. (3 cp 3) profitetur : «Voluit Deus cum internis Spiritus s. auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta».

Traditionalismi criterium implicat: Si enim omnis veritatis criterium est consensus humani generis vel auctoritas traditionis, ipse consensus ille unde dignoscitur? Traditionalismus omnem veritatis cognitionem fundamento logico destituit, et igitur destruit.

2. *Falsum est criterium immanentismi*, Schleiermacheri inquam et modernistarum. Nam *a)* ponit revelationem nihil aliud esse atque germina quaedam sensus religiosi ad maturitatem perducta ; ergo *negat revelationis supernaturalitatem;* id quod rationalistae alii explicite, Schleiermacher occulte, modernistae et semirationalistae implicite faciunt. *b)* Ponit religionis esse satisfacere aspirationibus et desideriis irrationalibus, ubi plurimum, moralibus ; ergo negat revelationem esse summam veritatum obiective attestandarum et intellectus assensu accipiendarum. *c)* Quum experientiam religiosam (das religiöse Erlebnis) ultimam instantiam assensus ponit, *criterium penitus subiectivum* statuit, quod nihil valet ad rationale iudicium credibilitatis fundandum. — *Arguit* immanentismus : Quidcunque nobis ut revelatum vel revelati annexum exhibetur, per conscientiam humanam (prophetae, legati divini) exhibetur ; ergo non potest eadem conscientia probari illud revelatum praetensum *excedere conscientiae limites*, seu esse originis supernaturalis. *At* si hoc verum esset, actum esset de omni omnino certa cognitione veritatis transcendentis conscientiam, veluti est cognitio mundi externi independentis a nostra conscientia. Verum enimvero noetice exploratum est existere criteria, quibus de quibusdam conscientiae contentis probatur, ea originem ducere e mundo transcendenti. Et idem noetice praestant etiam criteria revelationis obiectiva.

3. *Criteria interna, etiam universalia, distributive sumpta non sunt criterium sufficiens revelationis.* Criterium sufficiens est, quod possibile reddit iudicium saltem moraliter certum credibilitatis. Iam vero criteria interna, i. e. harmonia religionis cum aspirationibus nobilissimis earumque satisfactio *per se probabile reddit* quidem istam esse revelatam, sicuti in discipulis Emmaum petentibus : «Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, quum loqueretur in via»? Lc 2 4,quod et ipsa Scriptura commendat : «Gustate et videte, quoniam suavis est Deus» Ps 33. At per se non potest arcere prudens dubium de indole non-supernaturali illius doctrinae (1II 112, 5). Id confirmatur religionum historia : multi pacem felicitatemque summam experti sunt in religionibus manifeste falsis : buddhismi, theosophiae, sectarum protestantium (v. g. Salvation Army dictae) etc. *Per accidens* utique tale testimonium internum individuale vel singulare *certitudinem subiective sufficientem parit*, ut in conversione Pauli Act 9, Matthaei Mt 9, Lydiae Act 16.

COROLL. *Methodus*, quae dicitur *apologia immanentiae*, *est insufficiens* et insuper suspicionem movet, quod criteria externa contemnat.

4. *Criteria interna universalia collective sumpta sunt criterium sufficiens.* Quod enim doctrina quadam religiosa omnia desideria et exigentiae altissimae naturae humanae perfecte satiantur, imo ultra, non potest causam sufficientem habere ipsam naturam humanam, cuius tantae sunt infirmitates et imperfectiones, ut vel ex ipsis moralis necessitas revelationis (formalis) probetur. Quod criterium ut efficaciter proponatur, non mediocre ingenium requiritur.

5. *Criteria externa etiam distributive sumpta sunt criterium sufficiens revelationis.* Quum hoc de miraculo et prophetia ex asse probandum erit (§ 7 et 8), hic perstringenda est vis et ratio criteriorum intrinsecorum (ipsi revelationi tamen externorum) sapientiae et sanctitatis.

Sapientia. Si doctrina religiosa negative excludit omnem errorem et positive satisfacit postulatis veritatis religiosae, Deum revelantem clamat auctorem. Quod patet ex iis, quae de necessitate morali revelationis sunt statuta. Criterium sapientiae *sufficit ad arcendas religiones falso speciem revelationi praebentes;* simulatque enim error quipiam in aliqua religione deprehenditur, evidens est eam non posse Deum, summam Veritatem habere auctorem.

Huius criterii *pondus positivum multum augetur,* si *a)* religio continet mysteria vera, quae sc. rationem humanam superant, nec ei contradicunt, imo harmoniam inter se invicem et cum veritatibus aliunde notis produnt ; quae enim e ratione humana pullulant mysteriorum speciem prae se ferentia, diligentiore examine absurda ostenduntur ; *b)* si doctrina religiosa perfectissimo magisterio servatur et propagatur ; *c)* si historice constat eam non ex humanis originem ducere.

Sanctitas et doctrinae et asseclarum, imprimis praeconum. *Negative* nihil immorale contineat oportet ; Deus enim est Sanctitas. *Positive* se commendat, si normam sanctitatis absque defectu exhibet, ita ut aspirationes nobilissimas sanctitatis et perfectionis non modo satiet sed etiam superet, si vires perficiendi quoque addit, denique si fructus sanctitatis tam uberes profert, ut ad mentem Christi «ex fructibus eorum cognoscatis eos» Mt 7.

ADDIT. 1. *Criteriorum* hic est *ordo:* Interna per se subordinantur externis, ad quos rite accipiendos disponunt et quibus per se complentur. Inter externa extrinseca, miracula et vaticinia sunt cognitu faciliora, intrinseca sublimiora ; quae ipse Christus commendat : «Ego sum via et veritas et vita» Jn 14 ; «Verba quae ego locutus sum vobis, *spiritus et vita* sunt» Jn 6. Item Apostolus : «Praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed *in ostensione spiritus et virtutis*» 1 Cor 2. Omne tulit punctum, qui rite miscuit ambo.

2. *Criteria omnium intelligentiae sunt accommodata.* Etenim ut iudicium credibilitatis saltem moraliter certum formetur, satis est criteriorum cognitio communis, qualis satis facile comparatur per habitum primorum principiorum, et in hominibus simplicibus magis quam in doctis humilitate, sinceritate, vitae ac morum gravitate multum iuvatur. Omnibus deinde praesto est gratia adiuvans (§ 72).

Licet autem singulis satis sit haec certitudo communis iudicii credibilitatis, *Ecclesiae* tamen maxime *convenit, imo necessaria est demonstratio erudita credibilitatis per criteria.* Demonstratio haec est *etiam possibilis.* Vat. (3 c. 3 fid.) definivit miraculis «divinam religionis christianae originem rite probari». Et revera criteria ut talia, seu ut signa certa credibilitatis revelationis cognitioni doctae sunt pervia ; ergo iis revelatio demonstrari potest, non directe quidem (ex causis vel effectibus propriis), quod fieri vetat supernaturalitas revelationis ; indirecte tamen ita, seu «per absurdum»: qui negat revelationem, cogitur philosophice absurda admittere (III 55, 5). Convenit quam maxime Ecclesiae talis demonstratio. Ecclesia enim debet

omnibus apte, ergo etiam doctis docte proponere revelationem. Deinde «ad quos pertinet alios erudire, tenentur habere pleniorem notitiam de credendis» (2II 2, 6).

§ 7. Miraculum.

Statuitur 1. notio, 2. possibilitas, 3. cognoscibilitas miraculi.

1. Notio. — Vat. 3 c. 4 fid. definivit : «*Si qu. d. miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes etiam in s. Scriptura contentas inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari: a. s.*». Ex quo miraculi possibilitas, cognoscibilitas, probandi vis quam diligentissime est coarguenda, eo magis, quia hinc quidem omnes fere s. Paginae miraculorum testimoniis sunt refertae, illinc vero rationalistarum nostrorum veluti tessera est miraculi omnimoda impugnatio. Ducem sequimur Thomam I 105, 6—8 ; Gent. III 98—9 ; Pot. 6.

1. *Definitio.* — Miraculum est *factum praeter ordinem naturae in dicione experientiae humanae editum, quod ergo immediate Deum habet auctorem, finem vero protestationem ordinis supernaturalis.*

Est ergo *a) praeter ordinem naturae*, quae natura hic intellegitur summa omnium entium creatarum, etiam spirituum, ita ut verum miraculum omnes vires ac leges, seu totum ordinem creaturae superet. Hoc differt a miro, quod occultioribus naturae viribus, et a mirabili, quod ab angelis («non per modum miraculi, sed artis» Pot. 6, 3 c) profertur, necnon a praestigio daemonum, quod est simulacrum miraculi. Est *b)* praeter ordinem *agendi, non essendi* naturae ; etenim terminus actus divini edentis miraculum manet in ordine essendi naturae, v. g. multiplicatio panis, resuscitatio mortui ; et hoc differt a supernaturali quoad substantiam, a gratia, quae est etiam praeter ordinem essendi naturae. *c)* Est praeter, *non contra* ordinem naturae ; est enim secundum potentiam obedientialem naturae, qua omnis creatura nata est fieri quidquid eius auctori placuerit (I 105, 6 ad 1 ; Gent. III 100). Quia nihilominus est «praeter ordinem communiter servatum in rebus» (Gent. III 101), aptum est quod in admirationem moveat et intellectum ac voluntatem ad investigandum incitet. *d)* Est *ad protestandum ordinem supernaturalem*, imprimis revelationem Dei mandatum. Miracula sunt ergo quasi sigilla ab ipso Deo auctore documentis suis impressa ; ideo in Litteris s. etiam signa vocantur (deinde virtutes, quia Dei potentiam produnt ; necnon portenta, prodigia, quia id manifeste exhibent ; cf. 2II 178, 1 ad 1). — Miraculum ea parte tantum signum potest esse, quatenus sub dicione experientiae humanae cadit. Propterea iustificatio, transsubstantiatio, incarnatio non solent miraculum appellari (cf. tamen III 29, 1 ad 2).

2. *Divisio.* — Miraculum supra definitum aliud est *secundum substantiam*, quando simpliciter excedit facultates naturae, aut secundum substantiam facti, uti quando sol recedit vel corpus humanum glorificatur, aut secundum id in quo fit, uti resuscitatio mortui vel illuminatio caeci (potest enim etiam natura proferre vitam et visum, at non in mortuo vel caeco nato). Aliud est *secundum modum*, uti si quis subito sanitatem recipit, vel mare solo mandato subito tranquillatur. Ad idem redit alia

Thomae divisio: miraculum *supra, contra* (sc. secundum id in quo fit), *praeter naturam* (Pot. 6, 2 ad 3).

Analogice sunt miracula, seu non specie sed genere ab eo differunt: *a) mirabilia* ab angelis progenita, quae quum ex Dei mandato edantur, sunt miracula relativa; *b) miracula moralia:* mira, quae voluntate humana cooperante fiunt, ita tamen facultatem moralem humanam superant, ut nonnisi manifesto extraordinario Dei auxilio potuerint procedere, uti mira evangelii propagatio, constantia martyrum, fructus mirabiles religionis. Quae omnia utpote Deum auctorem ordinis moralis immediate et manifeste ostendentia possunt esse signa; non ita praestigia seu mira a daemoniis utique Deo permittente facta. Inter vera miracula ea *charismata* vocantur, quae mediante legato tamquam thaumaturgo fiunt, plerumque ad eius missionem divinam adtestandam.

3. *Notiones falsae,* quae plerumque negatione miraculi progignuntur, ad has duas reducuntur:

a) Notio miraculi *psychologica* auctorem gloriatur *B. Spinoza* (Tractatus theologicus cp 6), qui simpliciter negat miraculi possibilitatem, utpote quod repugnet: sicut Deus non potest facere circulum quadratum, sic nec resuscitationem mortui. Quae miracula habentur, non sunt nisi eventus extraordinarii, propter ignorantiam verarum causarum a mente pia et exaltata Numini immediate tributi. Ita postea rationalistae fere omnes: Locke, Kant, rationalismi biblici patres et fautores; historiographi religionis, qui addunt: ignorantiam causarum naturae imprimis prisco tempore iunctam fuisse cum persuasione Numen arte magica ad mira facienda induci posse; item psychologiam religionis colentes inde a Schleiermacher, adicientes homini devoto miraculum esse symbolum psychologice necessarium favoris divini. Omnes consentiunt in eo miraculum non esse motivum seu genitorem fidei, sed prolem: «das Wunder ist des Glaubens liebstes Kind» (Goethe). Ita etiam modernistae.

b) Notio miraculi *parapsychologica* docet insitas esse naturae humanae vires occultas ad mira et extraordinaria facienda, quae vitā extraordinaria ascetica vel religiosa, aut per personas extraordinarias (per «media») excitari possunt et ad effectus perduci. Ita iam theurgi neoplatonici, deinde monistae tempore litterarum latino-graecarum reflorentium (Paracelsus etc.), theosophi (J. Böhme, Schelling, Baader), spiritistae et theosophi nostri.

2. Possibilitas. — THES. **Miraculum est possibile.** *De fide* ex Vat. (supra n. 1.). Adversantur praeter materialistas plerique pantheistae, deistae, omnes rationalistae.

PROBATUR *dogmatice* eo, quod et Libri s., imprimis ipse Christus, et Patres saepissime miracula tamquam argumenta disertissima originis divinae appellant. Nunc probandum est *apologetice.* Quod ad mentem s. Thomae (I 105, 6; Pot. 6; Gent. II 22—30; III 98—9) fit hoc modo. Miraculum est possibile, si compossibiles sunt eius notae; ergo si ex definitione non pugnat cum Deo causa efficienti (omnipotentia) et finali (sapientia atque sanctitate), nec cum ordine naturae (causa materiali).

1. *Non pugnat cum Dei potentia.* Quum enim Deus liberrime creasset mundum, potuit alias quoque substantias aliasque leges, i. e. alium naturae ordinem atque hunc proferre; ergo idem potest et nunc: progignere res et eventus, qui per hunc naturae ordinem fieri non possunt (miraculum quoad substantiam), dummodo intrinsece sint possibilia. Et quum hic naturae ordo in omnibus ex Deo pendeat, potest Deus

immediate operari ea, quae in hoc ordine per causas secundas profert (miraculum quoad modum). Possibilitas miraculi ergo *cum veritate creationis ponitur* (§ 24. 40) et ab iis tantum negatur, qui factum creationis vel negant omnino (monistae) vel obfuscant (deistae § 41).

2. *Non pugnat cum Dei sapienta.* Deus enim ut sapientia aeterna ad id creavit mundum, ut suam gloriam manifestet, imprimis per beatitudinem creaturae rationalis. Non est ergo contra, imo maxime secundum divinam sapientiam, ut creatura rationalis ad finem suum, ad Deum cognoscendum et amandum, non modo per naturam, sed per opera quae praeter consuetum ordinem naturae Deum manifestius produnt, multo efficacius ducatur. Sic *miracula sunt quidem praeter ordinem naturae, at non praeter ordinem providentiae.*

3. *Non pugnat cum natura.* Rerum natura et leges utpote liberrima Dei voluntate provenientes non sunt intrinsecus necessariae et immutabiles, sicut leges logicae, metaphysicae, morales ; sed «talis ordo Deo subicitur quasi ab eo procedens, non per necessitatem naturae, sed per arbitrium voluntatis. Potuisset enim et alium ordinem rerum instituere, unde et potest praeter hunc ordinem institutum agere quum voluerit, puta agendo effectus secundarum causarum sine ipsis, vel producendo aliquos effectus, ad quos causae secundae non se extendunt» (I 105, 6).

Miraculo ergo minime tollitur rerum natura eiusque leges, sed ad verum perducitur *lex omnium suprema et fundamentalis:* «In re qualibet est naturalis ordo et habitudo ad causas omnes superiores» (Pot 6, 1 ad 17) ; sicut ergo non invertitur v. g. lex gravitationis per aeroplana, nec generatim per inventa technica, quum econtra invaleat lex illa laudata causam inferiorem subdi causae superiori, («Quod est miraculum in terra, est lex in caelo» Jean Paul), ita «et in igni fornacis remanebit ordo ad comburendum, licet non combureret tres pueros in camino» (Pot 6, 1 ad 20).

Sic solvitur summa *difficultas monismi:* «Si quid in natura contingeret, quod eius universalibus legibus repugnaret, id decreto et intellectui et naturae divinae necessario etiam repugnaret ; aut si quis statueret, Deum aliquid contra leges naturae agere, is simul cogeretur statuere Deum contra suam naturam agere ; quo nihil absurdius» *(Spinoza:* Tract. theol. 6). — Quae ab eo tantum proferri possunt, qui autumat idem esse Dei atque rerum naturam atque ideo non capit miraculum esse quidem contra hunc rerum ordinem, contingentem sc. et liberum, minime vero contra Dei naturam, absolutam sc. et immutabilem omnino. Ideo etiam miraculum tantum abest, ut sit contra ordinem aeternum, ut etiam eius pars sit : «Deus non facit contra rationes naturales mutabili voluntate ; nam Deus ab aeterno praevidit et voluit se facturum, quod in tempore facit. Sic ergo instituit naturae cursum, ut tamen praeordinaret in aeterna sua voluntate, quod praeter cursum istum quandoque facturus erat» (Pot. 6, 1 ad 6). Falso ergo etiam obicitur miraculo ordinem a sapientia aeterna institutum quasi infringi et emendari, ita ut incertus evadat. *Perperam* enim *ordo huius naturae in eodem omnino numero cum ordine Dei ponitur.*

COROLL. *Creatura potest esse causa instrumentalis miraculi.* Etenim miracula non sunt creatio simpliciter, cuius creatura instrumentum fieri nullo pacto potest (§ 40) ; sed eduntur in hoc rerum ordine, ubi non repugnat, ut per potentiam obedientialem accipiant virtutem supernaturalem transeuntem ad effectus supernaturales instrumentaliter transfundendos in rerum naturam.

3. Cognoscibilitas. — THES. **Miraculum ut criterium revelationis certo cognosci potest.** *De fide* ex Vat. (supra ; cf. etiam quae Bautain traditionalista subscripsit, et iuramentum antimodern. *D* 1624. 2145).

EXPLIC. Miraculum tunc certo ut criterium revelationis cognoscitur, si constat 1. miraculum factum esse, 2. illud vere esse miraculum, 3. habere vim probandi revelationem ; seu si constat de miraculi *veritate historica, philosophica, theologica,* quae ab aliis relativa vocatur. Certitudo thesi enuntiata intellegitur saltem moralis. — *Adversantur rationalistae,* qui utpote miraculum tamquam revelationis sigillum acriter impugnantes, primum eius possibilitatem infitiantur, deinde dialectice prosequuntur : etsi sit possibile, non potest historice de miraculo facto constare ; et si ita, non potest statui illud vere esse miraculum a falsis dignoscibile ; et si ita, non probat in favorem doctrinae, ad quam probandam inducitur. Istam miraculi probandi vim etiam modernistae et amici apologiae immanentis obfuscant.

Thesis quum de fide sit, *ex fontibus fidei quoque probari* potest : **Scr.** *Christus* miraculum testem suae legationis invocat : «Opera quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me» Jn 10 ; ita etiam Paulus (Rom 15, 18 ; 2 Cor 12, 12 ; Gal 3, 5), Moyses (Ex 4), discipuli missi a Christo Mt 10, 8. At non possunt miracula verum testimonium praestare, si de triplici eorum veritate non constet. **Tr.** quoque probat thesim implicite quotiens miraculorum testimonium appellat. Nunc autem *apologetice* probanda est triplex miraculi veritas contra rationalistas, imprimis contra Spinoza, Hume, Voltaire, item contra historiographos liberales et dogmatum et religionis.

1. *Veritas historica miraculi.* — Quum miraculum ex definitione sit factum in dicione experientiae humanae eveniens, *testibus praesentibus non minus est pervium ac factum aliud quodcunque externum.* Aliquem fuisse mortuum et post vivere, fuisse caecum et post videre, mare agitatum et post tranquillum, in caelo speciem consuetam praebenti mox signum crucis fulgidae apparere etc., a homine sanis sensibus rationeque praedito certitudine physica cognosci potest. Novitas et *singularitas* rei non est impedimentum istius experientiae ; imo etiam efficacius mentis aciem in se convertit. Si deinde posteris constat rem miram a testibus fidedignis cognitam fontibus historice fidedignis (veracibus et saltem in substantia integris) ad se pervenisse, tunc mirum etiam a *posteris* certitudine morali (haec enim testimoniis historicis convenit) cognosci atque ut miraculum aestimari potest.

DIFF. 1. Saepe accidit, ut homines excitati et ad exorbitantia proclives phantasia ducti factum commune miris exornent *(«illusio»),* imo quae interius phantasiā sibi effingunt, extra se fieri autument *(«hallucinatio»).* Id frequentissime fit, ubi turba hominum alter alterum contagione quadam psychica in idem mirum experiendum inducit ; autosuggestio *heterosuggestio*nem parit, ut nostri dicunt. — RESP. Haec revera saepe eveniunt. At ex hoc quod *falsi* etiam sunt *testes,* sophistice solum colligeretur omnes testes esse falsos ; alioqui actum esset de omni omnino fidedignitate, ubi res extraordinariae, tempore periculi etc. contingentia narrantur. Id unum lege artis ex istis efficitur : quam diligentissime esse ab apologeta adhibenda criteria, quibus testes fidedigni a falsis ex sana philosophia discernuntur (cf. Schütz : A bölcselet elemei. 19. §).

2. Instat *Hume* (An inquiry concerning human understanding sect. 10) : Fieri miracula est contra leges *physice* certas ; errare vero testes etiam

sanos et rectos est tantum contra leges *moraliter* certas ; ergo *praesumptio* est semper contra mirum narratum. Quid enim iuvat, quod paucissimi aliquem e mortuis resurrexisse testentur, quum quotidie millies milia in contrarium testentur mortuos non reviviscere. — RESP. Posse fieri miracula est physice, imo *metaphysice* certum. Factum mirum posse a testibus cognosci et referri, est utique moraliter certum ; sic autem certitudo physica imo metaphysica non pugnat cum morali contra miraculum, sed pro miraculo. Millies illa milia hominum vero, qui quotidie vident mortuos non reviviscere, aliud testantur atque testes resurrectionis ; illi enim testantur quid *secundum leges* et ordinem huius *naturae* fiat, isti vero quid *secundum omnipotentiam* divinam ; non ergo inter se pugnant. Si exceptio Humei logice valeret, obstrueret omne factum insolitum ; illo ipso Humei argumento princeps ille australes regiones inhabitans tamquam absurdam reiecit narrationem servi sui aquilonaris : in ista patria quandoque fluvia frigore sic concrescere, ut sicco pede traiciantur ; hieme deinde ex inopinato irruente utique falsitatem sui criterii edoctus.

3. Addunt «critici» nostri : *Quibusdam epochis* homines nimis sunt *creduli et miraculorum avidi*, uti tempore Christi vel medio aevo ; ergo non est eis fides habenda, ubi miracula narrant. — RESP. Fatendum est vix unquam contingere, ut quis ea quae vidit et narrat, praesertim si magni momenti fuerint, non pro indole sua atque ingenio simul etiam diudicet. Magnā ergo diligentia in id nitendum est testibus, ut sine ira et studio ea quae facta sunt, videant narrentque, apologetis vero, ut quam diligentissime secundum leges criticae sanae in narrationes mirorum inquirant. Nec *thaumatophilia* veterum magis est cavenda quam *thaumatophobia* nostrorum ; sed sedulo et strenue ipsa veritas est quaerenda et accipienda, sive miraculum, sive mirum, sive mere naturale praebeat.

2. *Veritas philosophica miraculi.* — Miraculum *quoad substantiam* ut tale certitudine saltem physica cognosci et a simulacro et specie miraculi certo dignosci potest. Istud enim miraculum tamquam causam sufficientem *virtutem creatricem postulat*, cuius terminus formalis est ipsum esse rei. Ubi ergo factum mirum procreationem substantiae involvit vel effectum immediatum in substantiam (v. g. unionem animae ad corpus, immediatam actionem in mentem vel voluntatem), ubi deinde nulla adhibetur materia praeiacens vel medium creatum (v. g. in sedatione maris solo imperio voluntatis) : opus mirum immediate ipsum Deum prodit auctorem. Quod equidem sensu ac iudicio iam communi potest dignosci, etsi in confuso, certo tamen ; nihil enim aliud postulat nisi exercitium primorum principiorum entis, quorum habitus innatus est omnibus. Etsi quandoque non adeo facile sit theoretice statuere criteria mutationis substantialis immediatae, *in concreto* vix unquam fallitur etiam sensus communis, ubi v. g. quaeritur, utrum vere sit miraculum quoad substantiam resuscitatio mortui vel transfiguratio gloriosa (III 45, 2), apparere ianuis clausis, multiplicare panes, convertere aquam in vinum.

Miraculum *quoad modum* ut tale certitudine saltem morali certo cognosci potest ex his duobis simul consideratis : *a)* si effectus *vere est praeter ordinem consuetum naturae*, v. g. subita et plena sanatio eaque stabilis morbi ex constanti experientia insanabilis (cf. Benedict. XIV : De servorum Dei beatificatione et canonisatione IV 1) ; *b)* si *media* ad

hunc effectum proferendum vel fuerint nulla (ergo solum voluntatis imperium), vel penitus improportionata, v. g. merus tactus. Quae principia sunt in se evidentia et etiam sensui communi pervia ; at exercitio non semper sunt tam facilia, et matura deliberatione nec non prudenti iudicio saepe opus est, ut miraculum imprimis relativum certo a magia vel praestigio discernatur.

DIFFICULTAS fundamentalis rationalistarum: Quousque se naturae vires extendant, penitus ignoramus et fors ignorabimus. Quae ergo mira videntur, possunt *viribus occultis naturae* progigni, uti multa quae hypnosi, telecinesi, spiritismo proferuntur. Imo quae arte technica, v. g. tele-, radiophonio, curribus electricis, aeroplanis producuntur, certo certius olim, sicut etiam nunc a feris qui dicuntur, miracula haberentur. — Insuper disquisitionibus noeticis constat *leges, quibus naturae ordo constituitur*, hinc quidem esse nostram de natura ceterum ignota ideam, quasi *nostram ipsorum interpretationem naturae in se ignotae;* et eiusmodi «interpretandi» genus est etiam id quod miraculum habetur ; illinc vero leges istae in se non sunt normae stabiles omni exceptione maiores, sed sunt «probabilitates», regulae enuntiantes communiter contingentia, quibus facilius, utilius, commodius ea quae contingunt, complectimur. Ergo nullum praesto est nobis solidum fundamentum, quo miracula tamquam extraordinaria a ceteris distinguantur, quum et ipsa casu contingant. — Denique fidelibus admittendum est esse spiritus puros, qui utpote entia superiora mira progignere possunt ; et ideo quae miracula habentur, *possunt esse praestigia*. Ergo in concreto mirum nunquam ut vere miraculum discerni potest.

RESP. *a) Quoad praestigia: α) Miracula relativa*, seu mira ab angelis procreata, utique sunt possibilia. At ea a miraculis quoad substantiam semper et certo discerni posse patet ; etenim angelus non habet potestatem creandi. Si vero a miraculo quoad modum non adeo facile semper discernuntur, nihil refert. Si enim miraculum relativum ad confirmandam revelationem editur, fit mandato divino et probat veritatem doctrinae ; si in adiutorium hominum, sunt signa providentiae extraordinariae, et non est necesse, ut accurate de indole metaphysica eorum constet. — *β)* In utroque casu utique requiritur, ut *a praestigiis daemonum certo distingui* possint. Ad quod adest hoc *criterium certum:* Miraculum verum, et absolutum et relativum, Deum habet auctorem ; ergo manifestat Dei potentiam, sapientiam, sanctitatem, quorum vel unum si prodigio qualicunque offenditur, iam non erit miraculum, sed praestigium. Quod facile statuitur, si diligenter considerantur conditiones morales prodigii (quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando : III 7, 3), imprimis doctrina et vita thaumaturgi, finis et fructus prodigii. *Neque circulo logico* gyramus, quum miraculum ex doctrina moribusque thaumaturgi probamus et doctrinae sigillum habemus miraculum ; doctrina enim et mores thaumaturgi philosophice examinantur et negative applicantur : si exhibent aliquid contra sapientiam vel sanctitatem, thaumaturgus reiciendus est ; miraculum vero positive et in ratione signi accipitur ; signum enim est missionis divinae thaumaturgi.

b) Quoad occultas naturae vires nobis ignotas: *α)* In miraculis quoad substantiam satis est nosse, *ad quid vires naturae non suppeditent*, sc. ad creandum. In miraculis quoad modum pariter non est necesse omnem percurrere naturam, sed sufficit nosse, quid valeant et quid non *vires hic et nunc concurrentes;* v. g. saliva quid valeat ad linguam mutam solvendam, fornax candens quid valeat ad hominem cum vestibus iniectum. Neque ingenium torquendum est, utrum aliquando et alicubi media inveniantur ad hunc effectum proferendum ; sed sufficit considerare, utrum quae hic et nunc parantur, in se et per se apta sint ad effectum proferendum. Ideo si

tempore Christi aliquis talia praestitisset, quae his demum temporibus vi electrica technice fiunt, utique miracula fuissent. — *β)* Quod ad *occultismi prodigia* attinet, multa hic referuntur, de quorum vel veritate historica usquemodo vehementer disceptatur. Quae certa sunt, uti paucae curationes hypnoticae, operationes telecineticae, apparitiones spiritisticae, vel ad vires et leges notas reducuntur (§ 8, 3), vel vero criterio potentiae, sanctitatis, sapientiae divinae ut praestigia certo dignoscuntur.

c) Quoad conceptum legum naturae inter nostros percrebrescentem : Hac nova doctrina *lex metaphysica causalitatis et finalitatis* minime in discrimen vocatur, qua duce ea quae naturā fiunt facile ab iis quae immediate Deum produnt auctorem, secundum specificationem seu in idea distinguuntur. In exercitio, in concreto quandoque utique non est tam facile dirimere, utrum factum aliquod *miraculo magis quam casui* tribuendum sit. Hoc tamen ipsa miraculi idea minime obfuscatur ; etiam si quandoque lusu naturae aut hominum quaedam accidunt, quae rationis speciem praebent, non tamen ideo sollicitamur iam omnia rationalia casui tribuere, sed sedulo in singulos casus inquirimus. Etiam moneta falsa a vera non semper facile discernitur, tamen nemo non fatetur generatim fieri posse istud discrimen.

3. *Veritas theologica miraculi.* — Miraculum vere et certo comprobat veritatem doctrinae, in cuius favorem editur. Etenim «contingere non potest, quod aliquis falsam doctrinam annuntians vera miracula faciat, quae nisi virtute divina fieri non possunt ; sic enim Deus esset falsitatis testis, quod est impossibile» ; Quodl. II 6 ad 4 (cf. 2II 178, 1. 2 ; III 55, 5 ; Gent. III 155). Ut miraculum hanc probandi vim nanciscatur, requiritur, *ut pateat nexus* huius miraculi cum hac doctrina enuntiata ; quod fit vel explicite, quum thaumaturgus vel directe enuntiat miraculum se edere ad hanc doctrinam firmandam, vel indirecte legatum divinum se edicit et miraculo id confirmat ; vel vero implicite, quum nexus iste e conditionibus eruitur.

Argumentum miraculi probans veritatem alicuius doctrinae quoad indolem logicam non est directum, sed *indirectum ex signo* («si hoc verum non esset, absurda sequerentur»). Quum deinde quovis miraculo verus Deus manifestetur, veritas alicuius revelationis *vel uno miraculo sufficienter probatur;* et quum haec probandi vis ipsi miraculi naturae sit insita, pleno gaudet valore etiam pro hoc nostro tempore, etsi propter thaumatophobiam nostrorum prudentia quadam proponatur oporteat (cf. Chrys. in Jn 24).

DIFF. 1. Potest *satanas* falsis miraculis, praestigiis seducere homines. — At quum a falsis vera miracula philosophice discerni possint, imo quum propter sapientiam et sanctitatem Dei fieri non possit, ut falsitate veritatis sigillum in discrimen vocetur (alioqui ipse Deus deceptor poneretur), *praestigiis ii tantum seducuntur, qui propria negligentia id fieri sinunt* : Pseudochristi prodigiis in errorem ducent etiam electos, «si fieri potest», uti monet Christus Mt 24.

2. *Ecclesia sibi reservat iudicium* de miraculis ; ergo non possunt per se dignosci. — At Ecclesia sibi reservat hoc ius, non ut criteria revelationis statuat, sed ut quae ad sanctitatem Ecclesiae fovendam conferunt, custodiat.

3. *Omnes fere religiones,* imo haereses miraculorum testimonium invocant. — At his id unum luculenter ostenditur miracula ex generali hominum persuasione esse argumenta quasi connaturalia revelationis. Ceterum miracula a falsis religionibus invocata vel non sunt vera historice, uti Aesculapii, Apollonii Thyanaei, donatistarum (Aug. Civ. XXII 7—9 ; Unit. ecl. 19), vel philosophice, vel vero relative. Thomas non diffitetur

miracula fors etiam in falsis religionibus fieri posse ; at tunc non in confirmationem falsae doctrinae fiunt, sed ad commendandam aliquam veritatem vel virtutem (2 II 178, 2 ad 3). Fors eiusmodi sunt portenta diaconi Parisiensis, J. de Cronstadt, popae russi.

§ 8. Prophetia.

Statuitur 1. notio, 2. possibilitas, 3. cognoscibilitas prophetiae.

1. Notio. — *Propheta* (a verbo πρὸ-φημι = pro aliquo, alicuius nomine loqui) generatim est «enuntiator verborum Dei hominibus» (Aug. Quaest. 17 in Ex) ; sensu ergo latiore est, qui Deo aspirante divina eloquitur : נָבִיא (cf. Num 2, 25-9 ; 1 Cor 14 ; 1 Reg 10, 5) ; sensu vero restrictiore, qui occulta soli Deo cognita pandit חוֹזֶה, רֹאֶה, sive praesentia loco remota (= cryptognosis) vel cogitationes et consilia intima hominum (= cardiognosis), sive praeterita v. g. originem rerum, sive futura. Futurorum enuntiatio prophetica est prophetia sensu restrictissimo seu vaticinium, quod praecipue est revelationis criterium. A Thoma tractatur 2II 171—5 ; Verit. 12 ; Gent. III 1.

Vaticinium est *praedictio eventus futuri, qui solo supernaturali Dei lumine certo cognosci potest.*

a) Obiecta propria vaticinii sunt futura contingentia, quae sc. ex sua natura sunt indifferentia ad esse et non-esse, uti libera Dei consilia, libera hominum opera, item talia, quae a causis non liberis proveniunt quidem, sed propter concursum multarum causarum naturalium in causis suis praevideri humanitus non possunt, uti messes, contagia. His soli divino intellectui perviis constituitur *vaticinium absolutum; relativum* est, cuius obiectum scientiam humanam exsuperat quidem, sed non omnem omnio intellectum creatum, ergo neque daemones.

b) Quum futura contingentia homini per suas vires sunt impervia, a Deo prophetae immediate communicantur. *Cognitio prophetica vero* «duo importat : repraesentationem rei futurae contingentis et iudicium infallibile de illa re» (2II 173, 3). Repraesentatio fit aut sensibus, visui sc. vel auditui (cf. Dan 5), vel imaginationi (Act 10), quam semper extasis comitatur (2II 173, 3), aut intellectui ; iudicium vero, quod etiam *lumen propheticum* dicitur, et est per modum impressionis transeuntis, non formae manentis (2 II 171, 2), est momentum principale revelationis propheticae, et in eo consistit, quod intellectus prophetae divinitus illuminatus infallibiliter cognoscit, et quid repraesentationes significent, et istud sibi a Deo communicari. Deus sapientissimus enim non utitur creaturis contra earum naturam, ergo neque prophetis contra eorum naturam rationalem, quae exigit ut id quod praedicant, aliquantum saltem sciant et intelligant. Aliquantum, inquam ; etenim «sicut nomen fidei importat imperfectionem cognitionis, similiter prophetia importat quandam obscuritatem et remotionem ab intelligibili veritate» (2II 174, 2 ad 3).

c) Praedictio prophetica est *determinata*, non ambigua, obscura, flexiloqua ; sic enim esset non vaticinium, sed divinatio («Croesus Halym penetrans magnam pervertet opum vim» ; «Ibis redibis non morieris in bello»), vel enuntiatio temeraria casui fortuito confidens. *Non* tamen debet,

nec solet esse quasi *historia antecipata;* convenit enim sapientiae divinae futura satis distincte proponere, ut ad vigilantiam et examen excitent, et simul satis velate, ut libertas examinis et consilii non opprimatur. Ideo saepe metaphoris, symbolis, parabolis vestiuntur ; saepe vero in synopsi prophetica tempora multum distantia contrahuntur.

Hanc vaticinii definitionem genuinam adulterant *rationalistae* prophetiam aut divinationi gentium aequiperantes, aut nihil aliud illam esse asseverantes atque vividum sensum religiosum, qui fidenter annuntiat impiis flagitia, piis oppressis solamen, paenitentibus remissionem, regno Dei triumphum. Contra quos definitio catholica eo asseritur, quod probatur prophetiae et possibilitas et cognoscibilitas. Docente *Vat.* (3 cp 3) prophetiae sunt facta divina, quae «quum Dei infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis sunt signa certissima et omnium intelligentiae accomodata». Dogmatice id probatur eodem modo atque miraculum. Nunc *apologetice* est procedendum.

2. Possibilitas. — **Vaticinium est possibile.** PROB. 1. *Deus novit,* imo solus novit omnia, etiam *futura contingentia* (§ 29). Quum enim Deus est causa prima omnium, etiam contingentium, ea antequam sunt et prout sunt, noverit oportet ; alioqui enim ea proferre non potest. Cuicunque autem praeter Deum ea celantur. Quod evidens est de futuris ex libero Dei consilio et creaturae rationalis arbitrio pendentibus ; in eo enim libertas constat, quod «motus liber voluntatis non habeat dependentiam nec connexionem ad aliquam causam naturalem» (Verit. 8, 13). Libera ergo non modo futura, sed etiam praesentia a nullo intellectu creato (nisi a volente), neque per causas naturales cognosci possunt, neque a spiritu superiore, sed ubi plurimum, coniciuntur. Quod ab iis tantum negatur, qui Deum personalem, transcendentem, absolutum negant, a monistis sc. et polytheistis.

2. *Deus potest futura vel abscondita ipsi nota hominibus communicare.* Probatum est, ubi de possibilitate revelationis generatim est disputatum. Modus quoque facile patet consideranti ea quae supra de cognitione prophetica dicta sunt. Negatur a rationalistis, qui possibilitatem revelationis universim infitiantur.

DIFF. *Praedictio saltem futuri liberi humani impossibilis est.* Vel enim infallibiliter eveniet, et tunc actum est de libertate eorum, qui in discrimine vaticinii sunt ; vel vero potest libere frustrari, et tunc erroris coarguitur Deus. — RESP. Quod Deus certo futurum praedicit (non conditionate tantum, sicuti multas comminationes, quae utique tunc tantum fiunt, si conditio ad verum pervenit), *infallibiliter eveniet,* et nullo pacto frustrari potest ; *quin tamen libertas creaturae periclitetur* (cf. § 29. 41). Quod psychologice possibile redditur obscuritate relativa vaticinii supra laudata, qua fit, ut agentes demum post eventum clare cognoscant se vaticinium implevisse.

3. Cognoscibilitas. — 1. *Veritas historica* vaticinii cognoscitur, si constat hinc quidem vaticinium editum esse, inde vero eventu ad verum esse perductum. Utrumque est factum historicum more historico cognoscendum, prout et sexcenta alia historica cognoscuntur. Cuius cognitionis

possibilitas forsitan a solis agnosticis inveteratis negatur. Tota fere lis cum rationalistis est de veritate philosophica vaticinii.

2. *Veritas philosophica* vaticinii **certidudine saltem morali cognosci potest.** *De fide.* Implicite enim continetur doctrinā Vaticani vaticinium esse criterium revelationis «omnium intelligentiae accommodatum». Quod tunc demum verum erit, si ratione mere naturali ut tale, seu ut signum omniscientiae Dei cognosci et a divinatione dignosci potest.

PROB. Vaticinium philosophice verum statuitur, si praedicitur futurum soli Deo pervium, ergo futurum contingens, quod eventus probat, ita ut non casu sit impletum ; tunc enim certum est praedictionem ab eo esse factam, qui omnipotenti sua virtute omnia ad fines praestitutos dirigit. Atqui iam vel sensui communi patet *futura contingentia*, quae ex solo Dei libero consilio pendent vel ex multorum hominum et conditionum concursu, *si multo ante eventum determinate, imo minute erant praedicta, non potuisse casu evenire.* Esset enim contra principium rationis sufficientis, et eiusdem esset tenoris atque absurdum illorum, qui ordinem universi non rationi ordinanti, sed casui tribuunt (§ 28).

Argumentum hoc *metaphysicum*, quo vaticinium a coniectura rite discernitur, confirmatur consideratione morali et *psychologica*, qua vaticinium a divinatione certitudine saltem morali distinguitur : *a)* ratione *obiecti:* verum vaticinium nunquam continet falsa, impia, Deo indigna, noxia, ut iam Chrys. recte monet (in Mt 19) : «Quidam prophetant in spiritu diaboli, quales sunt divinatores ; sed sic discernuntur, quoniam diabolus interdum verum dicit, Spiritus s. nunquam interdum mentitur». *b)* Ratione *finis;* verum vaticinium ut manifestatio divinae sapientiae, semper promovet regnum veritatis et sanctitatis, ergo Deo subicit hominem ; divinatio vero teste historia religionum intendit bona temporalia, saepe vana, quandoque immoralia, et in id contendit, ut Numen subiciat homini («Pytho philippizat»). *c)* Ratione *modi:* verum vaticinium modo, quo profertur et quo recipitur, Deum patrem luminum prodit ; propheta enim docibilis Dei ut est, clara conscientia, tamquam veritatis testis loquitur ; econtra vates oracula seu fortuita alogica consulunt : haruspicia, auspicia, cleromantica et eiusmodi, quae minime possunt futura pandere; et signa illa iam per se inepta deinde vates vel mente alienati vel astutia moti ad nutum interpretantur.

Ad rem *Cicero* (Divinat. II 56) : «Tuis (= Apollinis) oraculis Chrysippus totum volumen implevit, partim falsis, ut ego opinor ; partim casu veris, ut fit in omni oratione saepissime ; partim flexiloquis et obscuris, ut interpres egeat interprete et sors ipsa referenda sit ad sortes ; partim ambiguis et quae ad dialecticam referenda sint» (cf. etiam Orig. Cels. VIII 45)

ADDIT. **Occultismus,** cuius miris oraculis videntur saltem confinia praesagii naturalis et supernaturalis commoveri, haec quinque genera phaenomenorum praebet : 1. *Phaenomena subconscia* suggestionis (hypnosis), automatismi, cryptomnesiae et cryptaesthesiae (= memoria, sensibilitas modum consuetum excedens). Quibus tamen nulla proditur arcanorum scientia, quae modis ordinariis, licet plerumque difficilius attingi non potest ; quod et psychologi nostri hodie largiuntur. 2. Phaenomena

parapsychica: telepathia i. e. scientia rerum loco remotorum, clara visio seu claire voyance (absconditorum praesentium, quam nostri psychometriam dicunt) et second sight seu secunda visio (sc. futurorum). De his ut prophetiae analogis est nobis quaestio. 3. Phaenomena *paraphysica:* telecinesis, seu motio rerum per distans ; deinde «materialisationes» «spirituum». 4. Phaenomena *spiritistica*, seu apparitiones et manifestationes spirituum separatorum. 5. *Astrologia et theosophia*, seu arcana quaedam et sublimior scientia universi. Circa ista tria ulteriora hodiedum inter doctos lis est frequens iam de veritate historica phaenomenorum ; videntur enim saepe errores esse adstantium, saepe etiam deceptiones praestigiantium. Quae revera facta sunt, probabiliter non excedunt vires naturales nondum exploratas. inchoative tamen satis cognitas ; quibus non improbabiliter daemones quandoque ad praestigia edenda abutuntur, quorum tamen fallaciae a veris miraculis certo discerni possunt.

Quod ad phaenomena *parapsychica* attinet, quae prophetiae analogiam quandam praebent, discernibilitas veri vaticinii eis non periclitatur. Etenim sunt ista phaenomena insolita quidem, at modum et normam naturae et virium naturalium non transeunt. Omnium enim phaenomenorum parapsychologicorum *analogiae psychologicae* inveniuntur, a quibus gradu tantum differunt, sicut opera viri eximii ingenii a communibus. Id confirmatur eo quod, quae a parapsychicis proferuntur, nunquam vel mediorum vel astantium scientiam superant quoad praesentia et praeterita, prout a peritis diligenti exquisitione fere semper eruitur ; si futura spectant, coniecturae vel casus vel eventus proximi, in causis determinate iam praesentis limites (uti second sight) non excedunt. *Ratione obiecti, finis* et quandoque etiam *modi* eandem atque divinatio speciem praebent et nihil divini exhibent.

3. *Veritas relativa.* — Verum vaticinium, quum immediate Deum appellet auctorem, divinam originem illius doctrinae immediate prodit, in cuius confirmationem editur. Est quasi *miraculum ordinis intellectualis*, efficacissime Dei sapientiam manifestans, ut recte monet iam Cicero (Divin. I 5) : «Ista sic reciprocantur, ut et si divinatio sit, dii sint, et si dii sint, divinatio sit». De nexu vero inter doctrinam et vaticinium certitudine saltem morali constat, si aut legatus apparet vaticiniis praedictus, aut ad legationem suam et doctrinam confirmandam explicite vel implicite vel virtualiter vaticinium a se editum appellat.

DIFF. 1. *Spiritus puri* plus norunt quam homines ; ergo fieri potest, ut verum vaticinium habeatur, quod merum praesagium creaturae est, quod proinde non potest esse criterium doctrinae divinae. — RESP. Spiritus *mali* non vaticinantur absque Dei permissione, qui quum doctrinam falsam non possit sigillo veri confirmare, permissioni isti semper etiam signa addit, quibus dissimulationes daemonum detegi possunt, diligenti utique examine obiecti, finis, modi praesagiorum. Spiritus vero *boni*, quum Dei mandata efficiant, vaticinia relativa in confirmationem revelationis edunt.

2. Etiam *mali homines* prophetabant, uti Balaam Num 22, Caiphas Jn 11, ii quos Christus in nomine suo prophetantes non recepit Mt 7. — RESP. Utique Deus quandoque his quoque ut veritatis praeconibus usus est, sicut docente Aug. (Ep. 258 ; cf. Lact. Inst. I 6) gentibus quoque quaedam vera vaticinia indulsit. De ipsis vero his prophetis Christi iudicium stat : «Non novi vos».

Caput 2. Veritas revelationis.

Quaeritur 1. de fontibus revelationis ; deinde de testimonio 2. Christi ipsius, 3. miraculorum, 4. prophetiae, 5. «spiritus et virtutis» ; 6. de perfectione absoluta revelationis evangelicae.

Tractatus de veritate revelationis. P. *Maranus:* Divinitas d. n. Iesu Christi manifestata in scripturis et traditione 1746 ; *Van Noort, Schanz* etc. (ut p. 15) ; F. *Hettinger:* Fundamentaltheologie [3]1913 ; Ae. *Dorsch:* Institutiones theologiae fundamentalis I [2]1928 ; H. *Schell:* Jahve und Christus [2]1907 ; L. *de Grandmaison:* Jésus-Christ, sa personne, son message, ses preuves 2 vol. [5]1907 ; *Schütz* A. : Krisztus 1931 ; H. *Felder:* Jesus Christus 2 vol. [3]1923.

§ 9. Fontes historici revelationis.

Statuitur 1. modus procedendi, 2. fidedignitas fontium, 3. rationalismus biblicus.

1. Modus procedendi. — Ex possibilitate, cognoscibilitate, necessitate revelationis efficitur obligatio inquirendi in factum revelationis (p. 25). Quod logice ita fit, ut criteria revelationis religionibus historicis applicentur. At quum ea religio, cui criteria vere conveniunt, necessario vera sit oporteat, nec plures possint verae esse (p. 10), *non est necessarium omnes omnino religiones ad criteriorum trutinam revocare*, sed sufficit eas examinare, quae vel asseclarum multitudine, vel vi religiosa plus ceteris se commendant, uti sunt mohammedanismus, buddhismus, iudaismus, et pro hominibus nostrae regionis vix non sola religio christiana. Et sic *via* quaerentis seu *apologetica convenit cum* via credentis seu *theologica;* ut enim fides nostra rationabile sit obsequium et ut possimus rationem reddere eius quae in nobis est spei omni poscenti, requiritur et sufficit probasse criteriis revelationis insigniri religionem nobis ab Ecclesia propositam, et non insigniri ullam aliam religionem ; ad quod efficiendum utique non est necesse percurrere omnes quae unquam erant religiones, sed satis est eas conferre, quae aliquam revelationis speciem praeseferunt.

In ista veritatis evangelicae probatione *duobus modis procedi potest.* Quum enim revelatio tribus gradibus revelationis priscae, mosaicae, evangelicae sit data et ab Ecclesia ad credendum proposita, potest credibilitas veritatis catholicae probari *progressive*, ita ut primum ostendatur criteria convenire revelationi priscae ; quae quum post lapsum ad populum israeliticum sit coarctata, probanda est postea credibilitas revelationis mosaicae («praeparatio evangelica» Eusebii) ; inde proceditur ad «demonstrationem christianam» et deinde ad «demonstrationem catholicam».

Potest etiam via contraria peti, ita ut primum ostendatur Ecclesiam vivam criteriis revelationis esse insignitam, ergo eius doctrinam credibilem ; exinde *regrediendo* facilius iam indoles divina revelationis evangelicae, mosaicae, priscae probatur. Haec via ut facilior, brevior, methodo theologicae propinquior iure meritoque multis hodie arridet (cf. G. *Rabeau:* Apologétique 1930) ; satius tamen est cum plerisque theologis nostris *utramque coniungere*, ita ut primarie et per se probetur credibilitas illius religionis, cuius Iesus Christus est auctor, quo secundarie et per accidens, sufficienter tamen, probatur etiam credibilitas religionis praeparantis ad Christum, imo etiam Ecclesiae conservantis et praedicantis doctrinam Christi. Quae demonstratio tota ad haec capita revocatur : Primum auditur et examinatur testimonium ipsius Christi ; quod deinde confirmatur testimonio miraculorum Christi, imprimis resurrectionis, deinde etiam mirae

propagationis et conservationis evangelii (: miraculum Ecclesiae), prophetiae, interni valoris religionis evangelicae, et absolvitur examine absolutae perfectionis revelationis evangelicae. Istis omnibus praecedat oportet examen fidedignitatis fontium historicorum revelationis, imprimis evangelicae.

2. Fidedignitas fontium. — Fons *revelationis priscae* sunt 11 priora capita Genesis (de quibus cf. P. *Heinisch:* Das Buch Genesis 1930; W. *Schmidt:* Die Uroffenbarung 1911). Revelationis *mosaicae* fontes sunt libri V. T.-i, *evangelicae* N. T.-i, potissimum historici : quattuor evangelia et Actus apostolorum. Fontes *Ecclesiae* sunt monumenta et documenta historiae, imprimis scripta Patrum, quorum fidedignitas quum nunc iam a nemine peritorum cuiusvis scholae in dubium vocetur, hic non est illustranda; utique autem fidedignitas Librorum s. eaque historica (de fidedignitate hagiographica Scripturae, necnon de fidedignitate traditionali fontium historicorum Ecclesiae cf. § 15. 16). Quum omnis quaestio de veritate revelationis in testimonio Christi tamquam in cardine vertatur, diligentius in fidedignitatem librorum N. T.-i, praesertim evangeliorum investigandum est; statuta credibilitate religionis evangelicae facilius etiam fidedignitas V. T.-i probatur (cf. § 14).

Ex doctrina artis criticae historicae huius temporis (cf. E. *Bernheim:* Lehrb. d. historischen Methode [6]1908 ; A. *Feder:* idem [4]1924) fontis historicae *fidedignitas conditiones* habet *genuinitatem* fontis, ut sc. sit eius temporis, loci, auctoris, cuius speciem praesefert, quo excluduntur fontes falsi seu erronei; et *integritatem*, quo interpolationes et mutationes essentiales excluduntur. Criteria vero, quibus statuitur ipsa *veracitas* fontis («potuit, voluit, debuit» verum narrare) sunt haec : *a)* indoles et ingenium auctoris et narrationis ; *b)* congruentia narratorum cum ceteris fontibus, necnon *c)* harmonia cum universali temporis illius indole.

1. *Genuinitas et integritas* evangeliorum et Actuum. — Introductio biblica statuit et abunde probat evangelium Matthaei et Marci scripta esse non post a. 60, Lucae et Actus cca a. 61—64, Ioannis cca a. 80—100 ; et quidem ab iis auctoribus, quibus titulis tribuuntur. Quod comprobatur *traditionis testimonio* fere unanimi inde a medio saeculo 2., etiam explicito (cf. testimonia notissima Iustini, Papiae, fragmenti Muratoriani etc.). Et confirmatur *argumentis internis* gravissimis : *a)* In synopticis nulla apparent vestigia *status iudaeorum penitus mutati* post a. 64. et imprimis post eversionem templi a. 70. *b)* Multae appellationes inde ab exeunte s. 1., necnon *lectiones variantes* inde ab ineunte s. 2. percrebrescentes produnt evangelia tunc iam pervulgata et in frequenti usu fuisse ; ergo multo ante sunt orta. *c)* Auctores sunt rerum et iudaicarum et christianarum peritissimi. *d)* Imo singula evangelia aliquantum produnt suum auctorem : Mc pedisequum Petri, Lc (cuius auctorem eundem esse atque Actuum nuper Harnack elegantissime probavit) comitem Pauli, Jn discipulum, quem diligebat Iesus.

Pariter *constat de integritate substantiali*, eo saltem sensu, quod post tempus originis supra laudatum mutationes substantiales iam non sint factae. Circiter 3000 apographa evangeliorum N.T.-i extant, ingensque multitudo lectionum variantium, quibus tamen ut peritissimus *Hort* statuit vix pars millesima textūs in discrimen vocatur. Idem confirmatur versionibus variis regionibus et linguis iam inde a s. 2. confectis, et ostenditur editionibus criticis, quae etiam a rationalistis vel inveteratissimis paratae eundem atque nostrae textum exhibent, si paucissima rerum substantiam non obfuscantia excipiantur.

2. *Veracitas* evangeliorum et Actuum. — *a)* Auctores librorum historicorum N. T.-i α) expresse *volunt* id quod factum est narrare ; etiam Jn (20) : «Multa quidem et alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in hoc libro. Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei». Sunt enim vel testes immediati, ut Mt et Jn, vel testium praecones ut Mc «pedisequus Petri» et Lc comes Pauli (cf. «nos-narrationes» Actuum), qui ut ipse testatur, assecutus est omnia a principio diligenter eaque ex ordine (καθεξῆς) scribenda sibi proposuit Lc 1.

β) Confirmatur *modo narrandi* evangelistarum : sincere et simpliciter quae facta sunt narrant, etiam ea quae ipsis in opprobrium sunt, nihil excusantes vel explicantes nullasque proprias opiniones et theorias in facta inferentes. Synoptici licet probabilissime post Paulum scripserunt, non tamen ideo ideas Pauli christologicas iam explicitiores (de praeexistentia, divinitate, redemptione, iustificatione, glorificatione Christi) inserunt, sed multa evidenter implicitiora et vetustiora praebent. Neque Ioannes suam de Verbo doctrinam, quam prologo evangelii significat, Christo tribuit.

γ) Ceterum *indoles eorum* candida, mens pia ab omni deceptione abhorrebat ; non audebant falsi testes Dei inveniri 1 Cor 15. *Nec ulla motiva* possunt assignari, quibus ad fallendum vel fingendum moverentur. Econtrario statim a iudaeis sibi infensissimis fraudis insimulati essent ; neque auditores praedicationi suae conciliare poterant fraudibus et fallaciis, utpote gravissima quaeque eis imponentes. Sibi vero rebus quae scribebant et praedicabant, persecutiones et mortem tantum parabant. Quod est novum et firmissimum argumentum veracitatis : «Je crois à des témoins qui se laissent égorger» (Pascal).

δ) Imo etsi voluissent, *non potuerunt* non scribere et narrare id quod fuit ab initio, quod audierunt et viderunt oculis suis et manibus contrectaverunt de verbo vitae (1 Jn 1, quod est quasi prooemium evangelii Jn). Impossibilie enim est ulli hominum fingere personam, characterem penitus singularem Christi (§ 11, 1), eo minus viris rudibus, litterarum imperitis, opinionibus praeiudicatis sui temporis et gentis implicatis, qui quomodo etiam doctrinam omnium sublimissimam (§ 13) finxerint, nemo est qui explicaverit. Imo peritis nostris videtur ipsum genus scribendi evangeliorum fingi omnino non potuisse.

b) Congruit narratio evangelica α) *cum* alio fonte principali, sc. *Ecclesiae existentia et testimonio vivo.* Est enim factum historicum mox probandum (§ 16) Ecclesiam extitisse iam ante evangelia conscripta, propagatam et conservatam esse postea quoque multis in regionibus sine Scriptura, et nihilominus ea docuisse atque professam esse usque ad martyrium, quae evangeliis narrantur. Est ergo Ecclesia alter testis independens eorundem factorum.

β) In substantia narratorum *synoptici conveniunt inter se,* imo si paucissima excipiantur (dies caenae ultimae, hora mortis Christi) *cum Ioanne,* cuius auctoritas historica a «criticis» addubitata confirmatur eo, quod diligentius ordinem chronologicum atque synoptici servat, tempora, loca, personas minutissime et vividissime describit, et ea quae propria habet, optime synopticorum narrationi inseri possunt.

Quae vero *in contrarium afferuntur:* res aliae narratae, imprimis sermones didactici subtiles, alius locus (non Galilaea synopticorum, sed Ierusalem), praesertim praeexistentia et divinitas Christi tam explicite et frequenter asserta, explicantur partim ex fine evangelii complendi synopticos et confutandi haereticos gnosticos (docetas), partim ex eo, quod Ioannes praeprimis aptus erat, qui de Christo subtiliora et videret et narraret. Alioqui ostendetur eandem esse etiam synopticorum de Christo Deo doctrinam atque Ioannis (tract. 4 cp 1).

Quae sibi contradicere invicem videntur in evangeliis, sunt *enantiophaniae* solvendae a sana exegesi (quod in dogmaticis hoc quoque Cursu fiet); si vero quaedam, ex defectu nostrae de rebus istis remotissimis minutioris scientiae non penitus solvuntur, paucissima illa substantiam narrationis evangelicae non tangunt, et ubi plurimum, ostendunt, evangelistas non ex condicto scripsisse, ergo eo maiorem fidem mereri illorum in quibus sibi consentiunt.

γ) *Consentiunt cum epistolis paulinis;* quae consensio, licet haud multa complectatur (Paulus enim non narrationem factorum sibi proposuerat), eo est maioris pretii, quod Paulinae etiam a nostris criticis genuinae habentur, ante evangelia synoptica inter a. 51—59 conscriptae, ergo fontem independentem et factis propinquiorem constituunt.

c) Evangelia optime *congruunt moribus humanitatique istius temporis;* res religiosas, politicas, mores indolemque hominum, artes et ideas ita narrant, prout fontibus etiam profanis exhibentur. Qui concentus eo est maioris pretii, quod post Hierosolymam eversam rerum ordo in Palaestina totus ita est immutatus, ut tunc temporis, deficiente eruditione archaeologica, plane impossibile fuerit ea fingere. Item lingua evangeliorum, κοινή hebraizans necnon scribendi genus optime temporibus et regionibus istis congruit et vel iam peculiari sua indole peritis genuinitatem prodit.

d) Accedunt *testimonia iudaeorum et gentilium,* ex rei natura paucissima quidem; quae enim in angulo Imperii fiebant, apud gentem «detestabilem» iudaeorum, romanis et graecis vix memoriā digna videbantur; eo autem sunt pretiosiora.

Ita *Iosephus Flavius* († cca 95) Antiqu. iud. XVIII 5, 2 Ioannis Baptistae et praedicationem et auctoritatem et exitium a Herode paratum narrat; XX 9, 1: ab Anania pontifice lapidatum esse cum aliis Iacobum, fratrem «illius Iesu, qui dicebatur Christus». Post quae nihil mirum, quod XVIII 33 legitur: «Eo etiam tempore fuit Iesus, vir sapiens, si tamen virum eum appellare fas est. Fuit enim mirabilium operum effector, magister hominum qui verum cum voluptate accipiunt, multosque iudaeos, multos item gentiles ad se pellexit. Hic erat Christus. Quem quum Pilatus ab hominum nostrorum primis delatum crucis supplicio addixisset, eum tamen amare non desierunt qui primum amaverant. Apparuit etiam tertia die redivivus, divinis vatibus et haec et mille alia de eo miranda effatis. Atque ab eo denominata christianorum natio durat usque ad hunc diem». Quod testimonium celeberrimum a plerisque criticis, etiam catholicis hodie in discrimen vocatur, ab haud paucis iisque eximiis (Harnack, Götz) admittitur etsi interpolatum (praesertim: «Hic erat Christus»). — Quid iudaei istius temporis de Christo senserint, postea *Talmud* collegit, multa quidem falsa (Christum aegyptiorum artes arcanas didicisse: Orig. Cels I 28), imo blasphema (fabulam ortus Christi ex Panthera milite quodam) effutiens, existentiam tamen Christi historicam affirmans.

Ex romanis *Tacitus* Annal. XV 44, ubi narraverit incendium Urbis a. 64, cuius auctor nefarius Nero christianos insimulavit, prosequitur: «Auctor nominis eius Christus Tiberio imperitante per procuratorem Pon-

tium Pilatum supplicio affectus erat. Repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modo per Iudaeam, originem eius mali, sed per Urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque». — *Suetonius* vero de Claudio (Vita 25) narrat «Iudaeos impulsore Chresto (ita gentiles saepe ; cf. Tert. Ap. 3) assidue tumultuantes Roma expulit». — *Plinius Iunior* denique († 113) proconsul Bithyniae Ep. X 97 Traianum consulit de christianis delatis «propter periclitantium numerum», et testatur «hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent». Cf. J. *Aufhauser:* Antike Jesus-Zeugnisse [2]1925; H. L. *Strack:* Jesus, die Haeretiker und die Christen 1910.

Iam vel ex his testimoniis omni exceptione maioribus apparet, quam stulte quidem ex nostris (A. Kalthoff, Smith, A. Drews) *existentiam Christi historicam* negaverint. Quod quam absurde dictitetur, iam existentia Ecclesiae coarguit, quae via facti etiam existentiam historicam sui auctoris probat. Cf. F. *Kiefl:* Der geschichtliche Christus und die moderne Philosophie 1911.

3. Rationalismus biblicus fidedignitatem evangeliorum (et aliorum librorum sacrorum) eo impugnat, quod supernaturalia, imprimis miracula narrent. Ad quae expungenda varia «*theoriae rationalistae*» sunt excussae :

1. *Theoria fraudis*, cuius auctor Samuel *Reimarus* (Schutzschrift für die vernünftigen Verehrer Gottes, cuius partes titulo Wolfenbütteler Fragmente edidit Lessing 1774—8) docuit apostolos post Christi mortem spe regni messiani politici erigendi elusos, Christo miracula, imprimis resurrectionis affinxisse, ut regnum istud, utique iam spirituale, tamen erigere possent.

2. *Interpretatio naturalis* praedicat evangeliorum auctores non fuisse deceptores ; sed paedagogi boni ut erant, sicut et ipse Christus, veritates religionis naturalis atque praecepta moralia non ieiune arideque, sed ad mentem et gustum plebis miris ornata tradebant, e quibus ergo sana interpretatione veritas sobrie enucleanda est. Ita *Kant*, deinde humanismi germanorum antesignani : Herder, Lessing, Goethe ; prae ceteris *Paulus* theologus protestanticus, professor Heidelbergensis († 1851) necnon ille *Renan:* Vie de Jésus 1863.

3. *Theoria mythica*, cuius auctor, F. D. *Strausz* libro infami «Das Leben Jesu» 1835 docet hunc in modum : Tempore quo religio christiana enascebatur, iudaei expectationibus messianis pleni, fanatismo agitati ideas suas messianas, imaginatione excitati ut erant, inconsulto miraculorum specie induebant, eadem modo augebant, nova affingebant et omnia ista iterum inconsulto paulatim in Christum, rabbinum quendam satis ignotum inferebant. Hi mythi christiani continuo novis elementis a phantasia christiana aucti demum post medium s. 2. scriptis mandati evangelia constituunt. Sic ergo Christus historicus coloribus supernaturalibus Christi idealis ornabatur et velabatur.

4. *Schola tubingensis*. F. Ch. *Baur* († 1860) hegelismo imbutus religionem christianam tamquam synthesim ex antithetis petrinorum et paulinorum prodiise finxit. Rixarum et pacis documenta ad finem s. 2. in formam quam nunc praebent redacta constituunt nostra evangelia et Paulinas, utique mythis, imo fictionibus piae partium tendentiae referta. — Multi postea doctrinam suam ex superioribus *eclectice* consuebant, uti Wrede et *Harnack;* et his diebus omnes fere anteriores opiniones rationalistae confluunt in

5. *Schola religioni-historica* (in Germania Heitmüller, Bousset, Gunkel, Bultmann, et quam plurimi aliarum gentium, necnon modernistae), quorum haec sunt placita praecipua : *a)* Omnis religio ex sensu quodam religioso enascitur ; etiam quae supernaturalia habentur, uti miraculum, revelatio, theophaniae, sunt tantum species quibus vividior sensus religiosus ideas suas induit, quippe qui mythis, symbolis, etiam doctrinalibus, seu mysteriis vehementer delectetur. *b)* Religio christiana quoque ad normam generalem evolutionis historicae religionum est examinanda ; et sic syncretismus esse invenitur iudaismi cum adiacentibus religionibus, praesertim mandaeismi, omnium quae hucusque extiterunt religionum perfectissima, ulteriore evolutione tamen superanda. *c)* Libri N. T.-i, praesertim evangelia, non sunt opera singulorum auctorum notabiliorum, sed ad fidem societatis christianae a turba anonyma composita, ad normam litterarum tunc temporis inter plebeios vigentium : proverbia, parabolae, narratio miraculosa, diatribe moralis etc. («formengeschichtliche Methode»). Ista ergo *d)* Christum et evangelium fidei nobis exhibent, ex quibus demum arte critica Christus historicus, utique longe alius ab illo, eruendus est.

Hi omnes historice et critice se procedere iactant ; exploratum tamen est, quod et ipsi quandoque fatentur, *omnem istam «criticam» hoc uno niti dogmate negativo:* supernaturale non est possibile (philosophice), ergo non existit (historice). Quo fundamento labente (§ 4. 7. 8) totus ruit rationalismus biblicus. Non factis sed opinione ista praeiudicata ac obstinata imperari omnem rationalismi biblici operam «criticam», luculenter ex his duobus apparet : *a) Quivis posterior priores vehementissime errorum accusat,* uti Strausz Paulum, religioni-historici eclecticos, praesertim Harnackium. Testimonia ergo eorum consentientia non sunt et seipsos iudicant ; singulis enim haec inscribitur sententia : «Ecce pedes eorum qui sepelierunt virum tuum, ad ostium et efferent te» Act 5. *b)* Tenentur mordicus nec dimittuntur hoc *circulo vitioso:* Pro constructionibus suis «criticis» vitae, indolis, doctrinae Christi et priscae Ecclesiae, quae sibi ex dogmate suo negativo non-existentiae ordinis supernaturalis effingunt, invocant textus «genuinos», ciritice cribratos ; istius criticae textus ac litterarum vero hanc habent normam: quae supernaturalia de Christo eiusque doctrina narrant, non sunt genuina.

At etiam *in historiam et psychologiam impingunt.* Etenim maxima pars nostrorum rationalistarum largitur priores, imprimis Strauszium et Tubingenses de tempore evangeliorum gravissime errasse. *Harnackius* eorum longe doctissimus iam ante semisaeculum confessus est : «Wir sind in der Kritik der Quellen des ältesten Christentums ohne Frage in einer rückläufigen Bewegung zur Tradition. Der chronologische Rahmen, in welchem die Tradition die Urkunden angeordnet hat, ist in allen Hauptpunkten von den Paulusbriefen bis zu Irenaeus richtig» (Gesch. d. altchristl. Literatur 1887. I p. X). Deinde *schola religioni-historica* ostendit partes N. T.-i supernaturalia referentes eiusdem tenoris et valoris litterarii esse atque cetera, ergo nomine «criticae» subtilioris non posse expungi ; earumque exegesim catholicam, non vero liberalem protestanticam (v. g. textuum eucharisticorum) esse veram.

Restat ergo ipsis, veritatem catholicam renuentibus, unicum refugium: *Viginti illos annos,* quibus prima scripta christiana, paulina, a morte Christi

separantur, satis fuisse *ad Christum «fidei» a historico tam alienum fingendum*. At isto suo asserto ipsi contendunt *a)* priscos christianos, *homines rudes et plebeios* fingere potuisse personam et doctrinam ipsis quoque fatentibus omnium sublimissimam ; *b)* idque viventibus et non contradicentibus tot testibus immediatis, in quibus et inimici acerbissimi erant ; *c) hanc fictionem* plurimis et ingentibus impedimentis non obstantibus a genere humano esse acceptam et *fructus saluberrimos* protulisse (§§ 11. 13) ; *d)* criticos s. 20-i plerumque professores alienissimos a rebus vitae et mundi, melius scire, quid ante duo milia annorum Christus fecerit et docuerit, quam contemporaneos et subaevos. Quis et quinam haec omnia credere poterit !?

Ceterum si in aliis quoque eadem «critica» exigeretur atque qua rationalistae priscam historiam christianam impetunt, actum esset de omni omnino historia.

§ 10. Testimonium Christi de seipso.

Statuitur 1. factum, 2. veritas, 3. confirmatio testimonii Christi.

1. Factum. — THES. **Iesus Christus testatus est se esse legatum divinum omnium ultimum et absolutum.**

EXPLIC. «Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula» Heb 1. Ergo Christus non modo divina nuntiavit et promovit, legatione mediata, uti v. g. s. Bonifacius ; sed *immediate a Deo est missus*, imo eum in finem, ut revelationum seriem pro omni tempore et pro omnibus gentibus absolvat ; et auctoritatis istius absolutae ratio et radix est, quod ipse non solum legatus, sed *Filius Dei* est sensu metaphysico, seu ipse Deus homo factus, secunda Divinitatis persona incarnata. Ilud testimonium Christi de sua divinitate hic implicite et materialiter proponendum est ; explicite et formaliter vero in christologia (§ 52). Etenim ex fidedignitate Christi rationi philosophicae pervia aliqua quidem fides, humana inquam, divinitatis eius potest concipi, at non illa vera, quae auctoritate Dei revelantis nitatur.

DEMONSTR. 1. *Christus Messiam se testatur.*

Exploratum est omnem prophetarum doctrinam et spem israelitarum fuisse Messiam venturum (§ 12) et regnum eius : regnum caelorum, regnum Dei (§ 78). Compertum quoque est inde a tempore macchabaeorum multos talem expectasse Messiam, qui regnum politicum iudaeorum instauret et adversus imperium romanum vindicet. Haec idea *messianismi politici* pharisaeorum et rabbinorum, multis apocryphis V. T.-i (cf. St. Székely : Bibliotheca apocrypha 1923 p. 64 ss.) manifesta et ss. 3.—5. in Talmud litteris mandata haud paucos plebis, praesertim galilaeos, imo et apostolos ad tempus pervadit. Alii vero plane desperantes regnum iudaeorum posse vigente imperio romano in hoc saeculo erigi, finem huius saeculi et novum mundum expectabant et in isto regnum Dei instituendum : *messianismus eschatologicus et apocalypticus* (Henoch, 4 Esdr apocrypha). Pauci demum pii tempore Christi Messiam eiusque regnum sensu prophetarum expectabant, uti Ioannes Baptista Mt 3 ; Jn 1, Ioseph Mt 1, 20, Zacharias Lc 1, Simeon et Anna Lc 2.

Christus vero candide et simpliciter, diserte tamen praedicat se esse Messiam a prophetis promissum, a piis expectatum : *a) Titulum Filii hominis*, qui ex Dan 7 hodie etiam a criticis messianus habetur, 87-ies sibi in evangeliis tribuit (F. Tillman : Der Menschensohn 1910)

et se totum in eo esse profitetur, ut regnum Dei instituat (§ 78). *b) Apud synopticos* ipse est, quem iusti V. T.-i videre cupiebant : «*Beati oculi, qui vident quae vos videtis. Dico enim vobis, quod multi prophetae et reges voluerunt videre quae vos videtis, et non viderunt, et audire quae auditis, et non audierunt*» Lc 10 ; qui implet Legem et prophetas : «*Nolite putare, quoniam veni solvere legem aut prophetas; non veni solvere, sed adimplere*» Mt 5 (cf. 11, 3-5 ; Mc 12, 10 ; Lc 7, 19-22). *c)* Ipse est, qui *adduxit tempus messianum.* Quum Ioannes Baptista discipulos misit ad eum quaerentes : Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? «respondens dixit illis : Euntes renuntiate Ioanni, quae audistis et vidistis : Quia caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur» Lc 7. *d) Apud Jn* Messiam se profitetur Nicodemo 3, mulieri samaritanae 4, discipulis (5, 38 ; 10, 36) et Pilato 18 etc.

Non est ergo mirum, quod *critici* hodie adversus priores (Wrede) largiuntur Christum se Messiam esse professum. At contendunt *a)* id tarde *sub finem vitae* fecisse. Quod equidem non est verum. *Iam duodennis* profitetur : «Nesciebatis, quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse?» Lc 2 ; neque potuit adulescens familiā omnique tutela tribus relicta vitam publicam amplecti, si persuasum sibi non fuit de munere messiano. Id unum dandum est Christum propter falsas suorum ideas messianas *sapienti continentia* et cautione esse usum. Primum implicite tantum legationem suam messianam profitebatur admittens confessiones spontaneas (Jn 1, 19 ; Mt 4) ; deinde munera et privilegia messiana sibi vindicavit, sed nondum coram (Mt 16, 15 ; Jn 4, 20 ; 6, 69) ; denique palam id praedicavit, simul corripiens falsas ideas coram discipulis (Mt 16, 21 ; 22, 19 ; Mc 10, 37 ; Lc 5, 34 ; 22, 49), apud populum (Mc 10, 45 ; Mt 26, 10 ; Lc 17, 24), interdum prohibens ne manifestetur (Mc 1, 34 ; 3, 12 ; Mt 16, 20) ; coram tribunali Mt 16. — *b)* Ipsum quoque *captum fuisse messianismo eschatologico.* At contrarium manifestavit iam vel eo, quod Ecclesiam fundavit (§ 78). Neque secundum suum adventum eschatologicum, seu parusiam proxime instare docebat, uti A. Schweitzer, G. Dalmann, A. Loisy multique alii modernistae contendunt (§ 12).

2. *Legatum immediate ab ipso Deo provenientem et missum se praedicat,* qui ante fuit apud Deum, imo Filius Dei, ea annuntians quae vidit apud Deum patrem suum : «*Qui me recipit, recipit eum, qui misit me*» Mt 10 ; «*Et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei; quia ideo missus sum*» Lc 4 ; «*Ego enim ex Deo processi et veni; neque enim a meipso veni, sed ille me misit*» Jn 8 ; et qualisnam ista sua missio sit, manifeste enuntiat : «Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret» Jn 3 (cf. § 52, ubi ex asse divinitas et filietas metaphysica Christi ostendetur). Ex quo percipitur peculiaris indoles et *pretium suae doctrinae:* «*Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. Et qui videt me, videt eum qui misit me . . . Quia ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam et quid loquar. Et scio quia mandatum eius vita aeterna est*» Jn 12.

3. Ideo Christus testatur *se esse magistrum omni exceptione maiorem, a)* habens omnem potestatem, post quem iam nullus alius est expectandus : «*Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo scit, quis sit*

Filius, nisi Pater; et quis sit Pater, nisi Filius et cui voluerit Filius revelare» Lc 10 ; «*Vos autem nolite vocari Rabbi* (in quo delectabantur scribae et pharisaei) ; *unus est enim Magister vester*» Mt 23 ; «*Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes*» Mt 28. — *b)* Est *maior Salomoni* Mt 12, omnibusque *prophetis* Mt 21, qui corrigit veterem Legem a Jahve ratihabitam, idque propria potestate (Mt 5-7 sermo montanus : «dictum est» — «ego autem dico vobis») ; et ideo ipse eiusque doctrina est *principium, norma, pignus et centrum omnis vitae etiam aeternae:* «Qui credit in me, habet vitam aeternam» Jn 6 ; ipse est via et veritas et vita Jn 14. — *c)* Idque pro omni tempore : «*Caelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* Mt 24 ; «*et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*» Mt 28 ; et pro omnibus hominibus ; licet enim identidem se ad Israel missum esse sit professus, tamen statim ab initio evangelium suum *omnibus gentibus destinatum* esse praedicavit, idque expresse (non implicite tantum vel virtualiter = tenore suae doctrinae : Harnack ; neque sub finem vitae : H. J. Holtzmann ; cf. M. *Meinertz:* Jesus und die Heidenmission ²1924) ; ita enim iam prophetae de regno Dei sentiebant (Is 2, Ier, Ez, Zach 14), quos ipse implevit ; ita et ipse parabolis caenae magnae, filii prodigi, domini vineam locantis. — Non est ergo mirum, quod ratam habuerit confessionem Petri : «*Domine ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes. Et nos credidimus et cognovimus, quia tu es Christus, Filius Dei*» Jn 6.

2. Veritas. — Quum pharisaei obloquerentur : «Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum, respondit Iesus et dixit eis : *Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum; quia scio, unde venio et quo vado*» Jn 8. Et revera omnis fidedignitas testis in eo vertitur, ut sciat verum et vere enuntiet quae scit : scientia et veracitas. Iam vero

a) Jesus Christus *sapientissimus* omnium probatur. De rebus dificillimis, de Deo et relatione mundi atque hominum ad Deum, de natura, de principio et fine vitae humanae, de norma et instauratione morum, in diudicandis casibus intricatis dilucidissime ac candidissime loquitur, tamquam qui quod vidit et audivit testatur. Imo tota theologia quid est, nisi ingens argumentum sapientiae Christi? (cf. §§ 13. 57). Quae tam perspicua sunt, ut Christus etiam a rationalistis criticis ut homo omnium sapientissimus celebretur (cf. Harnack : Wesen des Christentums 1903). At psychologice penitus est impossibile, ut qui tam diserte ac tanta acuitate omnia diudicat, de seipso in errorem inducatur. Sui-cognitio enim hominis est clavis omnis altioris cognitionis rerum humanarum ac divinarum : «Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit» Mt 6.

b) Est omnium *sanctissimus* (§ 58), quem neque acerrimi inimici ullius peccati arguere poterant. Si ergo Christi sapientia excludit omnem errorem de persona et munere ipsius, humilitas, aequus in omnibus

animus, veracitas impossibilem reddit omnem exaggerationem vel alterationem suae de se scientiae, quando testimonium de seipso perhibet; esset enim gravissima iniuria imo blasphemia in Deum necnon gravissimum scelus in homines, a quibus fidem in seipsum tamquam conditionem vitae, etiam aeternae postulabat.

Inevitabile est ergo *dilemma:* Christus aut est quem se esse praedicat, aut miserrime fallitur, vel quod multo miserius, fallit.

1. Et quum hodie nemo iam audeat Christum deceptorem dicere, quidam (uti Rasmussen, Binet-Sanglé) eum *paranoicum* habent. — At nihil eorum, quibus periti paranoiae naturam describunt, in Christo invenitur, sed contraria omnino, ut medicus protestanticus H. Schäfer: Jesus in psychiatrischer Beleuchtung 1910 ostendit. Tota illa opinio horrenda somniis futtilibus et blasphemis innititur (cf. Schütz : Krisztus p. 78 ss.).

2. Aliis placet Christum «*extaticum*», «*visionarium*» habere (Bousset, J. Weisz, R. Otto, A. Schweitzer), qui fanatismo motus divina se pati et videre somniaverit et ea aliis persuaserit. — Cuius sententiae *a)* si *argumenta* quaeras, ad id unum omnia redeunt : Supernaturalia metaphysice sunt impossibilia et ideo vel psychologice, vel plane psychopathologice sunt explicanda. Quod enim invocant isti : Christum a quibusdam *daemoniacum* esse habitum (Jn 8, 48 ; 10, 20 ; imprimis Mc 3, 21), non quod revera fuerit, manifestant, sed quid adversarii vel etiam proximi praepostere senserint. Ceterum omnia quae evangelia de indole statuque animae Christi mansueto, sapienti, constanti, concinno (cf. § 12, 1) narrant, psychologice et characterologice excludunt animum Christi fuisse quasi mala valetudine constitutum. *b)* Deinde quis sibi persuadebit, doctrinam evangelicam omnium sublimissimam, religionis evangelicae et propagationem conservationemque, et saluberrimos *fructus* a vitiositate animi cuiusdam visionarii provenisse?! *c)* Eiusmodi opiniones *ab iis* tantum excoquuntur, qui utpote libris ac litteris obruti ne suspicantur quidem, quibusnam viribus ac virtutibus vita humana instauretur ac historia gentium dirigatur ; quique evolutionismo parum subtili fanatice dediti, logicae vero penitus immemores plenitudinem ex inopia, sanitatem ex morbo, vim ex imbecillitate, lucem e tenebris deduci posse somniant.

3. Hoc ergo unicum effugium manet rationalistis : testimonia Christi de suo munere et dignitate *Christo non historico sed fidei* esse tribuenda (B. Weisz, Pfleiderer, Harnack et permulti alii). — At *a)* haec opinio nullo alio nititur *fundamento* nisi dogmate negativo de impossibilitate metaphysica supernaturalium (§ 9, 3). *b)* Si ea quibus Christi dignitas prophetica et divina statuitur, ut fictio priscae societatis reicienda sunt, tunc *nihil omnino de Christo historico* erui potest. Quum enim ex doctrina scholae recentisimae, religioni-historicae, textus utriusque generis, et naturalia et supernaturalia narrantes eiusdem sint pretii, vel omnes sunt reiciendi et tunc cum Christo fidei pessumdatur etiam Christus historicus criticorum, vel omnes sunt accipiendi, et tunc fatendus est Christus legatus divinus omnium supremus. *c)* Ineptum est personam Christi, maximum miraculum historicum (§ 11, 1) eiusque doctrinam omnium sublimissimam hominibus rudibus tribuere. *Effectus* iste multoties *excederet causam,* quod est contra sanam philosophiam. Manet ergo unica narrationis evangelicae vera explicatio : Christum esse epiphaniam Veritatis.

3. Confirmatio. — Quod confirmatur his : 1. Testimonium Christi iam vel *modo* quo proferebatur fidem suadet : *a)* Caepit enim Christus «*facere et docere*» Act 1; «*Vos vocatis me Magister et Domine; et bene dicitis: sum etenim . . . Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis,*

ORSZ. SZÉCHÉNYI KÖNYVTÁR

ita et vos faciatis» Jn 13. Quod et morte confirmavit Mt 16, 62 ss. *b)* Doctrinam et testimonium suum Christus *candide et sincere* protulit spretis omnibus illis mediis, quibus suggestio fieri solet ; eo maiorem vim verbis ipsa persona addidit, quod auditores etiam simplices sentiebant : «*Et factum est, quum consummasset Iesus verba haec* (sermonem montanum), *admirabantur turbae super doctrina eius. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut scribae eorum et pharisaei*» Mt 7.

2. Hinc qui bono corde testimonium illud audiebant, statim persuasionem usque ad mortem inde capiebant, uti Nicodemus Jn 3, mulier samaritana Jn 4 ; imprimis apostoli Mt 16, Jn 6, qui et morte persuasionem illam confirmare parati erant, et omnis suae constantiae apostolicae vim et zelum inde hauriebant Act 1—4. Ideo *conversio* gentium et propagatio evangelii est confirmatio disertissima testimonii Christi de seipso.

3. Item quum Christus in confirmationem sui testimonii frequentissime appellet *vaticinia*, praesertim autem *miracula* ab se edita (§ 11. 12), testimonium de seipso novis argumentis confirmat.

§ 11. Testimonium miraculorum.

Statuuntur 1. miraculum personae Christi ; 2. miracula Christi, imprimis 3. resurrectionis ; 4. miraculum Ecclesiae.

1. Miraculum personae Christi. — Persona, ingenium et indoles, «character» Christi, prout evangeliis exhibetur, est miraculum (morale) ; seu non modo excedit omnes vel excellentissimos viros, sed talia praestat momenta, quae naturaliter, arte characterologica explicari non possunt, ergo altiorem causam appellant. Quorum praecipua sunt haec :

1. *Plenitudo cum universalitate.* Conspiciuntur enim in Christo omnes verae perfectiones, uti devotio, caritas, constantia, fortitudo, iustitia, prudentia etc., eaque summo gradu ; quum alii, etiam sanctissimi uno alterove excellant. Ideo norma est et exemplar omnibus hominibus cuiusvis gradus, aetatis, sexus, conditionis, negotii. Habet enim et hoc singulare, quod non circumscribitur limitibus suae patriae, gentis, epochae ; quum alii etiam excellentissimi typum suae gentis et aetatis praeseferant.

2. *Harmonia perfectissima* eorum quae in aliis hominibus se excludunt, inter se pugnant, se invicem extenuant. Conspicitur enim ut transcendens humana, ex alia quasi patria superna et invisibili prodiens, nihil tamen vere humani a se alienum putat usque ad lacrimas et maerorem. Universalitatem supra laudatam maxima determinatione individuali iungit; et virtutes oppositas quoque perfecto concentu possidet : fortitudinem cum mansuetudine, misericordiam cum iustitia, vitam activam cum contemplativa, simplicitatem cum summa prudentia etc.

3. *Perfectio absoluta.* In omnibus comprehensor apparet, non viator : Novit omnia, quin litteras didicerit ; paenitantiam enixe commendat, quin ipse unquam ea indigeat ; nec vel levissime indicatur, eum sicuti ceteris grandibus hominibus contigit, e tenebris ad lucem, ex imperfectionibus et debilitatibus ad perfectionem enituisse ; semper enim talis fuit.

4. *Singularis efficacia.* Omnes quibus obvius fit, statim vel ad heroicam imitationem et professionem accendit, vel ad acerrimas inimicitias ; idque non modo quando vixit ; sed etiamnum, post tot saecula, et summi obsequii et infernalis odii est auctor atque causa.

Quorum non invenitur alia ratio sufficiens, nisi illud prologi Jn : «*Verbum caro factum est et habitavit in nobis; et vidimus gloriam eius,*

gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis». Unde et aliam conclusionem efficere fas est : *Impossibile fuit* priscae societati christianae hunc Christi characterem *fingere;* longe enim omnem sensum humanum superat ; iam vero nemo potest dare quod non habet. — Cuius argumenti vis eo confirmatur, quod priscae societati christianae persuasum erat *in Christo apparuisse ipsum Deum.* At qualem sibi fingat sensus plebis Deum-hominem, speciminibus videre iuvat in *evangeliis apocryphis* tot vana, ludicra, imo impia narrantibus, ut vel his indirecte genuinitas et fidedignitas evangeliorum confirmetur.

2. Miracula Christi. — Testibus evangeliis vitae et doctrinae Christi quasi comites assidui erant miracula, partim nativitatem, baptismum, mortem eius comitantia, partim a se ipso edita, quorum tanta est multitudo et varietas, ut Christus miraculorum edendorum habitu praeditus videatur, *thaumaturgi omnium excellentissimi dignitatem praestans.* Evangelistae enim aliquando *summatim* narrant : «Virtus de illo exibat et sanabat omnes» Lc 6 ; imo fatentur : «Multa quidem et alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc» Jn 20 ; cf. 21, 25. *Singillatim* deinde referuntur tres resuscitationes (iuvenis naimitae, filiae Iairi, Lazari), 21 sanationes et exorcismi, 10 miracula in rerum natura edita (III 44). Quorum probatur

1. *Veritas historica.* — *a)* Sunt ista facta *sensibus pervia, publica,* imo quandoque inquisitioni publicae subiecta (Jn 9. 11), scitu tam facilia ac alia ab evangelistis narrata, quibus ergo neque in his fidedignitas deneganda est. *b)* Revera admittebantur α) *a iudaeis* Christo infensissimis : «Quid facimus, quia hic homo multa signa facit» Jn 11 (cf. Mt 12, Mc 3, 6 ; test. Jos. Flavii) ; β) *a gentibus:* Iust. (Apol. I 48) gentes invocat, ut facta Christi «ex actis sub Pontio Pilato confectis» discant ; Celsus quoque assensum praebet miraculis Christi, at ea «non divina virtute, sed magicis artibus facta fuisse calumniatur» (Orig. Cels. I 38) ; Quadratus in apologia Hadriano oblata testatur quosdam ex iis qui a Christo sanabantur vel ad vitam resuscitabantur, usque ad illa tempora (cca a. 120) superstites fuisse (ap. Eus. H. E. IV 4). *c)* Miracula multa inseparabiliter *connectuntur cum persona et missione Christi* vel cum aliis factis evangelicis, v. g. cum conversione Nicodemi Jn 3, sedatio maris Galilaei cum conversione galilaeorum multorum Mc 4, alia cum multis sermonibus Jn 5. 6 ; ita ut et multi critici fateantur, narrationes miraculorum non posse eximi de contextu, quin tota narratio evangelica corruat.

Quae quum ita sint, unicum est *effugium rationalistarum:* Evangelia *tali aetate orta sunt, quum miracula facile crederentur,* quum quaecumque facinora prodigia haberentur et viris excellentibus affingerentur. — At omissis aliis contra rationalistas dictis : propter nexum inseparabilem miraculorum cum opere Christi si miracula figmentum sunt plebeiorum credulorum, tunc totum etiam *evangelium fictio* est ; at tunc *maius* imminet rationalistis *miraculum* solvendum : quomodo mera fictione religio christiana oriri, propagari, conservari, fructus facere potuerit?

2. *Veritas philosophica.* — Multa Christi miracula iam *primo obtutu* ex iis quae de theoria miraculi disseruimus, miracula absoluta conspiciuntur, uti resuscitationes, multiplicatio panis, sedatio maris, sanatio caeci nati, leprosorum elephantiasi laborantium ; de multis idem patet, si diligentius examinantur conditiones eorum, v. g. sanationes mero vocis imperio factae. Si de quibusdam sanationibus et exorcismis dubium suboriatur, illud restinguitur eo quod *ipse Christus* ea miracula habet : «Ego autem habeo testimonium maius Ioanne : opera enim quae dedit mihi Pater, ut perficiam ea» Jn 5 ; quod utique considerata sapientia et sanctitate Christi, omni exceptione est maius. Et confirmatur futtilitate ambagum, quas exquirunt *rationalistae :*

1. Christus naturae viribus occultis est usus, tamquam «*medium*» omnium excellentissimum. — At *a)* impossibile fuit, ut Christus uteretur viribus naturae *sibi occultis;* ad nutum et propositum enim eis utebatur. Si vero *sibi cognita* et occulta nobis illa erant, fuit cognitio ista plane singularis magnum miraculum (historicum, morale). *b) Miracula spiritistica* toto caelo ab evangelicis differunt : nulla eorum sunt miracula quoad substantiam, omnia sedulo praeparantur, lucem fugiunt, carent indole sapientiae ac sanctitatis ; ubi plurimum, daemonum ope fiunt ; quod iam Christo iudaei exprobrabant («in Beelzebub eicit daemones»), ipso peremptorie contradicente : «Si satanas satanameicit, adversus se divisus est ; quomodo ergo stabit regnum eius?» Mt 12.

2. Saltem *sanationes suggestioni sunt tribuendae;* ideo enim ipse Christus fidem exigit (Mc 9, 22), et in patria paucissima tantum edit «propter incredulitatem eorum» Mc 6. — At *a) morbi organici*, uti caeci nati, leprosorum, manus aridae, hypnosi nullo pacto sanari possunt. *b)* Neque in aliis, in paralyticis et epilepticis, effectus hypnosis est certus et assiduus. *c)* Christus *nullis praeparationibus et observantiis* hypnotizantium usus est, neque suggerentem unquam egit, sed thaumaturgum divinitus missum, qui solum propterea fidem postulabat.

3. Exorcismos quod attinet, *daemoniaci erant hysterici*, quos Christus accommodando se opinioni populari suggestione curavit. — At *a)* haec opinio ponit nullos esse daemones et obsessiones esse impossibilies ; quod falsum est (§ 45) ; *b)* Christum *se accommodasse errori*, sive sciens sive nesciens veritatem ipsam ; quod utrumque graviter impingit in Christi sapientiam et sanctitatem. *c)* Insuper a peritis docemur hystericos parum esse pervios suggestionibus ; et si exorcismi singillatim considerantur, multis et gravibus ea distare a sanatione hystericorum apparet (Felder II p. 442 ss.). — Si vero cui mira videtur *ingens multitudo daemoniorum* tempore Christi saevientium, illud non sine sapienti Dei consilio permissum esse censendum est ; Christi enim exorcismis ad oculos monstrandum erat regnum diaboli esse abolitum et principem huius mundi eiectum esse foras.

3. *Veritas theologica* — miraculorum Christi ex his patet : *a) Ipse Christus* identidem testimonium miraculorum etiam sollemniter appellat: «*Opera quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me*» Jn 10 ; «*Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent*» Jn 15. Lazari resuscitationem petit a Patre, ut credant, quia ipse se misit Jn 11 ; paralyticum solvit, ut homines sciant Filium hominis habere potestatem dimittendi peccata Mt 9. *b) Ordo miraculorum* sapientiam et sanctitatem perfectissimam spirat; ostendunt enim Christum habere plenam potestatem in spiritus, hominem, naturam, eaque ūti

ad miracula edenda, ut et factum et modum redemptionis illustret; etenim «ea quae faciebat corporaliter, etiam spiritualiter volebat intellegi» (Aug. in Jn 24, 2); v. g. Jn 6. 9. 11. *c)* Id *effectus* comprobavit. Quod enim Nicodemus sentiebat : «*Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister, nemo enim potest haec signa facere quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo*» Jn 3, turbae quoque sentiebant : quum vidissent multiplicationem panum «dicebant : Quia hic est vere propheta (ὁ προφήτης), qui venturus est in mundum» Jn 6.

DIFF. 1. *Christus ipse non magni habuit miracula;* regulum reprehendit: «Nisi signa et prodigia videritis, non creditis» Jn 4 ; beatos dicit eos qui non viderunt et credunt Jn 20 ; et recte ideo antequam miracula ederet, fidem postulat Mc 9, 22. — At Christus neque his vim probandi miraculorum negat, sed *castigat animum illum leviorem*, prodigiorum quam veritatis cupidiorem, necnon *obstinatos*, qui neque disertissimis miraculis credunt et animo importuno nova semper exigunt. Ipsis locis illis appellatis miracula edidisse narratur. Fidem vero non universim ante miracula exigit, sed rarissime, et etiam tunc appellando magnum illud suae personae miraculum.

2. Multi *et alii mira faciebant*, uti Buddha, Mohammed, imo Apollonius Thyanaeus, quin istis probaretur eos vera docuisse. — At quae de eis mira narrantur, si paucissima excipiantur, historice non sunt vera ; et quae fors vera sunt, veritate tamen theologica carent, deficiente nexu inter sanctitatem doctrinae et miraculum.

3. Iudaei plerique, *testes immediati miraculorum, non crediderunt* Jn 12, 37. — At fides est assensus liber gratiā inspiratus. Excaecati vero videntes non vident, sicut quidam nostri, qui tam obstinate asseverant legum physicarum absolutam universalitatem, ut cum Voltaire et Renan non erubescant dictitare se mortui cuiuspiam resurrectionem non esse crediturus etiam si coram ipsis fieret.

ADDIT. Quae de miraculis Christi disseruimus, valent etiam *de signis nativitatem, baptismum, mortem Christi comitantibus.*

3. Resurrectio Christi — est signum missionis Christi omnium potentissimum, ab ipso Christo sollemniter appellatum et praenuntiatum : «*Generatio mala et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei, nisi signum Ionae propheta. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus*» Mt 12 ; cf. Jn 2, 18 ss. Evidens est enim resurrectionem esse miraculum quoad substantiam, imo quasi *summam omnium miraculorum Christi*, eo excellentiorem probandi vim praebens, quod Christus id propria virtute et auctoritate edendum praedicaverit. Est insuper pignus Christum esse resurrectionem et vitam, necnon *signum praecipuum redemptionis effectae:* «Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram» Rom 4 ; ac ideo est *fundamentum fidei:* «Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra» 1 Cor 15 (cf. § 65, 3).

Quae quum ita sint, non est mirum, quod *rationalistae*, quibus exploratum est reanimationem corporis esse impossibilem, ergo resurrectionem Christi non esse factam, ad argumentum hoc regium supernaturalitatis evangelii labefactandum omnia moliuntur. Praecipuae eorum theoriae sunt :

1. *Theoria fraudis*, cuius asseclae sunt *sadducaei* a tempore Christi (usque ad Reimarum et dies nostros), qui «pecuniam copiosam dederunt

militibus dicentes : Dicite, quia discipuli eius nocte venerunt et furati sunt eum nobis dormientibus» Mt 18.

2. *Theoria naturalistica* (Paulus, Schleiermacher) : Iesus mortuus esse videbatur, neque erat ; terraemotu (Mt 28, 2) expergefactus tumuloque aperto ad suos redux et curatus brevi vere mortuus est.

3. *Theoria visionaria* quam post Strauszium et Renanum nostri (Harnack, modernistae: Lament. 36) sic proponunt : Apostoli et alii discipuli quum primam molestiam, qua morte Christi affligebantur, excuterent, vehementi Dominum dilectum videndi desiderio excitati, vaticiniis quoque accensi animum in fiduciam erigebant Christum non omnino esse mortuum. Quum deinde quidam vividioris indolis et phantasiae (vel Petrus vel Maria Magdalena) eum redivivum hallucinarentur — non Hierosolymis, ubi mors et sepulchrum vi factorum imaginationes eiusmodi arcebat, sed in Galilaea (Paulus 1 Cor 15 ibi tantum apparitiones factas esse novit), contagione quadam psychica in ceteros quoque invaluit persuasio Christum vivere ; quae deinde «fides paschalis» paulatim persuasionem sepulchri vacui, «factum paschale» genuit, in qua fide generanda ex religioni-historicorum opinione *mythi naturae morientis et redivivae*, dei morientis et resurgentis (Adon, Osiris, Persephone, Dionysus, Attis, Thammuz) formam induentes suas partes habebant.

Resurrectio Christi est *fidei obiectum* (§ 65, 3), sed simul etiam *motivum*. Potest enim experientiā cognosci reanimatio Christi mortui ; fide vero creditur resurrectio Christi propria virtute ad redemptionem absolvendam effecta, sicut s. Thomas de Thoma apostolo dicit : Aliud vidit et aliud credidit ; vidit vulnera et credidit Deum (III 55, 5 ad 3). Hic probanda est resurrectio ut motivum credibilitatis seu ut factum historicum, ut miraculum verum, idque habita ratione contradictionum rationalistarum.

Probationis conditio est *Christum vere esse mortuum*. Quod historice certum est omnino. *Testes sunt* omnes *evangelistae* mortem Christi simpliciter narrantes, in quibus Jn spectator : «inclinato capite tradidit spiritum» Jn 19 (cf. 1 Jn 1) ; deinde *amici*, uti Ioseph ab Arimathaea, Nicodemus, mulieres, qui corpus ut mortuum condebant ; *inimici*, qui id unum prosequebantur, ut Christum opprimerent («argumentum firmissimum mortis Christi est odium iudaeorum» : Renan), et animo infrunito invigilabant, ne vera efficeretur prophetia eius Mt 27, 63 ; *officiales*, quibus crurifragii munus incumbebat, eorumque ad Pilatum facta relatio, cuius ipsa admiratio (fors propter mortem Christi iuvenis praecocem, forsitan quia prodigium expectabat) confirmat factum admirationem inducens. Denique *circumstantiae:* ipse condendi modus, centum librae aromatum, linteamina, arctum sepulchrum, quibus corpus occlusum fors semivivum iam per se suffocatum esset, si equidem cruciatus ineffabiles aliquid vitae ei reliquissent ; lancea dein militis latus eius aperiens quasi sigillum mortis operi crucis imposuit.

Christum vere mortuum post triduum (ex consuetudine sermonis orientalis ad triduum constituendum satis est primus dies declinans et tertius illucescens) *iterum vivum fuisse* est factum historicum ; ergo saltem «in facto esse» («in fieri» enim nullos habuit testes humanos) more historico probari potest resurrectio Christi, idque multis et disertissims argumentis, quorum primum est

1. *Praedicatio paschalis* eiusque effectus. — Est hoc argumentum *Augustini* (Civ. XXII 5) : Apostoli brevi mundo fidem resurrectionis

inserebant et sic evangelium mire dilatabant. Compertum est enim resurrectionem fuisse praedicationis apostolicae argumentum praecipuum (Petri : v. g. Act 2, 22 ; 5, 30 ; 10, 39 ; 1 Pet 1, 3 ; Pauli : 1 Cor 15, Eph, Col, Thess, Heb). At psychologice et historice impossibile fuit fidem tam insolita et grandia postulantem hominibus tot praeiudiciis oneratis, coram inimicis tam argute insistentibus suadere, si praedicatio nuntii paschalis facto non niteretur. «Hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod eam terrarum orbis sine miraculis credidit» (Aug. ib.). Et revera apostolis nihil est sollemnius quam praedicare Christum redivivum, «cuius omnes nos testes sumus» Act 3 ; iam pro Iuda sufficitur «testis resurrectionis» Act 1 ; et omnes cum Paulo negationem resurrectionis eo retundunt, quod alioquin «invenimur et falsi testes Dei» 1 Cor 15. Tria ergo haec : fides paschalis, praedicatio paschalis, factum paschale nexu causali indissolubili inter se iunguntur.

2. *Apparitiones.* — Narrantibus evangelistis et Paulo Christus «praebuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei» Act 1. Et apparitionum *undecim singillatim* mentionem faciunt :

1. Mariae Magdalenae Mc 16, 9 ; Jn 20, 11 ; — 2. mulieribus a sepulchro reducibus Mt 28, 9 ; Mc 16, 12 ; — 3. discipulis Emmaum petentibus Lc 24, 13 ; — 4. Petro Lc 24, 34 ; 1 Cor 15, 5 ; — 5. apostolis exempto Thoma Lc 24, 36 ; Mt 16, 14 ; Jn 20, 19. Haec omnia die resurrectionis fiebant. Deinde — 6. post dies octo omnibus apostolis cum Thoma Jn 20, 24 ; — 7. quinque apostolis et duobus discipulis ad mare Tiberiadis Jn 21, 1 ; — 8. plus quam quingentis asseclis in monte quodam Galilaeae 1 Cor 15, 6 ; Mt 18, 16 ; — 9. Iacobo Minori 1 Cor 15, 7 ; — 10. apostolis Hierosolymis ante ascensionem Mt 28, 18 par. — 11. novissime Paulo in porta Damasci Act 9 ; 1 Cor 15.

Quarum *narrationum fidedignitas* omnibus probatur, quibus fidedignitas evangelistarum et apostolorum elucet ; et confirmatur eo, quod praedicatio paschalis assidue hanc experientiam appellat : «Manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis» Act 10. Nec labefactatur eo quod critici ex multa libidine fingunt *Paulum* 1 Cor 15 *solum apparitiones galilaeas* narrare nec hierosolymitanas nosse ; ex enumeratione supra posita enim apparet duas has apparitionum series optime congruere ; nec Paulus hierosolymitanas penitus tacet (cf. apparitionem «Cephae et undecim» factas 1 Cor 15, 5 cum Lc 24, 34 et Jn 20, 19). Nec adversantur fidedignitati istarum relationum enantiophaniae quaedam, quae substantiam facti non tangunt et ab exegetis componuntur (cf. commentaria optima evangeliorum M. Lagrange ed. Gabalda).

Vix invenitur ullum factum remotum historicum, quod tot testibus et tam variis in conditionibus probatum illustretur. Testimonium istud historicum minime obfuscatur eo quod supernaturale quid narret. Etenim resurrectionis, «*in fieri*» revera nullus alius fuit testis externus quam angelus, internus solus Deus; at resurrectio «*in facto esse*» *potuit etiam historice statui;* satis fuit ad id statuere Christum vere mortuum esse et post aliquod tempus exploratum habere eundem vivere; quae sunt facta historica.

3. *Sepulchrum vacuum.* — Historice certum est die paschatis sepulchrum Christi fuisse vacuum. Huius testes sunt *a)* omnes qui narran-

tibus evangelistis hoc videbant. *b) Praedicatio paschalis;* impossibile enim est psychologice bona fide eum vivum praedicare, qui tumulo conditus scitur ; impossibile quoque id iis persuadere, qui facile tumulo inspecto contrarium experiri possunt. *c) Iudaei*, qui facto paschali reprimendo tantum insudabant, minime neglexissent facto sepulchri continentis corpus apostolis os obtundere. Atqui facti istius historici, sepulchri vacui, non potest esse alia causa ac id quod angelus mulieribus nuntiavit : Non est hic, resurrexit sicut dixit.

4. *Prophetia.* — Resurrectio Christi est insigne argumentum prophetiae et V. T.-i et ipsius Christi. Ergo factum resurrectionis confirmatur testimonio prophetiae § 12.

5. *Falsitas theoriarum rationalistarum.* — Theoria *fraudis* vel primo obtutu tam insulsa videtur, ut iam nemo eam proferre audeat. Facete monet Aug. (in Ps 63, 19) iudaeos : «*Dormientes testes adhibes*? Vere tu ipse obdormisti, qui scrutando talia defecisti. Si dormiebant, quid videre potuerunt ; si nihil viderunt, quomodo testes sunt?» Ecquis unquam sibi vel aliis persuadebit discipulos timidos, perculsos, abiectos tempore festorum, vigilantibus argutis iudaeis et militibus romanis, potuisse vexare tumulum, corpus furari et deinde mundo fidem paschalem commendare?

Theoria naturalistica ut fatua ab ipso Strauszio exploditur. Quomodo enim adversus tam diserta testimonia asseri potest Christum non esse mortuum? Aut terraemotu expergefactum vel plane absorptum esse? Quasivero linteaminibus convolutus surgere potuit ; vel ut evangelistae explicite narrant, linteamina terraemotu separatim poni potuere ! Quomodo evangelistae fidem merentur, ubi terraemotum narrant, et iam falsitatis arguuntur, ubi Christum redivivum exhibent?

Manet *theoria visionaria.* At post ea quae supra (1—4) statuebantur, apparet *a) logice falsa* utpote factis evidentibus contraria. Est etiam *b) psychologice impossibilis.* Etenim apparitiones limitibus 40 dierum circumscriptae, tam diversae loco et tempore, in cubiculis et sub divo, die ac nocte, singulis et multis conspicuae, tot hominibus factae, qui eum videbant, palpabant (sicut Thomas, cuius incredulitas tam uberis fidei fuit auctor : Greg. M.), cum eo colloquebantur, prandebant : in omnibus contrariantur notis quibus ex doctrina psychologiae hallucinationes insigniuntur. At neque possunt esse effectus meri spiritus, prout post Lotze quidam modernistae somniabant; iam vel ideo, quia sic Christus deceptor est, docetismo quodam corporis speciem praebens et non habens. *c) Non est verum Christi sectatores proclives et dispositos ad hallucinandum fuisse.* Erant enim testibus evangeliis homines sanae omnino mentis et ieiuni, hallucinationes a veris apparitionibus diligenter distinguentes (cf. Act 12), minime creduli, qui primum nuntium mulierum deliramentum habebant et discipulis emmavitanis (et ipsis haesitantibus et cunctantibus) minime primo auditu credebant. Imo etsi proclives fuissent, vi legis psychologicae non tamen eum gloriosum hallucinati essent; etenim non talem eum expectabant, neque eius vaticinia huc spectantia intellegebant. *d)* Hallucinationes etiam vividissimae labente tempore veritati cedant oportet. Minime ergo perseverare potuerunt adversus factum mortis, sepulchri, contradictionis iudaicae, resistentiae gentilis, si non vere fuissent apparitiones. Num vero tota religio evangelica eiusque triumphus hallucinatione nitatur?

Nec obiciatur: 1. Multi homines plerumque pii *saeculis post Christum* sequentibus asserebant sibi Christum corporaliter *apparuisse*, quin de veritate istarum apparitionum constaret. — At *nego paritatem.* Longe differunt momentis etiam essentialibus apparitiones evangelicae ab aliis ; eo praeser-

tim quod multis, diversissimis conditionibus, ad statutum tempus fiebant, quod Christus apparens colloquebatur, comedebat, palpabatur etc. Apparitiones ulteriores piis hominibus factae ad regulas criticas singillatim sunt examinandae.

2. Christus redivivus *solis amicis* et sibi devotis apparuit (ita iam Cels. ap. Orig. II 63). — At *a)* etiam amici possunt esse testes pleni; *b)* etiam inimici sunt testes sepulchri vacui, terraemotus, lapidis revoluti; *c)* cur Christus iudaeis non apparuerit, ipse in parabola de Lazaro pandit.

3. Discipuli *mythos dei morientis et resurgentis* Christo affingebant. — *Quis, quando, unde* istos mythos in priscam ecclesiam induxit? Etenim graecis illius temporis alienissima erat idea hominis redivivi, ut apparet ex sermone areopagitico Pauli Act 17; somnia vero babylonica vel indica homines isti litterarum ignari, Palaestinae limites nunquam egressi unde comperissent? Et quando demum ea in ecclesiam transtulissent, quum a. 57 iam scriptis erat mandata fides paschalis (1 Cor 15), ecclesiae iam diu familiaris?

4. **Miraculum Ecclesiae** — manifestatur maxime in mira evangelii propagatione, conservatione, charismate thaumaturgica Ecclesiae.

1. **Propagatio evangelii.** — Tritum est illud *Tert.* (Ap. 37): «*Hesterni* sumus et vestra omnia implevimus . . . sola vobis reliquimus templa» (cf. Iust. Tryph. 117 etc.).

Quod si elatio rhetorica videtur, audiatur criticus *Harnack*, qui inquisitionibus doctissimis, quas praeeunte Th. M. *Mamachi:* Originum et antiquitatum christianarum ll. 4 1749—55 in hanc materiam instituit (Mission und Ausbreitung des Christentums in den ersten drei Jahrhunderten [4]1925), hanc ponit conclusionem: Quod Arnobius, Eusebius, Augustinus (Civ. XXII 5) mirabantur, religionem christianam mirabiliter crevisse de una generatione in aliam, historia comprobatur. 70 annis post primam ecclesiam Antiochiae Syriae conditam Plinius conqueritur, in Bithynia, provincia remotissima Imperii, cultum romanum iam fere a christiano opprimi. Iterum 70 annis post lis paschalis (tempore Victoris papae † 198) testis est societatem christianam pertigisse ab Edessa usque ad Lugdunum; et iterum 70 annis post Decius († 251) conqueritur potestatem suam a romano episcopo periclitari; et iterum 70 annis post signum christianorum labaris romanis inseritur (sub Constantino).

Quae victoria evangelii ut rite existimetur, diligenter considerandum est, *quid, quibus auxiliis, contra quae impedimenta* fuerit humano generi imponendum. Erat enim praedicanda *doctrina* subtilis omnino, mysteriis intellectum superbum concitans, praeceptis pigritiam naturae in contrarium proclivis irritans. *Praedicatores* istius doctrinae erant viri indocti et timidi, magistrum suum vivum vix intellegentes, mortuum negantes, metu iudaeorum fugientes; insuper erant iudaei, romanis «despectissima pars servientium, taeterrima gens» (Tacit. Hist. V 8); et praedicabant Christum crucifixum, «iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam» Rom 1, ut videre licet exceptionibus Celsi. *Obstabant* mores depravatae nimis et indifferentismus religiosus, qui evangelium in eodem numero habuit atque alias philosophias quibus tunc imperium inundabatur; ipsa religio gentilis, licet tunc iam collapsa et despecta et neglecta, nihilominus decursu tot saeculorum omnem vitam ac rem publicam per-

vadit, ita ut evangelium, quum bellum eidem indixit, nec ut alii cultus ullam eius communionem fovit, adversarios accerimos nactum sit caesares, magistratus, sacerdotes, commercium, plebem ; persecutiones, calumniae, impugnationes doctae exinde progenitae ut totidem nova impedimenta non modo propagationem sed ipsam vitam evangelicae religionis in discrimen vocabant.

Ex quibus omnibus patet *conclusio*, quam iam Aug. (Civ. XXII 5) infert : Illa evangelii victoria est miraculum manifestum providentiae divinae dirigentis corda. Sed est et testimonium Christi praenuntiantis : «Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum» Jn 12.

DIFF. 1. Multae *causae historicae naturales* ad evangelium in Imperio propagandum concurrebant : *Unitate gubernii*, legum, morum, linguae, itineribus et commercio florentibus etiam itinera apostolica promovebantur ; synagogae iudaeorum in diaspora ubique perviae initia laetissima praedicationi apostolicae praestabant ; desiderium vero vehementissimum religionis, fabulis paganis non satiatum, avide doctrinam et spem vitae aeternae arripuit (ita *Gibbon:* Decline and fall of the roman empire 1777 cp. 15) ; eo magis, quia evangelium *syncretismo* tunc percrebrescenti indulgens permulta hellenica et orientalia omnibus familiaria praebebat (Harnack). Et revera, ubi haec deerant, apud parsos, sinenses, indos, generatim *in Oriente* evangelium usque in hunc diem parcissima cepit incrementa. — RESP. *a)* Fuit hoc quoque *pars miraculi plenitudinis temporum*, ut concursus historicus praedicationi evangelicae faveret. *b)* At his *obstacula* supra appellata non evanescebant ; imo *nova exinde nascebantur:* unitas gubernii et facilitas commercii calumniis spargendis et persecutionibus divulgandis quoque inserviebant ; synagogae non modo primae evangelii erant cathedrae, sed etiam «fontes persecutionum» (Tert. Scorp. 10). Inopia et sitis religiosa non tantum evangelio sed etiam superstitionibus omnimodis corda aperuit et mater fuit illius syncretismi, quem si Ecclesia amplecteretur, suicidium commisisset, sicuti omnes isti cultus syncretistici pelago temporum mergebantur. *c)* Quod vero crux *Occidentem magis quam Orientem* hucusque inumbravit fecundavitque, est quidem pars mysterii Christi ; at nullo pacto elidit vim argumenti quod factis innititur.

2. *Aliae quoque religiones* mirabili celeritate sunt propagatae, uti buddhismus, mithraismus, mohamedanismus, lutherismus, quin his eorum veritas probaretur. — RESP. *Nego paritatem.* Historia enim exploratas habet causas naturales, quae rationem sufficientem naturalem istius mirae propagationis reddunt. *Buddhismus* initio non multum est vulgatus ; s. 3. a. C. laetiora utique cepit incrementa, at agente rege magno Ashoka. Buddhismus vero ulterior, utique late divulgatus, est syncretismus neque cultus indigenas arcens (apud sinenses, iapones, mongulos), nec alicuius conscientiam turbans, in omnibus favens indolentiae et superstitioni asiatarum (cf. §1, 3). *Mithraismum*, qui pariter erat syncretismus, milites et quidam caesares propagabant ; simulatque primum a magistratibus romanis inhiberetur, statim corruit. *Mohamedanismum* ferro ignique esse dilatatum nimisque favere affectibus et sensibus nomadum arabum, pervulgatum est. *Lutherismi* propagatio teste historia nimis humanum sapit, ut facete statuit Fredericus II., et ipse lutheranus : En Allemagne ce fut l'ouvrage de l'intéret, en Angleterre celui de l'amour, et en France celui de la nouveauté. Insuper de sectis valet illud Tertulliani : «Hoc negotium illis, non ethnicos convertendi, sed nostros evertendi» (Praescript. 42) ; multo enim facilius detrahuntur quam elevantur homines, quod praeprimis convertitarum historia illustratur (§ 13, 3; 84, 1).

2. **Conservatio evangelii.** — Religio Christi labentibus saeculis tot modis et tanta vi atque assiduitate impugnabatur, ut lege historiae sexcenties excidere debuerit. Doctrinis christianis superbia intellectus, praeceptis et consiliis evangelicis inertia et pravitas et sensualitas naturae hominum, ministris Ecclesiae gubernia quasi *bellum perpetuum* indicebant, *armis omnis generis* praeliandum : armis doctrinae et litterarum a Luciano, Celso usque ad Voltaireum et atheos nostros, armis calumniarum et concitationum, vi physica et persecutionibus, quae vix unquam in Ecclesia usque in hunc diem cessabant. Maiora fors pericula imminebant domi : schismata, haereses, scandala, contentiones, praelati indigni et fideles Christum vita negantes.

Ecclesia omnia ista pericula non modo superavit, sed *in dies augebatur* secundum illud Hilarii : «Hoc Ecclesiae proprium est, ut tunc vincat quum laeditur ; tunc intellegatur, quum arguitur ; tunc obtineat, quum deseritur» (Trin. VII 4). Vicit iudaeos et Imperium, vicit inimicos multo maiores quia spirituales gnosticismi et arianismi ; superavit impetum barbarorum eosque Christo conciliavit et magistros generis humani fecit ; vicit schisma orientale et occidentale, et non labefactabatur impugnationibus litterarum antiquarum renascentium nec novatorum s. 16. ; vicit saeculum illuminationis et subversionum, imprimis gallicae, dein liberalismum et indifferentismum s. 19. Et *Macaulay* anglicanus facunde haec omnia praedicans (Essays Tauchn. IV. p. 95) fatetur sibi non videri quomodo haec Ecclesia unquam perire possit. Ex quo patet *conclusio Gamalielis:* «Si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur ; si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud» Act 5.

Si deinde ob oculos ponitur miram *hanc conservationem esse formalem*, seu perpetuitatem eiusdem rei, servata pristina integritate et vigore («stat crux, dum volvitur orbis»), facile repelluntur *analogiae* aliquando invocatae uti buddhismi, iudaismi, mohamedanismi, lutherismi, quae durant vel vi metamorphosum assiduarum vel etiam vi inertiae quasi cadavericae, sicuti graeci post schisma ; ceterum nunquam tot et tantis infestationibus atque Ecclesia subiecti, imo plerumque auxilio et favore saeculi huius fruentes. Iudaei vero manent utique, at non ut religio, sed ut gens ; quod et ipsum est miraculum historicum confirmans prophetas (§ 12).

Alia *conclusio* magni ponderis est : Religio evangelii inter tot saeculorum fluctus servatur non abstracta, sed prout eam exercet et profitetur *Ecclesia;* mira ista conservatio est ergo argumentum non tantum veritatis evangelicae, sed simul etiam catholicae (§ 82).

3. **Charisma thaumaturgicum** seu miraculorum — in Ecclesia nunquam defecit. *Primis temporibus* testibus libris N. T.-i *magis abundavit*, cuius rei rationem reddit *Greg. M.* (in Ev. 29, 4) : «Ut fides cresceret, miraculis fuerat nutrienda ; quia et nos quum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra iam convaluisse videamus ; et si semel radicem fixerint, in irrigando cessamus». Nunquam tamen miracula in Ecclesia penitus iacebant, prout ex documentis historicis Ecclesiae erui potest. Imprimis tunc reviviscebant, quum veritas adversus haereticos vel ethnicos erat defendenda, v. g. tempore arianismi (cf. August. Civ. XXII 8). Insignia sunt miracula a s. Bernardo, a s. Francisco Xaverio edita, item quae hodie quoque in sacris Lourdes conspicua sunt.

Non omnia quae mira in Ecclesia narrantur, sunt vera miracula, ut ipsa Ecclesia sapienter monet (Benedict. XIV) et exercitio profitetur ; neque omnia *mira alibi gentium* manifesta eo ipso sunt praestigia, quorum si de veritate historica et philosophica constat, ubi plurimum, sunt insignia caritatis et providentiae Dei, «qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos» Mt 5. Miracula vero in Ecclesia edita et frequentiā et excellentia et veritate nihil sunt nisi commentarius facundissimus illius Christi : «Illi autem praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis» Mc 16.

§ 12. Testimonium prophetiae.

Statuuntur 1. prophetia Christi, 2. de Christo ; 3. vaticinia messiana.

1. Prophetia Christi. — Christus quam plurima futura contingentia minutatim praenuntiavit de seipso, de iudaeis, de Ecclesia.

1. *De seipso.* — *a)* Plena *cardiognosi* novit secreta cordium : molimina scribarum et pharisaeorum contra se (Mt 9, 3 ; 12, 24 ; 22, 18 ; 26, 7 ; Mc 2, 8 ; Lc 5, 21 ; 6, 8 ; 7, 39 ; 9, 46 etc.) ; cogitationes discipulorum Mc 9, 33 ; «sciebat ab initio, qui essent credentes» (Jn 6, 65 ; 7, 20 ; 13, 11 etc.). Novit etiam remotissima : Nathanaeli revelavit, ubi ante fuerit Jn 1 ; mulieri samaritanae vitam anteactam Jn 4 ; mortem Lazari Jn 11 ; asinam alligatam Mt 21, 2 etc. Unde et apostoli testantur : «Scimus, quia scis omnia, et non opus est tibi, ut quis te interroget ; in hoc credimus, quia a Deo existi» Jn 16. — *b)* Praenuntiavit saltem ter *passionem* suam : post confessionem Petri Mt 16, post curationem lunatici Mt 17, post parabolam de operariis Mt 20 ; idque minute : «*Ecce ascendimus Ierosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte et tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum, et tertia die resurget*» Mt 20. His et resurrectionem indicat ; transfigurationem vetat publicari «donec Filius hominis a mortuis resurgat» Mt 17 ; item ubi praedixit negationem discipulorum : «*postquam resurrexero, praecedam vos in Galilaeam*» Mt 14. Pharisaei et scribae ideo a Pilato custodiam tumuli petebant, quia «recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens : post tres dies resurgam» Mt 27. Iam initio praedicationis suae publicae, ubi templum purgaret et iudaei signum peterent, quo factum istud aperte messianum iustificaret, sollemniter resurrectionem appellavit : «*Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud*»; quod dixerat de templo corporis sui Jn 2 (cf. Mt 12, 38). Item praedixit ascensionem suam Jn 14, 29. — *c) Discipulis* praedixit negationem, traditionem Iudae, fugam Mt 26 ; post resurrectionem Spiritum s., donum linguarum Mt 10, persecutionem et martyria Mt 10, 17 ss. ; Jn 15, 18 ss. Peculiariter Petro praedixit apostolatum Lc 5, 10, primatum Mt 16, mortem Jn 21.

2. *De iudaeis* — *a) Excidium Urbis et templi*, et quidem ante mortem diserte Mt 24 par., quum iam pridem illud indicaverat Jn 4, 20 ; Mt 22, 32; idque minute : bellum et seditionem fore iudaeorum, urbem vallo esse circumdandam a gentibus, angustiis immanibus eos esse premendos,

templum funditus eversum iri, Ierusalem calcari a gentibus, donec impleantur tempora nationum ; et tempus indixit : fore ista omnia antequam generatio sua praeteriret. *b)* Iudaeorum *incredulitatem*, quod occisuri sint legatos eius, quod propterea regnum Dei ab eis auferatur, quod dispergendi sint in omnes gentes Mt 21, 2 ss. ; 23, 34-9 ; Mc 12, 9 ss.

3. *De Ecclesia* — praedixit eam post exiguam originem mirabilia incrementa esse capturam persecutionibus non obstantibus Mt 10, 17 ss.; 16, 18 ; Lc 13, 29 ; Jn 16, 2 etc. ; evangelium annuntiari in universo mundo, a iudaeis in gentes transferri et portas inferi ei non praevalere Mt 16 ; 28 ; 20 ; praedixit Ecclesiae suae unitatem Jn 10, 16 et sanctitatem Jn 17, 23. — Quibus accedit *prophetia eschatologica* de resurrectione mortuorum § 113, de adventu suo secundo, iudicio ultimo et fine mundi § 114.

Ad *veritatem historicam* prophetiae Christi quod attinet, eam *editam esse ante eventus* constat ex fidedignitate evangeliorum. Imprimis vaticinia de excidio Hierosolymorum non potuerunt fieri post eventum: Multa eorum post eversam urbem scribere iam fuit psychologice impossibile (p. 44). Certo certius quoque ea quae de excidio Urbis et de fine mundi synopsi prophetica in unum sunt contracta, post eventum separata essent ; insuper Eusebius (H. E. II 3; III 5) narrat christianos ante obsidium memores vaticinii Christi Pellam trans Iordanem migrasse. Praenuntiationes vero istas *eventibus impletas* esse testantur partim ipsa evangelia, partim Act, partim documenta publica. Praesertim vaticinia Christi de excidio Urbis et templi quomodo ad amussim impleta sint, diligenter narrat Iosephus Flavius (Bell. iud. VI—VIII) et confirmant gentiles : quomodo conatus reaedificandi Urbem atque templum Iuliani Apostatae erumpentibus e terra ignibus impediti et frustrati sint, narrat Ammianus Marcellinus (Rer. gest. XXIII 1). De nondum impletis recte monet Aug. (Cat. rud. 24, 45) iam impleta pignus esse ista adhuc impletum iri.

Veritas philosophica istorum eo patet, quod multa praedixit Iesus, quae post longum tempus, multis tantum causis liberis, imo hominibus penitus occultis cooperantibus effectui mandari poterant, uti sunt traditio Iudae, negatio Petri, resurrectio sua, abolitio urbis tam repentina et plena ; imprimis templi, quum contra agendi rationem fuerit romanorum destruere delubra gentium, imo Titus mandatum explicitum dederit parcendi templo isto celeberrimo ; item iudaeorum incredulitas obstinata, dispersio, et Ecclesiae triumphus. Ea vero quae fors conici poterant, uti passio sua et persecutiones apostolorum, vera esse vaticinia ex praedictione etiam minutorum efficitur et confirmatur iudicio rationalistarum : ea esse vaticinia post eventum ; seu ex eorum sententia non potuerunt naturaliter conici et adeo minutatim praenuntiari.

Veritas theologica: Ubi Christus generatim opera sua insignia tamquam testes suae missionis divinae appellat, complectitur etiam vaticinia ; v. g. Jn 5, 36. Id explicite quoque facit : «*Amodo dico vobis priusquam fiat, ut quum factum fuerit* (proditio Iudae), *credatis, quia ego sum*» Jn 13 (cf. 14, 29 ; 16, 4) ; item adversus pseudoprophetas suum de Urbe vaticinium appellat Mt 24, 24.

DIFF. Christus finem huius saeculi et secundum suum adventum (παρουσία) *regnumque Dei eschatologicum proxime instare nuntiavit.* Sermone eschatologico Mt 24 par. ad discipulorum quaestionem : «Quando haec erunt et quod signum adventus tui et consummationis saeculi?» respondens primum quaedam de evertenda Urbe indicavit et pergit : «Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur . . . et videbunt Filium

hominis venientem in nubibus caeli . . . *Non praeteribit generatio haec, donec omnia haec fiant*». Alias quoque indicare videtur coaevos testes fore parusiae (Mt 16, 27 par ; 26, 64 ; 10, 23). Et confirmatur eo, quod spes proximae parusiae Christi erat *persuasio apostolorum* (1 2 Thes; 2 Pet 3) et *priscae Ecclesiae*. Qua persuasione et praenuntiatione eventu non probata Christus prophetizans erravit. Ita e nostris protestantibus *echatologistae* praeeunte A. Schweitzer, *modernistae*, imprimis Loisy, qui gravissima inde concludunt : Christus in re tanta errore captus non potest esse legatus supernaturalis, non potuit Ecclesiam fundare, nec legem moralem perpetuam condere, solum transeuntem («Interimsethik»).

RESP. *a) Falsum est omnino Christum regnum Dei eschatologicum* vel plane apocalypticum repente ingruens expectasse et *nuntiasse;* econtrario, ex parvo initio, grani sinapis instar, diuturno labore apostolico, persecutionibus multis et diuturnis superatis id convalescere docuit. *b)* Christi *doctrina* et theoretica et practica momentis eschatologicis caret et destinata atque apta est omnibus gentibus ac omnibus temporibus (§ 14, 2). *c)* Christus *noluit determinare tempus parusiae.* Plerumque simpliciter dicit se venturum; quandoque satis generaliter terminum indicat : vespere, nocte, vel plane post longum tempus. Urgentibus apostolis respondet : «Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate» Act 1 ; imo : «De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in caelo, neque Filius, nisi Pater» Mc 13 (cf. § 57, 1). *d)* Ad normam ergo istorum locorum disertorum sunt secundum praecepta sanae hermeneuticae explicanda obscuriora illa, quibus eschatologistae insistunt ; eo magis quia aliunde iam nobis constat (§ 10. 11) Christum esse legatum divinum omni exceptione maiorem, qui tantum errorem non potuit committere. Ad sensum genuinum *sermonis eschatologici* Mt 24, intellectu non adeo facilis eruendum nostrorum *alii alia ponunt.* Quidam volunt sermonem illum genere quodam dicendi prophetico alternantibus strophis de Urbis excidio tamquam typo exitii mundi loqui, et antistrophis de antitypo, fine sc. mundi, ita ut Mt 24, 34 («non praeteribit») ad typum, ad exitium urbis sit referendum. Vel : dicta de fine mundi esse parenthesis instar ; vel plane : «traditione redactionis» in unum esse colligata, quae diversis etiam temporibus erant dicta. Conveniunt omnes in eo, quod 24, 34 ad Urbis et non mundi exitium est referendum ; at sat gratis arguunt. — Ex analogia biblica *verus sensus est probabiliter* hic: Primus Christi adventus, constitutio ordinis evangelici, simul est initium secundi adventus, parusiae. Etenim omnis iam lex et norma Christus est : «qui credit in eum, non iudicatur ; qui autem non credit, iam iudicatus est» Jn 3. Adest hora novissima, in qua omnia iam temporum spatia contrahuntur in unum Christi iudicium et triumphum, manifestum multis insignibus : iustificatione singulorum, morte, iudicio (particulari) ; iudiciis deinde historiae, in quibus eminet exitium Urbis et templi, ad oculos monstrans V. T. abolitum esse et aeternum regnum Dei initium cepisse. Qui ergo huius exitii sunt testes, testes sunt etiam totius illius horae novissimae eiusque magnalium. *Parusia Christi pluribus phasibus et formis continetur atque absolvi*tur: iustificatione, morte, iudicio singulorum, magnis historicis eventibus, denique secundo adventu glorioso in fine saeculi ; quae omnia sunt momenta unius eiusdemque horae novissimae, cuius prima manifestatio insignis, exitium urbis et templi vivente ista generatione continget. Quid primi christiani de parusiae tempore senserint cf. § 114, 1.

2. Prophetia de Christo, seu argumentum propheticum in genere.

1. *Christus* iudaeis mandat : «*Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere; et illae sunt, quae testimonium perhibent*

de me» Jn 5. Ante passionem dixit apostolis : «*Ecce ascendimus Ierosolymam, et consummabuntur omnia, quae scripta sunt per prophetas de Filio hominis*» Lc 18. Item discipulos emmavitanos corripit, quod tardi corde sint «ad credendum in omnibus, quae locuti sunt prophetae»; dein ipse «incipiens a Moyse et prophetis *interpretabatur illis in omnibus scripturis, quae de ipso erant*» Lc 24. Evangelistae, imprimis Mt (39-ies occurrit locutio ista : «haec autem facta sunt ut impleatur . . .») diligenter ostendunt, quomodo prophetia V. T.-i in Christo eventu probatur. Apologetae vero exinde potissimum veritatem evangelicam gentibus probabant.

2. Constat *tempore Christi iudaeos expectasse prophetam* (ὁ προφήτης), *qui est Messias*. Sacerdotes ex Ioanne Baptista quaerunt, utrum Elias sit vel ὁ προφήτης Jn 1. Herodi sciscitanti : «ubinam ὁ προφήτης nascatur, statim respondent : in Bethlehem Iudae Mt 2 ; Zacharias Ioannem «praecursorem» Christi salutat Lc 1; Simeon expectat «consolationem Israel» Lc 2; Andreas et Philippus testantur se invenisse Messiam, «quem scripsit Moyses in lege et prophetae» Jn 1. Iudaei identidem urgent Christum : Si tu es ὁ προφήτης, dic nobis palam» Jn 11 ; et post multiplicationem panis populus exclamat : «Quia hic est vere ὁ προφήτης, qui venturus est in mundum» Jn 6.

Quod confirmatur etiam testimonio *apocryphorum* V. T.-i uti Ps Sal., 4 Esdr, Henoch. Narrante *Iosepho Flavio* (Bell. iud. VI 5, 4) iudaeos imprimis spe Messiae eo tempore venturi esse ad obstinatissimam et imprudentissimam defensionem excitatos. *Suetonius* narrat : «Percrebruerat oriente toto vetus et constans opinio esse in fatis, ut eo tempore Iudaea profecti rerum potirentur» (Vespas. 4 ; ita etiam Tacit. Hist. VI 13). Persuasum erat iudaeis etiam postea *in diaspora:* «Mendacem facit totam Scripturam, qui negat articulum de adventu Messiae» (Maimonid. 13 art. fidei) ; eamque non aliunde mutuatam sed autochthonam esse iudaicae genti, vel ipsi critici nostri fatentur.

3. Revera *libri V. T.-i* initio in confuso, gradatim autem distinctius *adumbrant ideam historice plane singularem: regni messiani*, cuius rex erit Messias, unctus Dei, qui regnum David extendit in omnes gentes, qui simul erit etiam propheta et sacerdos in aeternum, veram Dei cognitionem et cultum omnibus gentibus inferens, qui homines a peccatis liberabit et ad sanctam Dei communionem adducet, et mundo iudicio purgato beatitudinem aeternam parabit. De Messiae deinde origine, vitae, operibus, morte, fortuna, pedetentim quam plurima etiam minuta praenuntiabantur. Post captivitatem babylonicam cessante prophetiae spiritu vivificanti et invalescente littera occidenti, idea ista depravata multum, non autem extincta est (§ 10, 1).

Rationalistae nostri cum modernistis contendunt ea quae a fidelibus christianis vaticinia messiana habentur, non esse nisi desideria vehementissima, quandoque forma minarum contra inimicos, quandoque etiam ut coniecturae et expectationes sortis futurae patriae dilectissimae proposita, ceterum venerabilia omnino. Dicta illa plerumque aenigmatica et confusa deinde a conscientia christiana et fide priscae societatis evangelicae Christo sunt accommodata, ita ut sensus christianus ex eventibus vel realibus vel imaginatis in textus sit illatus (quandoque sibi contradicentes utique contendunt partim ex vaticiniis effictum esse Christum «fidei»). Contra quos statuenda est trina veritas prophetiae V. T.-i.

Veritas historica. — *a)* Vaticinia messiana etiam ultima *saltem tribus saeculis ante eventum* sunt edita, ut dant etiam critici (si Ps et Dan excipiantur, quae tamen ex eorum quoque doctrina saltem cca a. 150 a. C. iam sunt absoluta ; etenim versio Alex. iam a. 135 a. C. perfecta erat). *b)* Praenuntiationes istas testantur eventibus probari evangelia, Act, historia ecclesiastica (cf. n. 3 infra).

Quum vero rationalistis nihil tam familiare sit, quam *vaticiniis «non impletis»* insistere (imprimis quae de perfecta pace regni messiani, et de restitutione Israel Is 11, Ps 71, Am 9 etc. leguntur), generatim dicendum est : *Regnum messianum per gradus* est evolvendum ; plures ergo habet phases : post revelationem priscam, mosaicam, propheticam sc. Ecclesiae priscae, militantis, eschatologicae, iudicandae, gloriosae ; quae synopsi prophetica saepe contrahuntur, ita ut multa vaticinia primo obtutu ad priorem phasim spectantia in posteriore sunt ad effectum perducenda, uti quae de pace et felicitate perfecta regni messiani loquuntur. *Multa* etiam *conditionate* praedicuntur, ergo conditione non posita eo ipso non perficiuntur. Ratio denique habenda est *locutionis propriae prophetarum:* allegoricae, typicae, apocalypticae. Non sunt ergo ad verbum implenda, quae figurate praenuntiata sunt.

Veritas philosophica. — Quum tanta et tam diversa, tam clare et minute, multa contra omnem humanam expectationem eventura (Deus-homo patiens et moriens, infirmitate summum triumphum parans), multa plurimis causis etiam liberis concurrentibus imo solo Dei consilio efficienda: causa sufficiens talis praesagii non potest esse nisi Deus futura sciens et dirigens, prophetis ea revelans ; prout revera pophetae, viri sancti, pii, munere sibi a Deo iniuncto inter assiduas aerumnas, imo usque ad mortem fungentes explicite identidem testantur (cf. exordia Ier, Ez, Dan, Is 6).

DIFF. 1. Vaticinia messiana non sunt nisi *liberationis desideria* et dominandi cupiditas a gente subacta et tamen ambitiosa concepta. — RESP. *a)* His minime explicantur molestiae et *persecutiones prophetis paratae*, item quae de Messia patienti praenuntiantur. *b)* Ipsa *idea regni messiani* eiusque conditiones : monotheismus omnium sublimissimus, ordo prophetarum ideas istas genti reluctanti, labili, apostatae imperterrite praedicantis est factum singulare omnino, gentibus et vicinis et remotis ignotum, est miraculum historicum.

2. Vaticinia messiana *sunt accommodationes* a prisca societate christiana factae. — RESP. *a)* Accommodatio tunc potest fieri, si vaticinia sunt confusa, *flexiloqua*, quod de messianis quam plurimis minime potest asseri (cf. infra n. 3). Confirmatur eo, quod rationalistae indolem propheticam istorum locorum negantes ipsis fatentibus impares sunt eis rite explicandis. *b)* Quum ipse *Christus et apostoli* saepe appellent vaticinia messiana, idque locutionibus teleologicis («ut adimpleretur quod scriptum est»), accommodationes illae ut errores vel fraudes in ipsos caderent. Si sunt quae accommodationes, paucissimae utique, ab hagiographis ut tales satis clare allegantur v. g. Ps 18, 5—Rom 10, 18.

Veritas theologica. — *a)* Omnes prophetiae in Messiam venturum diriguntur, ut colligitur ex fide Messiae tempore Christi inter iudaeos universali (cf. supra). *b)* Christus et apostoli testimonium prophetarum explicite et frequenter appellant.

DIFF. 1. Prophetia messiana ideam quandam de vocatione peculiari religiosa gentis Israel primis veluti lineis designat, non singularem

quandam historiae epocham, nec singularia facta et personas describit ; quae v. g. Is 49—53 de servo Jahvae habet, *ad gentem Israel* sunt referenda. — RESP. *a)* Compertum est omnes libros V. T.-i unicam oeconomiam constituere, ubi posteriora prioribus intime nectuntur, explicite quoque, et saepe tam *diserte et minutatim* personam Messia describunt, ut non possint genti universae aequiperari ; ipse *Is* quoque עֶבֶד יהוה a gente distinguit, etiam explicite 49, 6—8. *b)* Pariter exploratum est iudaeis persuasum fuisse tempore Christi et ultra illud (Sanhedr. chelk) : «Prophetae universi non prophetarunt nisi de diebus Messiae». Si eodem tempore multa apocrypha *Messiam patientem a triumphanti* iam separabant, unice in causa fuit depravatio ideae messianae spiritualis genuinae. *c)* Si exceptio rationalistica vera esset, *appellationes vaticiniorum a Christo et apostolis* factae essent accommodationes fallaces.

2. Si tam evidens esset argumentum propheticum, ut ponunt apologetae christiani, *iudaei* id vehementer *amplecti debuerunt;* quod equidem non evenit. — RESP. *a) Dist.* Iudaei idea Messiae politici imbuti *C*, pii, uti Zacharias, Simeon, Anna, apostoli, plebs simplex *N. b)* Ipsa *iudaica incredulitas* erat praenuntiata (Is 6, 9 ; 8, 14 ; 53 ; Ps 117, 22 coll. c. Mt 21, 42). *c)* Prophetia etiam messiana nunquam simpliciter et formaliter historiam antecipat ; ideo libertati et agentium et ad fidem vocatorum plenam relinquit potestatem, ut recte monet iam *Irenaeus* (Haer. IV 26, 1) : «Omnis prophetia antequam habeat effectum, aenigmata et ambiguitates sunt hominibus. Quum autem evenerit quod prophetatum est, tunc habet liquidam et certam expositionem».

3. Vaticinia messiana insigniora. — *Ante prophetas scripta relinquentes origo Messiae* imprimis praenuntiatur.

Salutis enim per protoevangelium (§ 67, 1) adumbratae custos indicatur *Sem*, Gen 9 : «*Benedictus Dominus Deus* (Jahve) *Sem, sitque Chanaan servus eius. Dilatet Dominus* (=Elohim) *Iaphet et habitet in tabernaculis Sem; sitque Chanaan servus eius*». Deinde designatur peculiariter genus *Abrahae*, Isaac, Iacob : «*Benedicentur in te et in semine tuo cunctae tribus terrae*» Gen 28 (cf. 22, 18 ; 26, 4). Ex filiis Iacob *Iuda* recipit promissionem : «*Non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femore eius* (hebr. : sceptrum de inter genua eius), *donec veniet, qui mittendus est* (שִׁילֹה ; ex vetustissimis versionibus prob. legendum: שֶׁלֹּו, et sensus est : cui debetur, sc. sceptrum), *et ipse erit expectatio gentium* (hebr. : ipsi erit obedientia gentium)» Gen 49. Versiones antiquae et ipsi iudaei interpretes locum hunc messianum habent, et est primus Messiam personalem praenuntians. Tempus tamen Messiae vix assignat. Certo rem acu non tangit trita illa interpretatio : Messias veniet, ubi regnum auferetur a Iuda ; hoc enim iam a. 587 a. C. accidit. Confirmatur prophetia celeberrima *Balaam:* «*Videbo eum, sed non modo; intuebor illum, sed non prope. Orietur stella ex Iacob et consurget virga de Israel; et percutiet duces Moab vastabitque omnes filios Seth*» Num 24. Denique ex stirpe Iuda *familiae David* facta est promissio regni aeterni 2 Reg 7, 11 ; cf. Ps 88 ; Is 11. Quae impleta narrant Mt 1 et Lc 3.

Ex prophetis scribentibus **Isaias,** «evangelista prophetarum» cp 2 nuntiat : «*Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et confluent ad eum omnes gentes et dicent: Venite et ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius. Quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Ierusalem*». 7 inducit signum magnum : virginem parientem *Emmanuelem* (§ 66, 2), quem describere pergit 9 : «*Parvulus natus est*

nobis et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius; et vocabitur nomen eius: admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis» (de quibus impletis cf. Mt 4, 13-5). Requiescit super eum *spiritus Domini* **11** (cf. § 74, 3); *regnum* eius erit regnum gloriae, pacis, felicitatis, potestatis 11. 12. 24-6; «*tunc aperientur oculi caecorum et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum*» 35 (impl. Mt 11, 5). Ulterius laudatur eius *mansuetudo:* «*Non clamabit neque accipiet personam, nec audietur vox eius foris. Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet; in veritate educet iudicium*» 42 (impl. Mt 3, 17; 12, 18; 17, 5). **53** continetur «*passio D. N. I. Christi secundum Isaiam*» (§ 60, 1). 54. 55. 60-2 describitur *regnum Messiae universale:* «*Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum et gloria Domini super te orta est . . . Et ambulabunt gentes in lumine tuo . . . non excidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam*» (60).

Ioel 2 hoc habet insigne: *Effundam spiritum meum super omnem carnem; et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae; senes vestri somnia somniabunt et iuvenes vestri visiones videbunt . . . Et dabo prodigia in caelo et in terra . . . antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Et erit: omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*». Os 3, 5; 11, 10; Abd 21; Mich 4 confirmant vocationem omnium gentium.

Micheas 5 dicit: «*Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Iuda;* (seu: tam parvus es, ut non numereris in oppidis mille incolarum); *ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, et egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis*» (impl. Mt 2, 6; Jn 7, 42).

Ieremias 31 confirmat originem Messiae ex stirpe David et novum foedus praenuntiat pangendum: «*Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Iuda foedus novum; non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum . . . Sed hoc erit pactum: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam; et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum . . . omnes enim cognoscent me a minimo usque ad maximum, ait Dominus; quia propitiabor peccato eorum et iniquitati eorum, et peccati eorum non memorabor amplius*».

Ezechiel 34: «*Et suscitabo super eas pastorem meum, qui pascat eas et ipse erit eis in pastorem*».

Daniel tribus vaticiniis magnificis praenuntiat *a) regnum Messiae* **2**: «*In diebus autem regnorum illorum* (quattuor: capitis aurei, pectoris argentei, femorum aereorum, tibiarum ferrearum pedumque fictilium) *suscitabit Deus caeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur, et regnum eius alteri populo non tradetur; comminuet autem et consumet omnia regna haec; et ipsum stabit in aeternum*». *b)* **7** Messiam *Filium hominis:* «*Ecce cum nubibus caeli quasi filius hominis veniebat et usque ad antiquum dierum* (עַתִּיק יוֹמִין) *pervenit . . . Et dedit ei potestatem et honorem et regnum; et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient; potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius, quod non corrumpetur*» *c) Tempus* adventus eius **9**: «*Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio et finem*

accipiat peccatum et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. Scito ergo et animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Ierusalem, usque ad Christum ducem hebdomades septem et hebdomades sexaginta duae erunt, ut iterum aedificetur Ierusalem, et rursum aedificabitur platea et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus; et non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis eius vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una; et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium; et erit in templo abominatio desolationis; et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio».

De celeberrimo hoc vaticinio 70 hebdomadarum usque in hunc diem multum inter eruditos disceptatur. Certum est tamen illud esse *messianum* (Mt 24) ; a iudaeis quoque tale habebatur ; et vix in dubium vocari potest *hebdomades esse annorum*, uti etiam alibi (2 Chron 36, 21 ; Lev 25, 2-5 ; 26, 34). «Exitus sermonis» ex communiore sententia est decretum *Artaxerxis I. Longimani*, prob. a. 454 a. C. Quomodocunque minuta explicatio se habeat, certum est, tempore Christi universalem fuisse persuasionem, adesse tempora Messiae venientis ; quod non haberet causam sufficientem, si vaticiniis messianis tempus adventus accuratius indicatum non esset.

Tempus adventus etiam ab **Aggaeo 2** indicatur : «*Adhuc unum modicum est, et ego commovebo caelum et terram et mare et aridam, et movebo omnes gentes. Et veniet desideratus cunctis gentibus* (hebr. venient pretiosa cunctarum gentium) *et implebo domum istam* (templum post captivitatem reaedificatum) *gloria . . . Magna erit gloria domus istius novissimae plus quam primae, dicit Dominus exercituum; et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum*». Quibus innuitur Messiam venturum esse templo hierosolymitano adhuc stante.

Zacharias 2 : «*Lauda et laetare filia Sion; quia ecce ego venio et habitabo in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur gentes multae ad Dominum in die illa et erunt mihi in populum*». **9 :** «*Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: Ecce rex tuus veniet tibi iustus et salvator; ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum filium asinae*» (impl. Mt 21, 4). **11 :** «*Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos . . .*» ; **12 :** «*aspicient ad me quem confixerunt*»; **13 :** «*His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me; percute pastorem et dispergentur oves*»; quae tria ulteriora in se non sunt tam directa quam cetera.

Malachias vaticinatur **1** de *sacrificio eucharistico* (§ 97, 1) deinde **3 :** «*Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quaeritis, et angelus testamenti quem vos vultis*» (impl. Lc 1).

Psalmi illa prophetarum confirmant et haud paucis complent. Psalmi certo *directe messiani* sunt : **2** de potestate regia, quae nulli regum terrestrium potest convenire (*«postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae»*); **15 :** «*nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*» (coll. c. Act 2, 25-8 ; 13, 36) ; **21 :** *passio D. N. I. Christi secundum David regem: «Deus, Deus meus, respice in me; quare me dereliquisti? . . . Quoniam circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me.*

Foderunt manus meas et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me; diviserunt sibi vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem . . .» (cf. Mt 27, 35-44). **44** : relatio Messiam inter et fideles *sub allegoria nuptiarum* (cf. Os 2 ; Cant). **71** : beatitudo regni messiani ; **109** : coronatio Messiae regis, triumphus et sacerdotium eius in aeternum *secundum ordinem Melchisedech.*

§ 13. Testimonium spiritus et vitae.

Statuitur 1. sapientia, 2. sanctitas, 3. virtus supernaturalis revelationis evangelicae,

1. Sapientia. — *Summam doctrinae evangelicae* ipse Christus d. exhibet : «*Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum*» Jn 17. Deus verus ex doctrina ipsius Christi est ss. Trinitas ; missio vero Christi complectitur mysteria creationis, elevationis, consummationis. Haec doctrina prout etiam hoc Summario exponitur, *nonnisi ab immediata Dei revelatione originem sumere potuit.* Etenim

1. *Continet omnes veritat*es, quibus sive ratio, sive religiones historicae insudabant ; idque absque errore, ut hoc Summario per partes probatur. Ex iis quae de necessitate morali revelationis formalis disserebantur (§ 5, 2), efficitur id absque revelatione esse impossibile.

2. Veritates istae pleraeque *sunt mysteria*, quae hinc quidem humanam rationem superant, ergo ex ea enasci non potuerunt, illinc vero *plenam sapientiam praebent: a)* Unumquodque eorum *logica quadam sublimiore* praeditum est ita, ut uno quodam momento cognito cetera ratione deducantur (§ 19, 1). *b)* Omnia inter se ita *connectuntur*, ut sibi invicem lucem et robur afferant, et vel uno negato totum ruat. *c)* Perfecto concentu *cum veritatibus naturalibus congruunt*, ita ut earum culmen et perfectio appareant ; v. g. Trinitas est perfectio ideae quam de Deo sana philosophia constituit. *d)* Perfectissime *conveniunt indigentiis* altissimis religiosis ; id vel inde efficitur quod vitae et religiosae moralique et intellectuali germina quam fecundissima ac uberrima praestant.

Atqui doctrina, quae superat intellectum humanum et nihilominus altissima et sapientissima de Deo (ut est in se, et ut est auctor ordinis naturalis et supernaturalis) continet, immediate Deum magistrum habeat oportet ; quia solus Deus novit ea quae Dei sunt, et solus Deus est, qui nec falli nec fallere potest. Et revera ipse Christus testatur : «*Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius et cui voluerit Filius revelare*» Mt 11 ; «*Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me*» Jn 7.

Argumentum hoc, quo (sicut ex sanctitate et virtute) *criteria intrinseca at non mere interna* applicantur evangelio, utique diligens examen requirit totius doctrinae evangelicae, minime tamen meris subiectivis aestimationibus nititur, sed certitudinem credibilitatis evangelii praebet ; et pervium est non modo doctis, sed simplicibus quoque secundum illud Christi : «Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar» Jn 7.

DIFF. 1. *Christus nullam omnino doctrinam theoreticam* de Deo eiusque oeconomia proposuit, sed solum vitae religiosae incitamenta praebuit,

quae a nulla doctrina theoretica qualicunque abhorrent. Ita Harnack (Wesen des Christentums) multique alii rationalistae, imo modernistae. — RESP. (§ 75, 2).

2. *Doctrina christiana* ex variis doctrinis illius temporis iudaeorum, hellenismi, orientalium *consuta* est. — RESP. Hoc *impossibile* est *a) historice:* Contradicit testimonio explicito Christi supra laudato et testimonio coaevorum : «Quomodo hic litteras scit, quum non didicit»? Jn 7. Evangelistae vero homines rudes, evangeliis ipsis narrantibus saepe neque ea quae audierant intellegebant ; quomodo talia proprio ingenio invenerint !? — *b) Characterologice:* christianis doctrina gentium abominabilis daemonum cultus erat (Gal 4, 8) et nihil antiquius habebant quam ei contradicere : «*Quae societas luci ad tenebras? Quae autem conventio Christi ad Belial? Aut quae pars fideli cum infideli? Quis autem consensus templo Dei cum idolis?*» 2 Cor 6. «*Quoniam et iudaei signa petunt, et graeci sapientiam quaerunt; nos autem praedicamus Christum crucifixum; iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis iudaeis atque graecis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam*» 1 Cor 1. Neque unquam intellegeretur, quomodo omnes isti tamquam sibi alienissimam abhorruerint praedicationem evangelicam, si ex suis ipsorum opinionibus erat conflata ! — *c) Philosophice.* Licet enim per se non est impossibile nec improbabile revelationi quaedam cum aliis religionibus esse communia, ea inquam, quae ex anima naturaliter christiana progignuntur et forsitan ea paucissima quae ex prisca revelatione in religiones transierant (atque ideo analogia non eo ipso est genealogia), tamen quae praetenduntur convenientiae, diligentius examinatae differentiae insignes apparent, quarum omnium haec est fundamentalis, quod religiones non-evangelicae, etiam multis laudibus elatae, ut buddhismus, vedantismus, parsismus, *monismum* et igitur *naturalismum* profitentur. Quod de mysteriis fundamentalibus singillatim quoque ostendetur.

2. Sanctitas. — Christi evangelium non modo veritas est, sed et via. *Doctrinae practicae evangelii haec est summa:* Norma, fons, finis, dignitas vitae christianae est conformitas cum Deo : «Estote perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est». Inde promanant omnes leges, imprimis magnum mandatum : «*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota mente tua et ex tota virtute tua. Secundum autem simile est illi: Diliges proximum tuum tamquam teipsum*» Mc 12. Quum *perfectionis exemplar* sit infinitum, studio sanctitatis nullae ponuntur limites ; consiliis evangelicis assidue purgandus et perficiendus est interior homo, donec crescat usque ad perfectam aetatem plenitudinis Christi ; prout praescribitur sermone montano Mt 5—7, qui est «magna charta» ethicae evangelicae. *Media* vero perfectionis proponuntur quam efficacissima et aptissima : gratia seu virtus arcana divina ad vitam divine ducendam, exemplum Christi, Ecclesia cum sacramentis, quo fit, ut omnes immediate Christo inserantur eiusque virtutis et veritatis et gratiae participes efficiantur.

Haec doctrina tam sancta *non potest nisi immediate Deum habere auctorem:* 1) *Negative* nihil continet Deo indignum, nihil sensus ethici offensum. Quod ex iis quae de necessitate morali revelationis sunt statuta, hominibus est impossibile. 2) *Positive* exhibet exemplar sanctitatis omnibus numeris absolutum : omnes obligationes morales perfecto

concentu respicit, reddens quae sunt Dei Deo, quae caesaris caesari, et ita perfectā harmonia coniungit postulata remotissima: vitam absconditam in Deo et addictam cultui humanitatique, contemplativam et activam, communem et heroicam, atque omnia ad Deum centrum dirigit. Talis autem sanctitatis perfectissimae non potest esse fons humana natura, quae limitibus, praesertim in moralibus, circumscribitur, sed solus Deus absolute sanctus.

Haec conclusio utut laboriosior, tamen *metaphysicam certitudinem parit*, saltem iis qui cum s. Thoma fatentur posse hominem etiam naturali rationis lumine certitudine metaphysica principia moralia cognoscere 1 II 2 106—8. Ipse Christus quoque immediate a Deo repetit suae doctrinae sanctitatem : «Meus cibus est, ut faciam voluntatis eius qui misit me» Jn 4 «Pater mi . . . non sicut ego volo, sed sicut tu !» Mt 26.

DIFF. 1. Etiam in hac materia a criticis *syncretismus* invocatur. — At praeter ea quae supra dicta sunt, iam vel primo conspectu apparet toto caelo differre iudaismi, talmudismi observantias, stoicorum et buddhismi, ut alia minora taceamus, negativismum ab ethica evangelica vitam, caritatem, spiritualitatem spiranti. Ceterum si moralis evangelica ex placitis humanis est consuta, unde *paradoxum illud magnum evangelicum*, quo negantur et quasi in contrarium vertuntur ea quae mundus et hoc saeculum magni habent !? (cf. sermonem montanum ; Kempis Imitatio Christi III 2 ; Prosper Collator. 7, 2).

2. Multi falsis ideis ethicis dediti imprimis quod ad ethicae normam supremam attinet, evangelio obiciunt *cultum nimium vitae futur*ae, neglectum munerum huius vitae, vel nimiam ascesis aestimationem atque exercitium. —Qui facile convincuntur eo quod moralistae hodie plerique largiuntur : amorem Dei heroicum christianorum, spem vitae futurae, ascesim evangelicam esse fontem ac fomitem principalem etiam virtutum quae humanae et sociales dicuntur. — Gravius est illud ethistarum huius temporis (inde ab E. Hartmann) : Deficere ethicam evangelicam eo quod normam moralem non in ipso actu morali et in conscientia morali ponat, sed ex alieno principio, ex mandato externo (Dei) derivet, atque ideo *esse heteronomam* et igitur remunerationis cupidam, dum vera ethica debeat esse autonoma. — RESP. Ethica evangelica minime a principio alieno et externo suam normam supremam haurit, sed ex Deo revelatione cognito, qui hominem ad imaginem suam creavit, eique intime praesens est et revelatione exemplar ethicum homini praestituit maxime connaturale : «veritatem facere in caritate». Et ita ethica evangelica minime heteronoma, sed *theonoma*, sola veram moralitatis normam possidet : absolutam veritatem et sanctitatem. Nec egoismo et animo servili remunerationem anhelanti favet ; etenim ipse Deus est eius merces magna nimis, egoismo, cupiditati, vilitati, ignobilitati penitus contrarius.

ADDIT. **Testimonium animae naturaliter christianae.** — Religio evangelica eaque sola perfecte satiat desideria altissima animae humanae. Est desiderium radicibus omnium firmissimis animae humanae infixum : *desiderium beatitudinis* (1II 2). At hoc desiderium non satiatur ullo bono creato (1II 2, 8). Sed neque cognitione Dei qualicunque. Est enim nobis alte insitum desiderium possidendi verum et bonum absque ullis limitibus ; quod non satiatur nisi immediata communione Dei inchoata per fidem in hac vita et consummata per visionem beatificam in altera (I 12). Desiderio ergo isti omnium nobilissimo tunc demum satisfit, quum in hac vita possessione certa firma plena amplectimur et verum et bonum summum, quod est Deus. Quod ad effectum perducitur doctrina evangelii auctoritate absoluta

Christi proposita et *unione cum Christo mystico* (§ 84). Fundamentale hoc desiderium *omnibus inest hominibus;* comes est enim ipsius naturae humanae. Unicuique vero hominum pro modulo suo est proponenda et amplectenda doctrina satians istud desiderium. Iamvero evangelii doctrina sublimitate maxima quoque ingenia superat, et simplicitate pauperibus quoque est proxima, ita ut in fluvio eius et agnus ambulare et elephas natare possit (Aug.).

At his evangelium *certitudine saltem morali supernaturalis originis* esse probatur. Etenim solus Deus tam perfecte novit cor hominum tamque perfecte thesauros spirituales in potestate habet, ut perfecte ei satisfacere possit. Non est ergo mirum, quod multi viri eximii ingenii, qui aliis vehementius affectibus et desideriis nobilissimis aguntur, his considerationibus imprimis ad evangelium amplectendum adigantur, sicuti Augustinus, cuius apologiae haec est quasi summa : «Fecisti nos ad te Domine, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te» Conf. I 1.

3. Virtus. — Evangelium *etiam in rerum ordine*, non modo in ordine idearum (sapientia) et normarum (sanctitas) talem prodit efficaciam, ut nonnisi Dei omnipotentiam immediate se manifestantem possit habere causam sufficientem, sicut sapientia evangelii omniscientiam et sanctitas absolutam sanctitatem Dei causam clamat.

1. *Testimonium confessorum.* — Doctrina evangelii tam subtilis et superbiae humanae tam gravis nihilominus *fidem progenuit firmissimam* inter homines omnis aetatis, generis, conditionis, non obstantibus diversitatibus ingenii innati, gentis, temporum, etiam tot pseudoprophetis et saeculi blandimentis contraria suadentibus. Ex quo evangelium praedicatur, nunquam nobile illud luctamen et disquisitio veritatis cessavit, nec unquam defuerunt, qui post ambages et errores diversissimis viis ad Christi veritatem converterentur. Quod convertitarum argumentum confirmatur eo, quod haud pauci in articulo mortis, quum iam nullum huius saeculi emolumentum prominet, evangelium amplectebantur.

Ex confessoribus multi surgebant testes conspicui et *nuntii veritatis evangelicae*, ita ut mira eius propagatio, miraculum historicum (§ 11, 3) hoc ipso nitatur miraculo psychico. Splendidissimum in hoc genere est testimonium multumque celebratum, quod praestabant

Martyres. — Martyr est, qui patienter fert cruciatus lethales propter Christum. Narrante historia ecclesiastica imprimis usque ad Diocletianum in Imperio (aera martyrum ; contra Dodwell, qui s. 17. paucitatem martyrum asserebat cf. Ruinart : Acta martyrum praef.), deinde in Persia sub Sapore II., in Africa sub vandalis, in Hispania sub arabis, in Germania et Anglia s. 16, in Gallia exeunte s. 18 in subversione rerum publicarum, his diebus in Russia *ingens multitudo* hominum omnis generis et conditionis, etiam pueri, puellae, senes fragiles in odium Christi cruciatus crudelissimos, quos enarrare vel lingua abhorret, propter Christum patienter ferebant, etsi Christo negato plerumque facile eos fugissent.

Id *causis naturalibus tribui non potest.* Licet enim quandoque accidat, ut aliquis vana gloria vel fanatismo ductus mortem heroismo quodam ferat, imo raro contingat, ut quis pro fide et persuasione aequo animo mortem subeat uti Socrates, nunquam tamen evenit, ut tot homines ex omni genere et conditione, adversus tot illecebras, tantos cruciatus morte maiores mitissime et constantissime ferant solum propterea, ne

Christum negare videantur. Huius facti rationem sufficientem ipse Christus dedit: «Absque synagogis facient vos; sed venit hora ut omnis, qui interficit vos, arbitretur se obsequium praestare Deo... In mundo pressuram habebitis; sed *confidite, ego vici mundum*» Jn 16. Seu constantia martyrum *est testimonium Spiritus s.* in hominibus debilibus immediate agentis.

Confirmatur innumerabilibus illis, qui vel *coram vel clam propter Christum contemptus, calumnias, bonorum et honorum iacturam* usque in hunc diem patiuntur, qui testantur omnia posse hominem in Christo. Neque mirum, quod martyrium efficacissimus evangelii praeco semper fuit: «Plures efficimur, quotiens metimur a vobis; *semen est sanguis christianorum*» (Tert. Apol. 50).

Istud martyrii argumentum *non debilitatur* eo, quod in acrioribus persecutionibus *haud pauci Christum negaverint.* Cruciatibus enim succumbere est naturale, constantia ac fortitudine vincere vero est supernaturale; multorum lapsu ergo martyrum gloria ex opposito magis elucescit. — Neque argumentum martyrum hoc *circulo vitioso* laborat: Docente Aug. (Crescent. III 47, 51) «Christi martyrem non facit paena, sed causa»; quasi ergo ex causa seu doctrina verus martyr dignosceretur et non econtrario. Etenim paucissimis casibus exceptis facile est ex adiunctis, imprimis ex assiduitate, multiplicitate, universalitate illius testimonii dignoscere, utrum sanguinis testimonium Christum sapiat ac verum Deum, vel falsa numina.

2. *Fructus evangelii.* — Christus *novum mandatum* dedit mundo *caritatis*, ex quo suos dignosci voluit Jn 13. Et revera christiani caritatis Dei et proximi, etiam inimicorum, pietatis, humilitatis (ethnicis ignotae), vitae immaculatae familialis, publicae deinde honestatis ac fidei exempla tam insignia praebebant, ut tamquam «tertium genus» (τρίτον γένος) iam gentilium, uti Plinii (§ 9, 2), Iuliani Apostatae (ap. Sozom. H. E. V 16) admirationem vehementer excitarent, et *apologetis argumentum* omnium firmissimum evangelicae veritatis praestarent (Iust. I 14-5; Athenag. 11; Tert. Apol. 44; Orig. Cels I 26, III 29 etc.). Hi fructus morales et religiosi, quorum exempla omnium spectatissima sunt sancti et sanctae Dei, quique societatis humanae faciem totiens renovabant, quotiens evangelium nova victoria gentium vel singulorum potiretur, *rationem sufficientem* nonnisi Deum immediate per gratiam in animis operantem habet, monente Apostolo: «Gratia enim salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis» Eph 2.

Christo docente *arbor ex fructibus dignoscitur;* religio ergo fructus naturae adeo contrarios progignens uti humilitatem, castitatem, inimicorum dilectionem, et adeo mira, uti heroicos caritatis, misericordiae, constantiae actus, in tanta multitudine hominum et tanta cum assiduitate, arborem ipsum Christum eiusque Spiritum in cordis secreto operantem, seu gratiam eamque efficacem prodit.

Nec in contrarium arguit *pravitas tot fidelium*, imo lapsus tot clericorum et monachorum. Etenim *a)* hae depravationes nunquam ideo accidunt, quia evangelium magno fervore colitur, sed quia contemnitur et neglegitur; *b)* etiam tristissimis Ecclesiae temporibus multi eximia sanctitate conspicui erant, ut testatur historia; *c)* societas evangelica semper propria virtute ad novam sanctitatem restaurata est, contestans semper remanere in ea «*semen sanctum*» Isaiae 6.

COROLL. Integrum istud spiritus et vitae testimonium pro veritate

evangelica militans *concomitanter evincit veritatem Ecclesiae catholicae.* Etenim sapientiam, sanctitatem, virtutem evangelii, seu Christum esse veritatem, viam, vitam comprobat non in abstracto, sed prout ab Ecclesia catholica, ab eaque sola ad verum perducitur. Et revera doctrinae integritas sine magisterio infallibili, sanctitas et virtus sine hierarchia et sacramentorum charismatis nunquam ad effectum perveniet.

§ 14. Perfectio absoluta religionis evangelicae.

Statuitur perfectio absoluta religionis evangelicae relate 1. ad V. T., 2. ad evolutionismum ; 3. efficitur conclusio.

1. Evangelium et Vetus Testamentum. — 1. **V. T. revelationem continet.** *De fide* ex Tridentino s. 4 (cf. § 15). — Apologetice *probatur a)* ex *testimonio Christi,* qui V. T.-i effata saepe tamquam verbum Dei appellat : «Dictum est a Deo» (uti in sermone montano, Mt 22, 32 ; 11, 13 ; 4, 7 ; Lc 16, 16); et auditores frequenter ad V. T. de se testans remittit: «*Scrutamini Scripturas . . . et illae sunt, quae testimonium perhibent de me*» Jn 5. Ita etiam ceteri libri N. T.-i. — *b)* Legati V. T.-i, *Moyses et prophetae* multa et magna edebant *miracula;* uti Moyses in Aegypto et in Deserto: Ex; prophetae aegrotos sanabant: 4 Reg 5; mortuos suscitabant: 3 Reg 17 ; 4 Reg 4 etc. Multa et eximia vaticinabantur, uti Moyses plagas Aegypti Ex 8—10, transitum Maris Rubri Ex 14, mannae copiam Ex 16 ; prophetae : Elias siccitatem 3 Reg 17, Isaias stragem Sennacherib 4 Reg 19, Ieremias eversionem Babylonis 50, captivitatem babylonicam 25 etc. Quorum veritatem historicam ex fidedignitate librorum V. T.-i introductio biblica comprobat ; veritas philosophica patet ex iis quae supra disseruimus § 8. 12. Veritatem relativam vel ipsi textus manifestant, ut exegesis ostendit. — *c)* Idem eruitur ex *vaticiniis messianis* § 12.

d) Confirmatur *miraculo populi Israel.* Etenim factum est penitus singulare, ut gens aliqua hanc sibi vindicet *vocationem propriam:* cultum et cognitionem veri Dei et spem Messiae conservandi et propagandi. Nec potuit sine peculiari Dei providentia munere isto fungi gens illa mediocris omnino, nullis dotibus naturalibus insignis, nec graecorum vel indorum ingenio, nec persarum fortitudine, nec romanorum gubernandi potentia praedita, tot aliis gentibus potentioribus continuo oppugnata nec submersa, imo neque hodie extincta. — *e)* Quo argumento vis additur ipso *prophetismo,* serie inquam continua virorum, qui a s. 9. usque ad 3. a. C. altissimam Dei cognitionem, magnalia Dei eiusque cultum severum intrepide praedicabant populo durae cervicis et incircumcisarum aurium. — *f) Doctrina* prorsus singularis, praesertim doctrina genuina *de Deo,* quae infinite quum religionem gentilium tum philosophorum placita superat, ergo inde hauriri non potuit, aliena est etiam a mente gentis illius, quae semper deos quos videret anhelabat. Ergo manifeste nonnisi a Deo communicari potuit, sicut altera doctrina singularis *de regno messiano* (§ 10. 12).

2. **V. T. non est ultima Dei revelatio.** — Etenim *a)* omne V. T. statim ab initio *novam phasim venturam* ut sui impletionem et finem indicat : adventum Messiae et regni eius. Ita iam Moyses : «*Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies*» Deut 18. Serie deinde perpetua vaticiniorum tempus istud futu-

rum praenuntiat et describit (§ 12,) et *Ier* 31 explicite praedicit *novum foedus* cum Deo fore paciscendum (§ 12, 3).

b) Plura licet non prorsus indigna Deo, *imperfecta* tamen, uti polygamia, divortium, ius talionis, multitudo observantiarum, praedominatio motivorum et sanctionum temporalium, partim ut abolirentur, partim ut perficiantur poscebant. *Particularismus* denique ad gentem electam iudaeorum coarctatus universalismum clamabat, quem iam prisca prophetia indicaverat : in Israel benedicendas esse omnes gentes. — Aliae autem *quae a rationalistis praetenduntur* imperfectiones V. T.-i, imprimis ideae Dei (quasi sit personarum acceptator, iudaeorum deus proprius, iniustus, peccati auctor, sanguinem anhelans etc.) necnon hominis (immortalitas et futura vita neglecta), ex exegesi imperfecta rationalistarum procedunt et suo loco diluentur.

3. **V. T. impletum est in N. T.-o.** — *Christus* enim sollemniter testatus est se esse Messiam a prophetis praenuntiatum, omnemque V. T.-i sermonem de se suoque regno fuisse : «*Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi ; de me enim ille scripsit*» Jn 5. Secundum Apostolum lex «paedagogus» fuit «in Christum» Gal 3 ; «*finis enim legis Christus*» Rom 10.

Relatio ergo utriusque Testamenti est haec : *Eadem est utriusque substantia*, ut ipse Christus docet : Mandatum magnum in Lege est *dilectio Dei et proximi; «in his duobus mandatis universa lex pendet et prophetae»* Mt 22, et his servatis etiam in Evangelio vita acquiritur Mt 19. Ita tamen, ut quod V. T. imperfecte, inchoative, praeparative continet, id Christus perfecerit et impleverit: «Nolite putare, quoniam veni solvere legem aut prophetas; *non veni solvere, sed adimplere*» Mt 5.

Relatio ista ergo *non est mera ordinatio teleologica* alterius ad alterum iuxta illud Aug. (Cat. rud. 4, 8) : In V. T.-o est occultatio N.-i, in N. T.-o est manifestatio V.-is; sed etiam habet id, quod Thom III 107 docet : Lex divina dividitur in Veterem et Novam, non sicut species omnino diversas, *sed sicut imperfectum et perfectum in eadem specie. Cessavit* ergo lex mosaica integra, non tantum ceremonialis et politica, sed etiam moralis; cuius utique non cessavit obligatio, at nunc iam vi legis naturae et Christi obligat (Cat. Rom. III 4, 4) ; cessavit vero *non irritatione sed adimpletione.* Erat enim paedagogus in Christum ; evanuit ergo, quum Christ advenit : «*Quum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*» 1 Cor 13 (cf. Act 15 ; Col 2, 16 ; Heb 7, 12. 18 ; 8, 13).

4. **Revelatio evangelica per Christum data est omnium ultima,** nulla iam sequenti complenda vel plane substituenda. *Certum*, etiam ex thesibus damnatis modernistarum (Lament. 21. 54. 58. 59). — PROBATUR. *a)* Ipse *Christus*, quum praedicat se esse impletionem Legis et Prophetarum, nullum relinquit dubium, quin sua doctrina sit absoluta § 10, 1. — *b) Apostoli*, comites quotidiani et testes immediati Christi idem sentiunt : «*Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus*» 1 Cor 3. Christus venit «in plenitudine temporis» Gal 4, ergo nulla iam nova divinae oeconomiae aetas est expectanda ; in ipso reconditi sunt «omnes thesauri scientiae et sapientiae» Co 1 2, quos omnes revelavit: «omnia quaecunque audivi a Patre meo, nota feci vobis» Jn 15 (cf. Heb 1, 1). — *c) Ratione* evincitur religionem sapientia, sanctitate, virtute absolutam iam nullam pati ulteriorem perfectionem § 13.

2. Evangelium et evolutionismus. — Evolutionismus a Hegel statutus, a Darwin viventibus applicatus, mox labente s. 19. in omnes fere doctrinas etiam spirituales invectus *revelationem evangelicam in hunc modum tractat:* Homo, ex animalibus anthropoidis oriundus initio fuit absque religione. Labentibus saeculis *animismum*, mox daemonismum et magiam excoluit, post multas deinde peregrinationes ad polytheismum, postea ad henotheismum, monarchismum, denique *tempore* circiter *Christi ad monotheismum* est progressus eumque iam ethicum. Interim «genius religiosus» et singulorum et gentium sublimia multa progenuit, ut parsismum, hinduismum, vedantam et buddhismum, philosophiam graecam, prophetismum V. T.-i, qui utique longe a religione plebeia polytheista, daemonismum et magiam sapienti abhorrebat. Christi et praesertim *Pauli* deinde ingenio ex syncretismo hellenismi, iudaismi et aliarum idearum praesertim orientalium progenita est religio evangelica, labentibus saeculis elementis heterogeneis, politicis et priscae religionis residuis (daemonismo, magia imprimis) depravata *catholicismus* est facta, a Luthero aliquantum purgata, demum s. 19. ad exigentias cultus humanitatisque novae revocata, progredientibus litteris et artibus necnon moribus *etiam in posterum assidue perficienda;* his diebus v. g. ad gentium propriam indolem et ad opera atque sensum huius saeculi est revocanda.

Quum *fundamenta et placita philosophica* huius *evolutionismi* suo loco sint refellenda (§ 2. 22. 24. 28. 31. 47), hic genuinus religionis progressus est adumbrandus.

1. *Prisca religio est monotheismus*, isque substantialiter idem atque V. et N. T.-i (eumque nullus status areligiosus humani generis praecessit; quod probatum est § 2). *Demonstr. a)* Hic de quaestione facti agitur, ergo testimoniis historicis dirimenda. Quum autem priscae illius aetatis nulla supersint documenta profana, unicum idque omni exceptione maius est *Gen 1—3*, quod Christus sua auctoritate absoluta approbavit: implicite asserens divinam originem V. T.-i; imo etiam explicite Mt 19. Sed ibi homo inducitur ut creatus a Deo ad Dei imaginem, in communione cum Deo, ergo monotheismum eumque revelatione innixum exercens. — *b) Priscae* istius *revelationis vestigia* et fragmenta postea in religionibus conspiciuntur, imprimis pygmaeorum (§ 1, 3). — *c)* Historiā et philosophia religionis ostenditur religionem non potuisse oriri ex illis animismi, fetishismi, daemonismi et magismi phasibus, quas evolutionismus fingit (§ 2, 2).

Historia religionum pro iis temporibus, ubi iam documenta abundant et minutiorem notionem praebent, hanc infert regulam: Omnes istae religiones a statu priore perfectiore delabuntur, ita ut quae evolutionismus prisca putat et naturalia, sint degenerationis signa. Monotheismus, prophetismus, ethismus biblicus vero iam vel ideo non potest esse evolutionis proles, quia pugnat contra sanam philosophiam perfectum ex imperfecto progigni. Ergo evolutionismus omni fundamento caret.

2. Ulterior evolutio vera Christo, veritatis magistro approbante est haec: Prisca revelatione obfuscata imo depravata, ita ut veri Dei cognitio et cultus a sola Noae familia servaretur, post diluvium stirps Sem, mox familia Abrahae, et denique per Moysem *gens Israel est electa*, quae cognitionem et cultum veri Dei et Messiae spem servaret et divulgaret. Haec electio non fuit iniusta. Etenim fuit peculiaris gratia, nemini

debita (2II 105, 3 ad 1), et insuper iudaeis gravem responsabilitatem et munera gravia imposuit.

Placuit autem Deo unum populum eligere (cf. P. *Karge:* Geschichte des Bundesgedankens in A. T. 1910 ; F. W. *Maier:* Israel in der Heilsgeschichte nach Rom 9—11 1929), ut *gentes* manifestius et efficacius muneri suo *in oeconomia salutis* fungerentur. Quod fuit geminum : *Negativum* alterum, quo gentes sibi relictae sunt «quaerere Deum, si forte attrectent eum» Act 17, et quo in peius quotidie prolapsi pedetentim a vero Dei cultu recedentes manifestabant genus humanum sibi relictum in re religiosa deficere et igitur revelatione indigere. Alterum *positivum*, quo viri quidam melioris ingenii iterum veriorem Dei notitiam et sanctitatis desiderium excitabant. Imprimis inde a s. 6. a. C. in omnibus fere alicuius notae gentibus excellentiores viri sunt orti (Cong-tse, Buddha, Zarathustra, Platon), qui saniorem doctrinam et sanctiorem spem gentibus addebant, ita ut paulatim adduceretur plenitudo temporis (cf. III 1, 6).

3. *Revelatio evangelica nulla unquam evolutione superanda genuino progressui latissimam viam pandit.* Namque

a) Nulla fuit *religio* vel olim vel nunc, quae *evangelii partes potest capere.* Nulla enim veritatem sine admixtione errorum etiam gravissimorum exhibet. Omnes imprimis in veram Dei cognitionem impingunt, pantheismo infecti ; ita etiam vedantismus, quem quidam nostri ut sapientiae culmen celebrant — ut fabulas confusas et undique coagulatas theosophorum nostrorum taceam (cf. A. *Mager:* Theosophie und Christentum ²1926). Nulla deinde veram ideam regni Dei et redemptionis veritatem exhibet, nulla genuinae caritatis praecepta et exercitium habet, nec vera catholicitate fruitur. Quae quum ita sint, vel crassa ignorantia, vel sensus praeposterus opinatur fore, ut aliquando evangelium istis doctrinis vel eorum syncretismo superetur et opprimatur.

b) Evangelium ab Ecclesia conservatum nihil non eorum quae vere vel sentiuntur vel docentur vel exiguntur ab ulla religione, purissime et perfectissime continet, ita ut sit vero quodam sensu «*complexio oppositorum*» et omnibus desideriis altioribus plene satisfaciat.

c) Quum religio altissimis radicibus in ipsa natura sit fixa ac proinde extirpari non possit, quumque evangelium sit revelatio absoluta, *manebit religio omnium saeculorum:* Portae inferi ei non praevalebunt.

d) Neque expectanda est aera christiana ab hac, quod ad doctrinam, vitam, cultum attinet, essentialiter *differens*, prout olim montanistae, medio aevo fraticelli asseclae evangelii aeterni cum Ioachim a Floris († 1202) et quidam novatores recentiores, swedenborgiani, irwingiani somniabant : V. T. fuisse testamentum Patris, N. T. esse testamentum Filii, nunc imminere *testamentum Spiritus* s. Quod enim illi omnes appellant, Jn 14—16, nihil aliud est atque promissio verae evolutionis evangelicae : caritatis, cognitionis ac cultus Dei in spiritu et veritate, progressus Ecclesiae usque ad triumphum ultimum. Qui quidem progressus est vera evolutio seu revelationis evangelicae explicatio, non nova revelatio ; id quod ipse Christus d. diserte docet : «Quum autem venerit ille Spiritus veritatis . . . *de meo accipiet et annuntiabit vobis*» Jn 16 (cf. 19, 3).

3. Conclusiones. — Ex iis quae de veritate revelationis disseruimus, efficiuntur haec. 1. *Doctrina evangelica est evidenter credibilis.* Etenim

omnia quae revelationis criteria posueramus, certitudine saltem morali religioni evangelicae a Christo praedicatae convenire statuimus. Imo quum erga revelationem nullus sit indifferentismi locus (§ 6, 1), 2. *est evidenter credenda.* Iudicium hoc speculativo-practicum credenditatis, quod ratione mere naturali formari potest, est fundamentum iudiici credenditatis practico-practici : Hoc est credendum a me hic et nunc ; quod ut iam immediate inducens pium credulitatis affectum, absque gratiae auxilio formari non potest (§ 18, 3).

Nunc autem gravis exsurgit quaestio : *Quomodo revelatio evangelica* a Christo data *pervenit ad me* et generatim ad omnes, qui Christum immediate non audierunt? Est veritas catholica a Christo ad revelationem suam servandam et propagandam institutum esse *magisterium* authenticum, officiosum, auctoritativum, cuius propositio est regula proxima sufficiens et necessaria fidei. Istud magisterium Christus *Ecclesiae* commisit, quam criteriis talibus instruxit, ut tamquam vera Christi ecclesia cognosci et ab aliis dignosci possit. Seu iudicium credibilitatis et credenditatis potest et debet a revelatione evangelica extendi ad Ecclesiam : quod ab Ecclesia proponitur est credibile, imo credendum ab omnibus hominibus.

Quae omnia rite probabuntur, etiam more apologetico tractatu 6. Etenim quum Ecclesia non modo sit magisterium authenticum, sed «alter-ego Christi», effectui mandans opus redemptorium Christi, tota de Ecclesia doctrina aptius suo loco dogmatice tractatur. Nihil utique obstat, quin tractatus ille huc trahatur, imprimis ubi theologia fundamentalis vel apologetica a dogmatica separatur. Ordo logicus et methodus sarta tectaque manent, etiamsi ordo didacticus pro utilitate vel necessitate mutetur. Nos hic logice ponimus «*demonstrationem catholicam*»; seu quae sequuntur de conservatione et susceptione revelationis, ita tractabuntur, quasi iam probata esset veritas Ecclesiae. Ideo magis iam dogmatice quam apologetice procedetur.

Caput 3. Conservatio revelationis.

Quaeritur de 1. Scriptura s., 2. traditione, 3. propositione Ecclesiae.

Tractatus. Bellarminus: De verbo Dei IV ; M. *Cano:* De locis theologicis III ; *Stapleton:* Principiorum fidei doctrinalium demonstratio 1579 ; J. B. *Franzelin:* De divina traditione et Scriptura [2]1882 ; G. *van Noort:* De fontibus revelationis [3]1920 ; E. F. *Zanecchia:* Divina inspiratio s. Scripturae ad mentem s. Thomae 1899 ; Scriptor sacer sub divina inspiratione 1903 ; F. *Hummelauer:* Exegetisches zur Inspirationsfrage 1904; N. *Peters:* Die grundsätzliche Stellung der kath. Kirche zur Bibelforschung 1905 ; Chr. *Pesch:* De inspiratione s. Scripturae 1906 ; Supplementum 1926 ; H. *Merkelbach:* L'inspiration des divines Écritures 1913 ; Ae. *Dorsch:* De inspiratione s. Scr. 1927. — L. *Billot:* De s. traditione 1904 ; J. *Ranft:* Der Ursprung des kath. Traditionsprinzips 1931 ; A. *Deneffe:* Der Traditionsbegriff 1930. — *Bellarminus:* De conciliis et Ecclesia ; Chr. *Pesch:* Glaube, Dogma u. geschichtliche Tatsachen 1908 ; J. V. *Bainvel:* De magisterio vivo et traditione 1905 ; H. *Dieckmann:* De Ecclesia Christi II 1925 ; R. M. *Schultes:* De Ecclesia cath. 1925.

§ 15. Scriptura Sacra.

Statuitur inspirationis 1. existentia, 2. natura, 3. extensio, 4. effectus.

1. Existentia. — THES. **Libri s. Scripturae sunt inspirati.** *De fide.*

EXPLIC. *Scriptura* s. est summa librorum, quos «Ecclesia pro sacris et canonicis habet . . . propterea, *quod Spiritu s. inspirante conscripti Deum*

habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt» (Vat. 3 cp 2). *Canon*, κανών, prius linea (amussis), regula, cca a. 350 iam est elenchus librorum sacrorum ab apocryphorum mole separatorum, quos Trid. (s. 4) enumerat, deinde definit : «*Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, a. s.*» Adversantur rationalistae et modernistae (Lament. 9), quippe qui ordinem supernaturalem integram vel negent vel obfuscent.

DEMONSTR. **Scr.** *a) V. T.* diserte narrat quosdam, uti Moysem (Deut 31, 19; Ex 34, 27), Is (6, 1), Ier (30, 2) etc. ex explicito Dei mandato scripsisse ; hagiographos saepius prophetas dicit (Sir 46 ; 2 Reg 23, 10 etc.), per quos tamen immediate Deus loquitur. *b) N. T.* saepe Christus et apostoli «scripturas» tamquam summam auctoritatem appellant, qua eo fruuntur, quod «verbum Dei» sunt, quod Deus, Spiritus Dei in eis eloquitur (Mt 22, 31 ; Jn 5, 45, Act 1, 16 etc.), etiamsi locutio non prima persona editur (uti Heb 1, 6 ; 4, 3) ; imo Gal 3, 8 Scriptura Deo aequiperatur. Dein explicite dicit Paulus : «*Omnis scriptura divinitus inspirata*, πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος *utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia*» 2 Tim 3 ; et Petrus : «*Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed spiritu Dei inspirati*, ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι *locuti sunt sancti Dei homines*» 2 Pet 1. *c) N. T. de seipso:* Ioannes Ap 1. 19 testatur se revelationem accepisse a Domino cum mandato eam describendi. Illud Pauli probabiliter non ad V. T. restringitur ; Petrus vero Paulinas in eodem numero cum «ceteris Scripturis» habet 2 Pet 3.

Tr. *Ecclesia* statim ab initio Libros s. maxima reverentia est prosecuta : eos publice in conventibus legit (Iust. I 67), a spuriis magna diligentia segregavit (cf. fragm. Murator.). *Patres* iam vetustissimi explicite profitentur Deum esse Scripturae auctorem, hagiographos vero instrumenta : «utente illis Spiritu s., velut si tibiam inflet tibicen» *Athenag.* Leg. 9 ; Spiritus uti plectrum de caeli delapsum velut quodam citharae vel lyrae instrumento hagiographis utitur *(Cohort ad gent.* graec. 8) ; «Scripturae perfectae sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu eius dictatae» *Ir.* Haer II 28, 2 ; *Theoph.:* «Consentaneae inveniuntur prophetarum et evangeliorum sententiae, propterea quod omnes uno Dei afflati spiritu locuti sunt» (Autol. III 12). Ecclesia semper ea omnia et sola inspirata habuit, quae Trid. recenset et Vulgata continet, prout probat Introductio biblica inquirens minutatim in historiam canonis, ubi quid de deuterocanonicis sentiendum sit, quoque docetur.

R. *non potest probare* inspirationis factum utpote supernaturale. Nihilominus doctrina bibliae sublimitate sua singulari originem immediate divinam prodens (§ 13. 14), indoles eius prophetica, excellentia litteraria (cf. Chateaubriand : Génie du christianisme) magna probabilitate id suadent.

ADDIT. *Criterium inspirationis unicum certum est testimonium Ecclesiae infallibilis.* Certum. PROBATUR: Inspiratio activa est operatio Dei; ergo eam factam esse non potest constare nisi ex revelatione ipsius Dei inspirantis. Iam ex hoc capite reicienda est doctrina ipsam *Scripturam de seipsa reddere testimonium.* Haec αὐτοπιστία Scripturae *non potest teneri a)* eo sensu quo

veteres protestantes eam profitebantur: legentibus sapor quidam divinus (ita lutherani) vel ipse Spiritus s. (ita calviniani) testatur se per Litteras s. loqui; est enim ut cetera taceamus, criterium mere subiectivum (§ 6); *b)* neque eo sensu, quo recentiores protestantes orthodoxi et *quidam catholici* (Lamy, Schanz) eam proponunt: V. T. esse inspiratum testatur N. T.; librorum vero N. T.-i inspiratio probatur eorum origine apostolico vel immediato vel mediato. Etenim *α*) non est idem esse apostolum et hagiographum. Neque *β*) hoc modo inspiratio totius canonis probatur; atqui necesse est omnino, ut certo constet, ubinam verbum Dei immediatum, inspiratum inveniatur. Imo *γ*) quum Libri sacri fide suscipiendi sint, relinquitur, ut ipse Deus inspirans, ubi librum inspiratum Ecclesiae tradit custodiendum et interpretandum, simul factum inspirationis testetur.

Haec erat persuasio iam *Patrum*. Secundum *Irenaeum* (Haer. IV 32) apud presbyteros Ecclesiae sunt quaerendi Libri sacri. *Cyrillus* Hier. (4, 33) catechumenis mandat, ut ab Ecclesia discerent, quae sit Scriptura; et pervulgatum est illud *Aug.* (Ep. Manich. 5, 6): «Ego vero evangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas». Cuius veritatis *argumentum apologeticum* est historia novatorum: Exorsi sunt a principio formali «sola Scriptura», et finis eorum est rationalismus biblicus, negatio omnis Scripturae.

2. Natura inspirationis. — Doctrinam catholicam proponit Vat. (3 cp 2): «*Eos vero* (sc. libros sacros a Trid. enumeratos *D* 783) *Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo, quod sola humana industria concinnati sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea, quod Spiritu s. inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt*». Ex doctrina catholica inspirationis haec est essentia, ut liber inspiratus Deum habeat auctorem principalem, hagiographum vero instrumentum. Id indicat Scriptura, ubi hagiographos dicit θεοπνεύστους, ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερομένους. Idem affirmant Patres, quum hagiographum Dei tibiam, cymbalum, stylum appellant; quod *Aug.* (Cons. ev. I 35, 54) explicite dicit: Quum evangelistae scripserunt quae Christus ostendit et dixit, «nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit, quandoquidem membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt». Ex doctrina hodie communi, quam nuper (1893) Leo XIII. encyclica «*Providentissimus Deus*» luculenter proposuit, Deus tunc demum auctor libri inspirati dici potest, si hagiographum supernaturaliter ad scribendum movet et in scribendo iuvat ac dirigit ita, ut liber Deo auctori principali vere atque proprie tribuendus sit.

Ex quo *falso sentiunt* 1. *protestantes liberales et modernistae*, qui docent hagiographos esse viros experientia religiosa vehementer agitatos et ad scribendum raptos, iuste inspiratos dictos, utpote divina quodammodo patientes. Ex doctrina enim catholica Libri s. alio sensu ac ceteri libri habent Deum auctorem, et inspiratio non est concursus Dei naturalis, licet exorbitans, uti poetarum raptus, quibuscum hagiographi a rationalistis et modernistis in eodem numero habentur.

2. *Theoria inspirationis subsequentis*, acsi fieri possit (Lessius 1586), vel quibusdam libris sacris revera factum sit (Rich. Simon 1689, Hahneberg 1863), ut liber aliquis modo naturali natus subsequenti Dei vel Ecclesiae

approbatione illum non continere errorem, inspiratus fiat. At sic isti libri Deum non haberent auctorem, sed testem inerrantiae tantum.

3. *Theoria inspirationis negativae:* Deus invigilat, ne hagiographus errorem scribat (du Pin 1701, Calmet 1715, Jahn 1814); vel: Deus hagiographum movet ad scribendum, deinde se retrahit, paratus ad interveniendum, si scriptori error immineret (I. Bonfrère 1625). Sic enim Deus non esset auctor principalis Scripturae; et ex eodem capite etiam propositio infallibilis Ecclesiae (definitiones conciliorum et pontificum ex cathedra) inspirata deberet haberi. Aliud est inspiratio atque infallibilitas.

Analysis inspirationis. — Inspiratio potest considerari *active:* actio Dei supernaturalis, tribus personis divinis communis, Spiritui s. appropriata; *passive:* charisma Dei transiens hagiographis communicatum; *terminative:* liber inspiratus. Hic quaeritur, quaenam sit accuratius natura inspirationis activae, quaeque eius et passivae habitudo.

Ad mentem s. Thomae (Quodl. VII 14, III 62 etc.) Deus inspirans ad hagiographum inspiratum se habet ut causa principalis eaque prima ad instrumentalem eamque secundam; est enim inspiratio genus quoddam concursus Dei supernaturalis. Iam vero *causae principalis et instrumentalis* haec est *habitudo*, ut effectus utrique totus sit tribuendus: simpliciter et directe principali, instrumentali vero secundum quid, sc. secundum quod movetur et dirigitur a principali ad eum effectum proferendum quem principalis intendit, uti securis a fabro ad sedem proferendam; ita tamen, ut effectum totum et ipsa secundum naturam suae actionis (securis secando) procreet. Quum porro Deus causa prima effectus per causas secundas proferat concurrendo eis secundum propriam ipsorum naturam: efficitur, inspirationem hagiographi iisdem momentis perfici, quibus etiam homo auctor libri constituitur; quae sunt: propositum scribendi, scientia scribendorum, scriptio proposito et scientiae conveniens. Ex quo inspirationis haec sunt momenta:

1. *Motio supernaturalis* divina ad scribendum, quae est et praedeterminatio supernaturalis movens ad actum scribendi, et mandatum scribendi sive explicitum (v. g. Is 8, Ier 30, Ap 11. 19) sive implicitum (conditiones interni vel externi hagiographi). Huius motionis hagiographus probabilissime conscientiam habet.

2. *Illuminatio hagiographi*, quae duo complectitur: scientiam scribendorum et iudicium practicum: hoc mihi est scribendum. Ad Dei auctoritatem principalem servandam non est necesse, ut concursus supernaturalis ad primum momentum formaliter attingat; imo quum Deus causa prima non opprimat operationem secundarum, id quod hagiographus propria industria scire potest, plerumque non revelatione supernaturali communicat (2II 174, 2 ad 3; Verit. 12, 12), quod et hagiographi confirmant (Is; Ier 1; 12, 14; Ez 1. 3. 10. 17; 2 Mach 2, 20—33; Lc 1, 1-4). Utique requiritur autem, ut concursus supernaturalis se extendat ad iudicium istud practicum: hoc quod scio vel propria industria vel revelatione, mihi est scribendum; quo eo ipso etiam iudicium aliquod saltem in confuso de forma (verbis, nexibus, ordine) scribendorum continetur; alioqui iudicium practicum «hoc est mihi scribendum», psychologice redditur impossibile. Probabiliter non requiritur, ut hagiographus conscientiam habeat originis supernaturalis istius iudicii (cf. 2 Mach 15, 38 s.); requiritur autem probabilissime, ut conscientiam habeat verum esse quod sibi est scribendum: quis enim gravis vir velit falsum scribere?!

3. *Manuductio hagiographi*, ut ea et ita scribat, quae et quomodo Deus ea scribi intendit. Quum haec directio supernaturalis pariter pars sit concursus seu cooperationis supernaturalis causae primae, creaturae operationem non supprimentis, sed iuvantis et augentis, *efficitur: a)* Non

redditur superflua hagiographi industria et labor (2 Mach 2, 24 ; Lc 1, 1-4) ; *b)* non supprimitur hagiographi ingenium in genere indoleque scribendi se manifestans, ut iam Hier. (Prol. Is Ier), Aug. (Cons. ev. II 12, 27) recte monent ; *c)* falsa est doctrina veterum protestantium hagiographum sub inspiratione mere passive se habere, ut antiquitus montanistae de prophetis somniabant, vehementer contradicentibus patribus (Orig. Cels. VII 3, 4 ; Athan. Arian. II 47 ; Hier. Prol. Is.).

3. Extensio inspirationis. — THES. 1. **Inspiratio se extendit ad omnes et singulas Scripturae partes.** *De fide* ex Tridentino (supra n. 1). Adversantur marcionitae et manichaei reicientes V. T. ; protestantes, qui *deuterocanonica* in dubium vocant ut pseudepigraphos ; deuterocanonica V. T.-i (Tob, Iudit, Bar, Sir, Sap, 1 2 Mach, Esth 10—16, Dan 3. 13-4) omnes reiciunt ; N. T.-i (Heb, Iac, 2 Pet, 2 3 Jn, Iud, Ap ; Mc 16, 9-20 ; Lc 22, 43-4 ; Jn 8, 2-12) anglicani et calviniani admittunt, lutherani reiciunt Heb, Iac, Iud, Ap. — Probatum est supra n. 1.

Hic id unum quaeritur, quid sibi velit illud Tridentini : «*cum omnibus partibus*». Alii alia sentiebant. Quidam posttridentini censebant omnes partes esse omnes enuntiationes et omnia verba ; multi nostri : omnia deuterocanonica, quia protestantes tempore Tridentini ea respuebant ; Franzelin : omnes enuntiationes de rebus fidei et morum. Probabilissimum est : totus canon cum omnibus partibus physicis, prout in Vulgata habetur.

THES. 2. **Inspiratio se extendit ad omnia dicta Scripturae.** *Certum.*

Adversantur etiam quidam catholici. *Holden* s. 17. putabat partes «non-doctrinales» non esse inspiratas; *Newman* ab inspiratione eximit «obiter dicta» (v. g. 2 Tim 2, 13) ; *Lenormant*, d'Hulst, Loisy inspirationem restringunt ad res fidei et morum. Leo XIII. has opiniones omnes reicit encyclica Providentissimus *(D* 1950).

DEMONSTR. *a) Scriptura et Patres* istas distinctiones penitus ignorant ; imo omnia Scripturae effata verbum Dei habent, prout patet ex industria, qua etiam dictorum vel levissimorum sensum altiorem, divinum quaerunt (Aug. Ep. 82, 3). *b)* Si partes Scripturae plus minus amplae non sunt inspiratae, tunc *iam Deus non potest simpliciter auctor principalis Scripturae dici ;* neque Scriptura apta est, quae peculiariter verbum Dei immediatum exhibeat ; etenim alii alia «obiter dicta» vel «non doctrinalia» vel «profana» seu ad fidem et mores non pertinentia habebunt, et actum est de Scripturae auctoritate.

DIFF. Scriptura *finem religiosum* prosequitur ; ergo non est dignum, ut Deus etiam non religiosa inspiret. — RESP. Scriptura utique religiosa docet, at hominibus ; ergo more humano et dicendi et docendi utitur, cum omnibus istis elementis ornantibus, disponentibus, exprimentibus, sine quibus nulla doctrina more humano proponi potest. *Res fidei et morum* ergo sunt *inspirata primarie et per se*, cetera secundarie et per accidens.

THES. 3. **Inspiratio se extendit etiam ad verba et omnem dicendi modum Scripturae in individuo.** *Probabilius.*

EXPL. Hic quaeritur, utrum inspiratio ad dicta seu iudicia logica Scripturae restringatur, vel etiam modum dicendi in individuo determinatum complectatur. Fuit doctrina rabbinorum, veterum protestantium, quorundam catholicorum : Spiritum s. quasi dictasse omnem Scripturam, ita ut hagiographus meri amanuensis munere fungeretur : *theoria inspira-*

tionis verbalis mechanica, quae est contra doctrinam catholicam de natura concursus Dei (§ 41, 2). — Molinistae plerique inspirationem restringunt ad omnes et singulas sententias Scripturae ; genus dicendi, ordo dicendorum, verba sunt hagiographi, ita tamen ut Deus inspirans assistentia negativa invigilet, ne ineptis verbis et locutionibus utatur, imo ubi rei gravitas exigit, aliquando etiam ipsa verba in individuo inspirat : theoria *inspirationis realis*. Haec sententia est catholica ; etenim Deus omnes Scripturae sententias immediate inspirans vere auctor principalis est dicendus, et hagiographus modum dicendi in individuo determinans est causa diversitatis et imperfectionis styli ac linguae. Nihilominus probabilior est theoria *inspirationis verbalis organica* thomistarum thesi enuntiata, quae his considerationibus commendatur :

a) Magis congruere videtur *locutioni et Scripturae et Ecclesiae:* «θεόπνευστοι», «ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι», «a Spiritu s. conscripti» Vat. *b)* Magis convenit *effatis Patrum*, qui Scripturam chirographum Dei celebrant et etiam litteram Scripturae magni habent (Chrysost. in Gen 15, 1; Nyss. in Cant 14; Hier. Ep. 27, 1; Aug. Adim. 11 etc.). Fatendum tamen est omnibus istis rem non decidi ; etenim patres saepe etiam monent cavendum esse cultum litterae occidentis. Quaestio nostra ab ipsis nondum formaliter erat posita. *c)* Momentum quaestione solvenda facit *ratio theologica:* Sententia quaecunque enuntianda unitate intima organice coniungitur cum forma (Verit. 4, 1), a qua non potest secerni quin laedatur. Si ergo inspiratio divina in hac materia tanti momenti deficeret, Deus iam non esset auctor Scripturae plenus, sed mancus quodammodo et imperfectus.

DIFF. 1. Libri sacri *dicendi genere multum differunt* et indolem hagiographi praebent, qui etiam explicite quandoque eam sibi vindicat (uti 2 Mach 15, 39 ; Sir prol. ; 2 Cor 11, 6). — RESP. *Inspiratio est concursus divinus* (supernaturalis), causae primae, «quae operatur in unoquoque secundum eius proprietatem» (I 83, 1 ad 3) ; hagiographus vero est causa instrumentalis ; at «non perficit instrumentum actionem nisi exercendo actionem propriam» (III 62, 1 ad 2). Ideo et imperfectiones styli et linguae, quae utpote defectus habent causam non efficientem (quae est inspiratio), sed deficientem (quae est imperfectio hagiographi), Deus permittit, prout generatim permittit imperfectiones in mundo creato.

2. *Eadem saepe diversimode proferuntur*, uti verba consecrationis. — RESP. Haec Deus ideo admisit, ut hinc quidem *legi varietatis* etiam Scriptura obtemperet, inde vero efficacius arceatur *cultus litterae* occidentis, et industrius quaeratur spiritus vivificans idem in omnibus 2 Cor 3 (cf. Aug. Cons. evangeliorum II 12.).

3. Si inspiratio est verbalis, *versio* iam non est Scriptura, saltem non eiusdem pretii atque originale. — RESP. Largiendum est originale esse terminum totalem inspirationis ; at etiam versio habet non modo sententias Scripturae (id quod ex sententia realistarum istam difficultatem moventium sufficit, ut etiam originale Scripturae inspiratum habeatur), sed insuper *formam internam* originalis ; et ideo versio potest sensu vero opus Spiritus s. dici sicut v. g. etiam versio Divinae Commoediae poema Dantis est dicendum.

4. **Effectus inspirationis** sunt 1. absoluta veracitas, 2. multiplex sensus, 3. interpretatio authentica Ecclesiae.

1. *Absoluta veracitas.* — THES. **Scriptura nullum errorem docet.** *Fidei proximum.*

Adversantur rationalistae (§ 9, 3) et modernistae veracitatem Scripturae mere relativam docentes : Scriptura ea docet quae vera erant et habebantur suo tempore, et explicanda est semper ad exigentias progredientium epocharum. Ecclesia thesim proponit damnatione modernismi (Lament. 11. 12. 14. 64) et encycl. Providentissimus.

DEMONSTR. *a)* Scripturae s. *auctor principalis est Deus* veritatis, qui nec fallere nec falli potest. Si ergo Scriptura errorem doceret, hoc in Deum redundaret, quod est blasphemum ; vel dicendum esset partem errores contintentem non esse inspiratam, quod est contra veritatem catholicam (supra). *b) Patrum* in hac materia unanimis est sensus, quod iam ex eorum agendi ratione patet : ethnicis veracitatem Scripturae impugnantibus, antilogias obicientibus (Cels., Porphyr., Iul. Apostata) nunquam eo respondent, quod veracitatem relativam Scripturae admittant, sed eo quod *Aug.*, qui et opus integrum de Consensu evangeliorum scripserat, Hieronymo respondit (Ep. 83, 28, 3) : «Mihi videtur exitiosissimum credi aliquid in libris sanctis esse mendacium . . . Alia quippe quaestio est sitne aliquando mentiri viri boni, et alia quaestio est, utrum scriptorem s. Scripturae mentiri oportuerit ; imo vero non est alia, sed nulla quaestio est».

Ad solvendas apparentias errorum et antilogiarum haec iuvant *principia* ex dogmate inspirationis deductae :

Principium fundamentale est : *Quidquid hagiographus ut talis* seu ut auctor inspiratus *asserit vel negat, absolute verum est;* est enim dictum ipsius Dei. — Ex necessitudine inter Deum inspirantem, causam primam ac principalem et inter hagiographum, causam instrumentalem ac secundam deducuntur haec principia *secundaria:*

1. Distinguenda est *veritas interna et externa,* seu *absoluta et historica.* Etenim Deus inspirans per modum et leges locutionis humanae revelationem hagiographo communicat. Iam vere homo loquens vel affirmat ita se rem habere (veritas interna, absoluta), vel simpliciter narrat ita aliquem locutum vel operatum esse, quin ea recta vel vera dicat (veritas externa, historica). Est res utique quandoque ardua certo statuere scriptorem sacrum aliquid simpliciter historice referre, vel suam mentem manifestare, ergo et historice et absolute verum velle dicere. At *a)* certum est *hagiographos aliquando simpliciter historice* narrare, quid ipsi vel alii senserint, quin ea approbarent, uti Ex 2, 13 ; Jn 2, 6 ; 4, 3 ; 13, 25 ; Act 25, 6 ; 1 Cor 1, 16 etc. In his ergo veritas non absoluta, sed solum historica est quaerenda. *b)* Quandoque *explicite appellant* aliorum dicta, de quorum ergo veritate interna nihil asserere intendunt ; imo non sunt penitus impossibiles *citationes implicitae,* quae tamen monente Com. biblica non sunt admittendae sine rationibus gravissimis. Ubi autem hagiographus dicta aliorum sua facit, ubi ipsius Dei vel eius legati verba appellat, etiam interne et absolute est verum, quod profert.

2. Distinguendum est inter *revelata et inspirata primarie et per se necnon secundarie et per accidens* (2II 1, 6 ; I 32, 4). Res fidei et morum seu religiosa sunt revelata primarie et per se, *pleraque profana* per accidens et secundarie, sc. quia sine ipsis religiosa non possunt humano modo proponi. Haec quoque absolute sunt vera, at formaliter ut revelata secundarie et per accidens : ad modum et mensuram locutionis humanae. Aliquo sensu

et ipsa semper sunt vera ; saepe tamen more humano ad speciem et apparentiam sunt dicta, imprimis naturalia (sol oritur, occidit etc.) ; interpreti non est contemnendum illud Augustini (Felic. Man. I 10) : «Non legitur in evangelio Dominum dixisse : Mitto vobis Paracletum, qui vos doceat de cursu solis et lunae. Christianos enim facere volebat, non mathematicos».

3. Quum hagiographus modo humano inspirata communicet, scribendi modo humano utitur, ergo etiam diversis *scribendi generibus litterariis*, quae veritatem licet eodem gradu, non eodem tamen modo exhibent ; aliter enim eandem veritatem liber didacticus aride et ieiune proferendo proponit aliter canticum vel parabola. Ad quale genus litterarium liber aliquis vel eius pars pertineat, quaeque genera litteraria nobis aliena imprimis historiam narrantia sint admittenda in Scriptura s., quaestio est ardua nimis, a quibusdam largius accepta (Lagrange, Hummelauer, Scholz, Vetter, Schanz, Peters) aliis contradicentibus (Delattre, Fonck, Schiffini), quae cum magna cautione, diligenti observatione dogmatis inspirationis necnon decisionum Com. Biblicae est solvenda.

2. *Multiplex sensus Scripturae.* — PROP. 1. *Omnis Scripturae locus habet sensum litteralem*, seu sensum consuetudine sermonis et contextu et conditione loquentis eruendum, eumque unicum. Etenim Deus inspirator hagiographo ut instrumento utitur secundum eius naturam seu tamquam homine loquenti. Iam vero *sermo humanus* est signum mentis consuetudine sermonis, contextu, conditione loquentis ad unum determinatum ; alioqui actum esset de cuiusvis sermonis gravitate, fidedignitate, veracitate. Istam sermonis humanae indolem, quam ipse Deus verax condidit, inspiratione non immutat (I 1, 10 ; Quodl. VII 14-6). — At quum ipse Deus immediate per Scripturam loquatur, omnia eius effata possunt et debent *sensu pleno* sumi, sc. cum omnibus momentis logicis, quae sensu litterali vel explicite vel implicite continentur.

PROP. 2. *Quaedam Scripturae loca praeter sensum litteralem alium typicum seu spiritualem habent.* Certum. Hic sensus typicus est *a)* logice *possibilis.* Etenim hinc quidem habet et ipse signum determinatum : rem sensu litterali narratam ; inde vero Deus omnipotens habet potestatem momenta priora et posteriora oeconomiae salutis ad normam typi et antitypi concinnare. *b)* Et *Libri s.* (v. g. Mt 12, 39 ; Jn 3, 14 ; Rom 5, 14 ; 1 Cor 10, 6 ; 1 Pet 3, 21) et *patres* hunc sensum et asserunt et colunt.

COROLL. *Sensus litteralis* utpote primarie et universe a Deo inspiratus et intentus *in probatione theologica primo loco est habendus.* Sensus *typicus* utpote a Deo inspiranti vere intentus, potest probationi theologicae inservire ; at nunquam est praesumendus, sed semper probandus vel ex Scriptura vel ex authentica Ecclesiae interpretatione. Sensus *accommodatus et mysticus*, quamvis ad aedificationem multum conferat et exemplo patrum commendetur, tamquam non expressus sed illatus a probatione theologica arcendus est omnino.

3. Authentica interpretatio Ecclesiae. — THES. **Ecclesia est Scripturae s. unicus interpres authenticus et infallibilis.** *Fidei proximum.*

Etenim Vat. (3 cp 2) docet : «*Declaramus, ut in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium is pro vero sensu s. Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet s. mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum*

Patrum ipsam s. Scripturam interpretari». Adversantur *veteres protestantes*, qui lumen privatum pii lectoris interpretem sufficientem celebrant, et *rationalistae*, qui arti «criticae» hoc munus tribuunt.

DEMONSTR. **Scr.** 2 Pet 3 de epistolis *paulinis* loquitur, «*in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem*» ; et omnis historia haeresum commentarium praebet triti illius : «Hic liber est in quo quaerit sua dogmata quisque, invenit et pariter dogmata quisque sua». Insuper Scriptura probatur a Christo d. Ecclesiam esse fundatam ut magisterium authenticum et ut unicam regulam immediatam fidei (§ 79. 83) ; cui ergo totum fidei depositum, etiam Scriptura, est comissum ; quae si ergo Scripturam non authentice interpretaretur, existeret etiam alia regula proxima fidei. **Tr.** Eadem fuit iam veteris Ecclesiae persuasio adversus primos haereticos (gnosticos) : veritatem discendam esse ab iis, «qui successionem habent ab apostolis, quorum est absque errore interpretari Scripturas» *Iren.* IV 26, 5 ; *Lerin.* Common. 2 complectitur totam Patrum doctrinam.

R. Quemcunque librum imprimis alta et remota tractantem nonnisi *qui ei par est ingenio*, recte interpretatur ; at Scripturae utpote Dei chirographo nullus privatus vir, minime «criticus» est par, sed sola Ecclesia, alterego Christi, charismatis Spiritus s. sensum Dei edocta.

Ecclesia authenticam interpretationem aliquando *directe* praestat (uti Iac 5, 4 ; cf. *D* 908) ; plerumque tamen *indirecte:* damnando haereticorum interpretationes et urgendo analogiam fidei. Hoc authenticae interpretationis munere Ecclesia etiam tunc fungebatur, quum **authentiam Vulgatae** his declaravit : «*Sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus quae circumferuntur sacrorum Librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat: statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur*, et ut nemo illam reicere quovis praetextu audeat vel praesumat».

Istius decreti multum disputati hic est *sensus: a)* Ecclesia evidenter declarat et definit, quaenam ex latinis editionibus pro authentica habenda sit ; ergo *textum officiosum latinum* statuit. *b)* Istius decreti in se disciplinaris *fundamentum est factum dogmaticum:* Vulgata integritate dogmatica est praedita (Scheeben) ; seu in rebus fidei et morum nullum errorem docet; et hoc ita tantum est possibile, quod *c)* in rebus fidei et morum *revelationem biblicam continet*, seu substantialiter congruit originali. Id confirmatur eo, quod longo tot saeculorum usu in Ecclesia est probata ; seu colligitur ex indefectibilitate Ecclesiae. *d) Non fuit propositum Synodo* statuere Vulgatam in omnibus convenire cum originali ; nec eam omnibus mendis immunem declarare (imo statuit, ut posthac quam emendatissime edatur) ; nec superfluum reddere originale, vel plane illud prohibere.

ADDIT. *Quaestiones* quae dicuntur *litterario-historicae* (de auctore humano, tempore, conditionibus ac modo scribendi) per se sunt historicae ; indirecte tamen ad authenticum magisterium Ecclesiae pertinent, ea parte sc., quatenus vel inspirationis factum vel Scripturae veracitatem tangunt.

COROLL. *Excellentia Scripturae.* — 1. Scriptura est *codex revelationis* ab ipso Deo conscriptus et traditus *a)* Ecclesiae, ut ei in proponenda revelatione sit fons fidei authentice interpretandus ; *b)* theologis, ut eam ad regulas hermeneuticae, analogiae biblicae et dogmaticae erudite interpretentur et ita authenticas Ecclesiae interpretationes praeparent, factas comprobent, difficultates diluant ; *c)* fidelibus, ut ipsis sit Ecclesia duce instrumentum aedificationis et fidei (πηγὴ πίστεως) ; quibus ergo cavendum est ne Christi d. obiurgationem incurrant : «Erratis nescientes Scripturas neque virtutem Dei» Mt 22 (cf. Hier. Ep. 30). — 2. Scriptura est quasi *orbis veritatis supernaturalis*, sicut orbis hic visibilis mundi et veteris (ita adversus marcionitas et antiquos et nostros : Delitzsch etc.) et novi mira varietate, ubertate, vi Dei veritatem radians, quae traditur *a)* Ecclesiae, ut ei sit non modo fons fidei, sed etiam instrumentum nobilissimum educationis religiosae (cf. Sir=Eccl ; textus biblicos in liturgia, homilia, catechesi) ; *b)* theologis et fidelibus, ut sit eis fomes et fons inexhaustus scientiae Dei (πηγὴ γνώσεως ; cf. Aug. Conf. XI 2).

§ 16. Traditio.

Statuuntur traditionis 1. existentia, 2. criteria, 3. relatio ad s. Scripturam.

1. Existentia. — THES. **Existit traditio ut fons fidei alius a Scriptura et eiusdem dignitatis.** *De fide.*

EXPLIC. Traditio (παράδοσις) generatim *active* est complexio operationum (et operantium), quibus doctrinae, institutiones, ideae a maioribus in posteros transmittuntur ; *passive seu obiective* est summa istorum bonorum spiritualium traditorum ; *complexive* est utrumque simul ; *terminative* ii omnes, quibus traditio fit. — *Sensu theologico* alia est traditio divina seu revelatio a Deo praeter Scripturam data ; alia est traditio apostolico-ecclesiastica et alia simpliciter ecclesiastica. Fons fidei Scripturae par, thesi appellatus est sola traditio divina, quae obiective est revelatio divina non Scripturae mandata ; active est operatio Dei revelans at non inspirans ; terminative est revelatio organis revelationis data, ultimo apostolis sive immediate (tr. divina) sive per Spiritum s. a Christo d. Jn 17 promissum (tr. divino-apostolica), quae commissa est Ecclesiae conservanda et propaganda: traditio *conservativa.* Thesi de ista traditione conservativa potissimum agitur. Thesim negant *veteres protestantes* utpote contrariam suo principio formali de «sola Scriptura». Contra quos *Trid.* (4 ; cf. Vat. 3 cp 2) definivit : «Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus . . . *omnes libros tam V. quam N. T.-i, quum utriusque unus Deus sit auctor, necnon traditiones ipsas tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo vel a Spiritu s. dictatas et continua successione ab Ecclesia conservatas pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur*».

DEM. **Scr.** Ulteriores libri *V. T.-i* non pauca referunt, quorum libri priores rem alioqui narrantes nullam mentionem faciunt ; v. g. de corpore Moysis Judae 9, de terraemotu exodi Ps 113, Am 5, 25. Expresse traditionem commendat Sap 8 (cf. Iob 8 ; Ps 43 ; Sap 16-9). — *N. T. a) Christus d. quasdam traditiones iudaicas reicit* ut mere humanas Mt 15, Mc 7 ; ergo implicite alias genuinas admittit, quales revera N. T. refert : Jud 9, Act 7 ; 1 Cor 10, 4 ; Heb 11, 37. *b)* Christus *ipse non scripsit*, sed «caepit facere et docere» ; et apostolis mandatum dedit non scribendi,

sed docendi (Mt 28, 18 ; Jn 17, 17 ss). *c) Apostoli* revera prius praedicabant quam scriberent, et sive ore sive calamo docebant, id se tradere affirmabant, quod a Domino acceperint (1 Cor 11) ; fidelibus vero id unum inculcant : «*State et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram*» 2 Thes 2 (1 2 Thes sunt quasi evangelium traditionis ; 1 Thes enim doctrinam Pauli oralem ut fundamentum postulat ; cf. 2 Thes 2, 2). *d) Scriptura nullibi docet se unicum fidei fontem esse;* ergo protestantes in suum proprium principium formale impingunt, quum traditionem negant.

Tr. *a) Patres prisci* fideles ad vivum Ecclesiae magisterium remittunt (Did 11, 1 ; Ign. Magn. 13, 1 ; Tral. 7, 1); nec alia via fidei recipiendae eis patebat ; etenim canon N. T. nondum erat determinatus. Factum est historicum multas Ecclesias floruisse *antequam evangelia conscriberentur;* multaeque gentes christianae post saecula demum versionem Scripturae nactae sunt. *b) Symbolum apostolicum* sub finem s. 2. eodem tempore eademque doctrina diversis locis apparet ; ergo nihil aliud est atque traditio iam diu vulgata et vigens.

c) Patres *antignostici* ergo traditionis non inventores erant, prout protestantes adhuc medio s. 19. asseverabant ; quasi polemistae primi adversus gnosticorum traditiones obscuras Ecclesiae traditionem invocassent ; sed distinctius tantum quod iam diu in usu et exercitio erat, proponebant : «Traditionem itaque apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre ; et habemus annumerare eos qui ab apostolis instituti sunt episcopi et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt neque cognoverunt, quale ab his (gnosticis) deliratur». (Iren. III 2-4 cf. Orig. Princ. praef. 2 ; Tert. Praescript). Ex posterioribus imprimis graeci adversus pneumatomachos traditionem invocant.

R. *a) Deus duobus modis dedit revelationem:* legislatoribus, prophetis, magistris, quibus utpote *legum et doctrinae* praeconibus convenit scriptis mandare quod acceperant ; deinde patriarchis, regibus, hierarchis, quibus utpote *operum et institutorum* auctoribus ac fautoribus convenit ore et opere communicare revelata ; sic Adam, Noe, Abraham, Elias, Elisaeus, Baptista, prae ceteris B. V. Maria revelationis organa insignia erant, quin scriberent. Convenit ergo ut revelatio iisdem duobus modis conservaretur, quibus primitus data erat ; eo magis, quia traditio utpote vivacior et penetrabilior aptior est, quae diversissimis conditionibus et necessitatibus hominum se accommodet. *b) «In ore duorum vel trium testium stet omne verbum»* Mt 18 ; convenit ergo, ut verbum Dei revelatum omnium praestantissimum hominibusque maxime necessarium gemino isto testimonio non careat.

DIFF. 1. *Patres Scripturam traditioni praeferunt.* — RESP. Id faciebant *adversus traditiones obscuras et exitiosas gnosticorum.* Genuinae autem traditionis et vim et rationem eodem fere tempore quo canon N. T.-i determinatus est, expoliebant ; quod equidem fieri non potuit, si non ad mentem Tridentini utramque pari pietatis et reverentiae affectu suscepissent. Si quidam (Tert., Cypr.) quandoque contra traditionem agebant, *Tertullianus* hoc fecit iam monstanista ; de *Cypriano* cf. § 88, 2.

2. Impossibile est *thetice proponere traditionis doctrinam,* quae ergo semper dubia manet et ab extensione et ab obiecto. — RESP. *a)* Idem dici potest etiam de Scriptura ; nihil ergo probat, qui nimium probat. *b)* Et traditio et Scriptura Ecclesiae magisterio est commissa authentice expo-

nenda, quae pro temporum et animarum necessitate semper ea eruit et proponit, quae exiguntur.

2. Criteria.

Ut vis et ratio quaestionis de criteriis traditionis intellegatur, considerandi sunt *modi, quibus traditio conservatur.* Traditio quoad originem est oralis ; primis organis immediate a Deo communicater, a quibus utpote non ad scribendum inspiratis viva voce et docendo (doctrinae) et ordinando (institutiones) ad generationes posteriores transmittitur. Quum successione apostolica (§ 82, 1) Ecclesia quae nunc est continenter cum primis revelationis organis coniungatur, traditio *primarie et plene continetur doctrina viva* (catechesi, praedicatione, liturgia, legislatione, vita, fide, gubernio) Ecclesiae hic et nunc existentis, cuius propositio auctoritativa simul est regula proxima fidei (§ 17), a qua tamen virtualiter distinguitur. Quum autem magisterium vivens Ecclesiae cuiusvis temporis nullum docendi modum a se alienum putet, labentibus saeculis viva ista doctrina, traditio primarie dicenda, documentis et monumentis est mandata, quorum summa deinde utpote traditionem primariam modo quodam stabili continens *sensu analogo* pariter traditio nominatur.

Traditio documentaria praeter propositionem Ecclesiae scriptis commendatam (§ 17, 1) sunt imprimis scripta Patrum. *Patres* vero sunt scriptores ecclesiastici, quos Ecclesia formaliter tales veneratur propter vetustatem (in ecclesia occidentali Gregorius Magnus † 604, in orientali Ioannes Damascenus † 749 ponit aerae patrum terminum), vitae sanctitatem, doctrinae orthodoxiam ; ita tamen ut unus alterve error, potissimum in rebus tunc nondum definitis orthodoxiae non deroget. Quorum vel vitae sanctitas vel orthodoxia non est omni exceptione maior, sunt simpliciter scriptores ecclesiastici, ut Clemens Alex., Origenes, Tertullianus. Qui sanctitate ac doctrina eminent etsi non vetustate, et ab Ecclesia formaliter ut tales celebrantur, sunt *doctores Ecclesiae.* Iam antiquitus celebrabantur quattuor magni doctores occidentales Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius M. et tres orientales (oecumenici) Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus ; quibus accedunt Athanasius, Cyrillus Hierosolymitanus et Alexandrinus, Ephraem, Hilarius, Petrus Chrysologus, Leo Magnus, Isidorus Hispalensis, Beda Venerabilis, Ioannes Damascenus ; post aeram patrum Anselmus, Bernardus, Thomas, Bonaventura, Franciscus Salesius, Alphonsus Liguori, Petrus Canisius, Ioannes de Cruce, Albertus Magnus, Bellarminus. Accedunt *theologi*, qui inde a s. 12. veritatem catholicam coram Ecclesia scriptis illustrant.

Traditio monumentalis est magisterium Ecclesiae ordinarium, imprimis catechesis et praedicatio, necnon vox quasi repercussa magisterii : fides fidelium (libris, inscriptionibus, artibus, monumentis manifesta) ; dein cultus divinus fidem Ecclesiae egregie aperiens : legem credendi statuit lex supplicandi ; ita liturgia, festa («heortologia»), loca sacra et res sacrae ; denique vita Ecclesiae institutionibus et historiā apparens. Traditionis documenta et monumenta etiam *fontes traditionis* appellantur.

Quum de criteriis revelationis disputatur, seu quum quaeritur, quaenam traditio sit vera Dei revelatio, dicendum est : *propositio Ecclesiae viventis infallibilis est criterium omnibus numeris absolutum traditionis, certum omnino.* At quum magisterium vivum authenticum sit simul regula proxima fidei, traditionis nomine plerumque *traditio analoga documentaria et monumentalis* intellegitur praecidendo a vivo magisterio ; et de istius traditionis criteriis instituitur quaestio. Haec *criteriorum*

investigatio utique non est necessaria fidelibus, quippe qui ex vivo magisterio authentico semper infallibiliter doceantur genuinam traditionem; sed *necessaria* est *a)* ecclesiae docenti, quae regulam fidei ex fontibus fidei quoque haurit et confirmat ; *b)* apologetis, qui ope criteriorum statuunt concordiam fidei Ecclesiae nunc existentis cum fide priorum saeculorum et ultima analysi cum fide ecclesiae apostolicae. Criteria duabus thesibus statuuntur :

THES. 1. **Testimonium unanime fontium traditionis cuiusvis temporis est fons fidei** ; seu si fontes traditionis doctrinam aliquam unanimiter revelatam habent, est revelata. *Certum.* — Etenim *a)* dogma est existere traditionem ut aliam a Scriptura fontem revelationis. Atqui si neque testimonium unanime fontium quibus traditio servatur, revelationem exhiberet, traditio nullo pacto esset fons revelationis. Quod adversatur dogmati traditionis. *b)* Testimonium unanime fontium traditionis est manifestatio magisterii vivi istius temporis ; si ergo non exhiberet revelationem, vivum magisterium tunc non proposuisset vere revelationem. Quod adversatur dogmati indefectibilitatis Ecclesiae (§ 81, 4.

ADDIT. 1. *Unanimitas testium traditionis* non est mathematica, sed *moralis* : unitas gravissimorum (suffragia eorum monente Aug. non numerantur, sed ponderantur) in substantia doctrinae ; cui ergo non derogatur dissensu paucissimorum vel exiguorum vel ex peculiaribus conditionibus historice obviis dissentientium. Unanimitati omnium fontium aequiperatur unanimitas horum distributive : symbola fidei, definitiones infallibiles, patres, theologi, catechesis, liturgia, ceteri fontes simul. Etenim unoquoque istorum magisterium vivum Ecclesiae adaequate exhibetur. Notabene : unanimitas ista debet esse *formalis*, seu non modo ad ipsam doctrinam propositam se extendat, sed etiam doctrinam esse revelatam testetur oportet ; quod utique potest fieri etiam implicite vel aequivalenter: «illud esse ab omnibus credendum», «esse necessarium ad salutem», «negationem esse haeresem» et similia.

2. *Criterium propositum valet sensu positivo, at non negativo;* seu unanimiter testatum certo est revelatum ; at ex defectu unanimitatis non certo efficitur doctrinam quaesitam non esse revelatam. Fieri enim potest, ut *a)* ex penuria fontium superstitum unanimitas magisterii vivi tunc existentis non possit iam nunc erui ; *b)* ex iis quae de profectu dogmatum sunt dicenda (§ 19, 3) potest contingere, ut dogma formaliter nondum propositum tempore professionis virtualis vel implicitae dissensibus et disceptationibus sit subiectum ; tunc consensus paulatim enascens et triumphans est criterium traditionis.

3. *Canon Vincentii Lerinensis.* — Lerinensis adversus errores suo tempore pullulantes Commonitorium a. 434 edidit, in quo cp 2 dicit : «Multum necesse est propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur. In ipsa item catholica ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, *quod ubique, quod semper, quod ab omnibus* creditum est. Hoc est enim vere proprieque catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quae omnia fere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur *universitatem, antiquitatem, consensionem*». Cuius canonis, utique privati, *sensus* multum inter eruditos disputatus (cf. W. S. Reilly : Étude sur la règle de foi de s. V. 1903) probabiliter hic est : Consensio est elementum formale, universitas et antiquitas sunt materialia.

Formale semper adesse debet ; universitas («quod ubique», in praesenti sc.) est signum sufficiens istius consensionis ; quod si deficit (uti tempore auctoris, quo novae haereses germinabant), recurrendum est ad antiquitatem («quod semper»). Per se intellegitur etiam hunc canonem positive tantum valere et non negative. Fatendum quoque est canonem Vincentii hoc magno laborare *defectu*, quod (propter iniuriam istorum temporum) non appellet canonem omnium certissimum et maxime pervium : propositionem Ecclesiae authenticam.

Propter magnum momentum patrum et theologorum thesis generalis supra statuta specificanda est :

THES. 2. **Quum patres vel theologi unanimi consensu aliquam doctrinam revelatam habent, vere est revelata.** *Fidei proximum* pro patribus, *certum* pro theologis.

DEMONSTR. *a) Concilia* adversus haereses testimonium unanime patrum tamquam argumentum decisivum invocabant ; ita Nicen. (Athan. Ep. ad afros 6), Constant. I. (Socr. H. E. ad a. 381), Eph. (ap. Mansi IV 1183), Chalced. (*D* 148) etc. *b) Trid* (s. 4) eum anathematizat, *qui «contra unanimem consensum patrum ipsam Scripturam s. interpretari audeat»* (cf. Vat. 3 cp 2). *c) Vetus ecclesia* per patres, plerumque episcopos, magisterium imprimis exercuit; ergo eorum error in ipsam Ecclesiam redundaret. Idem fere dicendum est de theologis, per quos Ecclesia et ordinarie docet et sollemnem doctrinam praeparat.

ADDIT. 1. Istud patrum et theologorum testimonium tunc demum est dogmaticum seu fontem fidei constituens, *si est unanime et formale;* non enim singuli sunt organum revelationis conservandae, sed omnes collective ut traditionis testes.

2. *Unanimitas* etiam hic *satis est moralis*. Quod ergo eminentes patres ecclesiarum praecipuarum ceteris consentientibus docent, est id «quod ubique» docetur. Imo *consensus paucorum, imo vel unus* consensum Ecclesiae exprimit, si coram tota Ecclesia, ceteris non contradicentibus (vel quibusdam contradicentibus quidem, at propter causas historice obvias) aliquam doctrinam propugnant, uti Athanasius adversus arianos, Cyrillus Alex. adversus nestorianos, Augustinus adversus pelagianos veritatem catholicam asserentes ; vel vero quum Ecclesia explicita declaratione alicuius doctrinam suam facit, uti Augustini de gratia (Caelest. I. Ep. 1; Gelas. I Ep. 6, 9 ; Arausic. II).

Inter theologos prae ceteris eminet *s. Thomas Aquinas*, quem post Ioannem XXII., Pium V., Alexandrum VII. etc nuper Leo XIII. (praesertim «Aeterni Patris» 1879) eiusque successores (praesertim Pius XI. «Studiorum ducem» 1923) ut causam exemplarem ac ducem omnium tutissimum theologiae et philosophiae christianae docendae et discendae commendant, imo imperant : «Philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant» CIC 1366 § 2 (cf. 589 § 1) ; non ita tamen, ut in meris theologumenis et philosophumenis ab Angelico non determinate propositis, vel si ita propositis, ab aliis doctoribus magnae auctoritatis disceptatis, non liceat propter graves rationes salva reverentia et pietate recedere. (Cf. J. J. *Berthier:* S. Thomas, dr communis Ecclesiae 1914 ; H. *Dieckmann:* De auctoritate s. Thomae (Scholastik 1926) ; S. *Szabó:* Die Auktorität des h. Thomas in der Theologie 1919).

3. *In theologumenis*, ubi non ut revelationis testes sed ut doctores

privati loquuntur, sententiae et patrum et theologorum *tantum valent, quantum argumenta eorum.* Praesumptio autem etiam tunc pro ipsis stat : propter eximiam enim sanctitatem, scientiam et peculiarem providentiam propinquiores sunt veritati revelatae quam alii.

4. Patres (et pro modulo suo etiam theologi) *non sunt methodo mere philologica et historica interpretandi* (Iurament. antimodern. *D* 2146). Etenim non sunt meri doctores et scriptores, sed organa traditionis ; qui ergo methodo, etsi docta mere profana tamen, eis appropinquat, non omnem et non genuinam eorum indolem prehendit, et igitur impingit etiam in hanc regulam fundamentalem interpretationis eruditae : sermo interpretandus est ex integra loquentis conditione.

3. Necessitudo traditionis et Scripturae. — *Veteres protestantes* reicientes traditionem ut fidei fontem, Scripturam ut unicum fontem (imo et regulam proximam) fidei superextollunt tamquam in se sufficientem, claram, efficacem ; *quidam* deinde *catholici posttridentini* traditioni prae Scriptura istas excellentias tribuunt. Veritas catholica autem ex Trid. et Scripturam et traditionem «pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur», et necessitudinem utriusque quoad excellentias laudatas his absolvit :

1. *Sufficientia.* — Et Scriptura et traditio est sufficiens eo sensu, quod unaquaeque totam eam continet revelationem, quam Deus hominibus communicare in perpetuum voluit ; seu utraquae et alterutra est *relative* sufficiens. *Absolute neutra* est sufficiens : *a) Neutra continet totam revelationem* quae facta est : quidam libri inspirati perierunt (liber Gad et Nathan : 1 Chron 29, 29 ; 2 Chron 9, 29 ; liber quoddam Ieremiae : 2 Mach 2, 1 ; cf. Mt 27, 9 ; Iren. IV 22 ; liber quem appellat Paulus Eph 5, 14 ; epistula ad Laodicaeos 1 Cor 5, 9) ; multa etiam patrum scripta perierunt ; multa revelata omnino non sunt scriptis mandata : ita quae Jn 21 exhibet, quae teste Hieronymo evangelium secundum Hebraeos habuit. *b) Neutra sufficit sine magisterio vivo Ecclesiae* authentico et auctoritativo, sine quo et Scriptura et traditio imprimis documentaria manet littera occidens. Haud pauci posttridentini ideo traditionem Scripturae praeferunt, quia eam magisterio vivo infallibili simpliciter aequant ; quum ab ipso tamen ut a regula proxima fidei virtualiter distinguatur.

Theologi isti enumerant quaedam, paucissima utique, *quae ex Scriptura probari non possint:* canonem, paedobaptismum, numerum septenarium sacramentorum ; et ita traditio constitutiva Scripturam excederet. — Haec sententia utut hodie communior, videtur *minus probabilis: a)* Quae enumerantur, possunt etiam e Scriptura probari (§ 85. 91) excepto canone, qui autem neque ex traditione praecisive sumpta sufficienter probari potest, sed solum ex magisterio infallibili (§ 15, 1). *b)* Videtur ista sententia periclitari paritas utriusque fontis fidei a *Trid.* statuta. *c)* Neque patres ei favent, ut s. *Bellarminus*, dr ecclesiae (Verb. Dei IV 11 obi. 1, 14) erudite ostendit.

2. *Claritas.* — Catholici unanimiter cum Petro confitentur in Scripturis esse «quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant» 2 Pet 3. At neque traditio si praescindatur a vivo et auctoritativo Ecclesiae magisterio, omnes errores eosque gravissimos arcet, ut historia docemur : marcionitae s. 2 e traditione non poterant eruere dignitatem V.T.-i, item plerique theologi medii aevi immaculatam conceptionem, quum tamen explo-

ratum sit utramque doctrinam in traditione istius temporis contentam fuisse. Neutra est ergo clara absolute. At *utraque clara est relative*, et sibi invicem multum lucis in iis afferunt, quae indoli suae conveniunt : Scriptura in doctrina et revelationis oeconomia proponenda est magis determinata et clara, traditio magis in institutionibus, moribus, applicationibus ; utpote vitae indigentiis et progressui magis accommodata apta est, quae caveat Scripturae ut litterae immobilis corruptionem, et ita fit traditio inhaesiva seu declarativa ; imo eam in rebus practicis complet : traditio constitutiva seu complementaria.

3. *Efficacia.* — Scriptura ut vox Dei immediata peculiari efficacia ornatur : «*Vivus est enim sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae et spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis*» Heb 4. Traditio vero vivam illam Spiritus Sancti vim spirat, quam Christus Ecclesiae suae insufflavit Jn 21. At *neutra* adeo est efficax, ut *per se fidem generet.* Fides enim est ex auditu, et auditus ex praedicatione Ecclesiae. Per accidens utique fieri potest, ut quis motivum fidei formale vel ex Scripturae lectione vel ex traditionis investigatione concipiat.

§ 17. Propositio Ecclesiae.

Statuuntur 1. existentia, 2. subiectum, 3. obiecta, 4. notae et censurae ecclesiasticae.

1. Existentia. — THES. **Propositio Ecclesiae authentica, officiosa, auctoritativa est regula proxima fidei.** *De fide.*

EXPLIC. Regula fidei proxima immediate et obligatorie praescribit, quid et quomodo sit credendum. *Scriptura et traditio* quoque praescribunt credenda ; at ut id efficaciter et obligatorie fiat, magisterio Ecclesiae indigent ; sunt ergo fidei regula remota. Thesi *adversantur* protestantes quibus et unicus fons et unica regula proxima fidei est «sola Scriptura». Thesim *Vat.* (3 cp 2—4) diserte exhibet : «*Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali magistero tamquam divinitus revelata credenda proponuntur*».

DEMONST. **Scr.** *Christus* mandatum explicitum dedit apostolis ut doctrinam suam annuntiarent (imprimis Mt 28) et homines obligavit, ut fidem salutarem ex ista praedicatione hauriant. Quare et *apostoli* summa auctoritate docebant et fidem absolutam postulabant (cf. praesertim Rom 1, 50 ; 10, 13 ; Gal 1, 8 ; 1 Tim 1, 10). Christus deinde ad revelationem suam servandam et propagandam magisterium authenticum, officiosum, auctoritativum, Ecclesiam instituit eique munus doctrinam suam praedicandi infallibili et absoluta auctoritate commisit (§ 79. 83). — **Tr.** Patres ab initio postulant, ut fideles unum sint cum episcopis eorumque praedicationi in omnibus fidem suam conforment ; ita iam Ign. Eph 2.4 ; Phil 5 ; Iren. III 24, IV 26 ; Tert. Praescr. 20.21 ; Cypr. Unit. Eccl. 4 ; Orig. Princ. praef. 2.

R. *Scriptura et traditio* etsi relative sufficenter, clare, efficaciter revelationem contineant, *a) incapaces sunt fidei vivae generandae;* diversissimis enim conditionibus et indigentiis (eorum praesertim, qui legere et docte inquirere non valent) solum magisterium vivum authenticum potest

subvenire. *b)* Solum magisterium auctoritativum potens est *assensum fidei super omnia* parere. *c)* Scriptura et traditio continent revelationem infallibiliter, at eam non proponunt infallibiliter. Ideo et novatores quum nimia varietate sententiarum ex suo principio formali de sola Scriptura oriunda opprimerentur, symbola fidei conficiendo et mandando in praxi ad regulam fidei catholicam revertebantur.

DIFF. 1. Principium catholicum *intermedium ponit inter Deum et animam aliquid humani;* conscientiam deinde ad auctoritatem praeterdivinam amplectendam obligando pusillorum et non adultorum est religio. — RESP. *a)* Teste revelatione *unus est mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus*, cuius Ecclesia est alterego (§ 79. 84). Difficultas ergo in protestantes revolvitur. *b)* Ecclesia non est veluti paries intergerivus inter Deum et animam, sed omnis in eo laborat, ut intimam animae cum Deo unionem in gratia sanctificanti conferenda et servanda perficiat ; econtrario novatores murum insuperabilem inter Deum et animam erigunt : effrenatam subiectivismi libidinem. Principium catholicum obtemperat legi Dei : *non est bonum homini esse solum;* protestantes vero inhaerentes suo principio misere illustrant illud Spiritus s. : *Vae soli.*

2. Principium catholicum *Ecclesiam super Scripturam* ponit, ergo homines supra verbum Dei. — RESP. Ecclesia Scripturam ut verbum Dei immediatum veneratur eaque ut fonte fidei utitur nihil novi proferens, sed doctrinam in ea contentam profitens ; et igitur verbum Dei supra se esse confitetur. At Scripturam ut litteram in se duram et immobilem a Deo ipso accepit servandam, interpretandam, propagandam ; et sic ipsa est super Scripturam. Ceterum absque Ecclesia neque novatores nossent, quinam libri sacri sint habendi ; insuper teste historia suo principio solius Scripturae obstinate inhaerentes eo devenerunt, ut iam veram inspirationem negent, ergo Scripturam pessumdent.

2. Subiectum.

Propositionis authenticae ecclesiasticae subiecta sunt : 1. romanus pontifex ut summus magister in Ecclesia a Christo d. ordinatus ; 2. episcopi in communione r. pontificis viventes. Papa et collegium episcoporum sunt *magistri revelationis hierarchici* seu officiosi et auctoritativi *plenae potestatis;* singuli episcopi sunt magistri hierarchici at *non plenae potestatis. Presbyteri* non sunt magistri hierarchici utpote potestatis gubernii expertes, sed sunt adiutores episcoporum. *Laici* non sunt participes magisterii ; at propter dignitatem sacerdotii universalis et ipsi possunt esse adiutores (ut catechetae, licentiati, imo praedicatores paenitentiae). His praemissis statuuntur hae propositiones :

1. *Si magistri plenae potestatis plena potentia docent in rebus fidei et morum, sunt infallibiles.* De fide ex Vat. 4 c. 1—4 ; demonstratur § 83. Quod duobus modis potest fieri : sollemniter et ordinario magisterio.

Formae magisterii sollemnis sunt *definitiones* r. pontificis ex cathedra, *symbola* fidei a conciliis approbata, definitiones conciliorum oecumenicorum. — *Concilia* iam vetus Ecclesia magni habuit ; Gelasius papa in eodem numero ea cum Scriptura ponit. Et revera licet absolute necessaria non sint, tamen ad errores reprimendos, ad veritatem catholicam protestandam plurimum valent. Inter concilia summa auctoritate pollent generalia seu *oecumenica*, i. e. concilia, quibus *a)* tot intersunt episcopi, quibus moraliter tota Ecclesia repraesentatur ; *b)* episcopi praesentes sunt in communione cum r. pontifice, qui ut caput Ecclesiae

concilium convocavit vel saltem non vetuit et *c)* decreta eius vel expresse vel saltem tacite confirmat (de quibus probandis cf. § 83). Concilia quaedam de facto non universalia approbatione et usu subsequenti Ecclesiae oecumenicorum auctoritatem sunt nacta : Constantinopolitanum I., Milevitanum II., Arausicanum II.

Symbola assiduo et universali Ecclesiae usu probata sunt : 1. *Apostolicum;* formam quam nunc habet cca a. 400 accepit, at forma prisca (ubi deerant : descendit ad inferos, catholicam, sanctorum communionem, vitam aeternam) ad tempus apostolorum redit. 2. *Nicaeno-constantinopolitanum* Chalcedonensi confirmatum. 3. *Athanasianum* continens Athanasii doctrinam christologicam, at latine scriptum, fors a s. Ambrosio. — *Professiones fidei* magni momenti : 1. *Libellus in modum symboli* cca a. 450 adversus priscillianistas ; 2. *Toletanum* a. 675 de ss. Trinitate ; 3. *Caput Firmiter* Later. IV. adversus albigenses etc. ; 4. *Professio Michaelis Palaeologi* ex Lugdun. II. ; 5. *Professio fidei Tridentino-Vaticana.*

Concilia dogmatice gravia : *Nicaenum I.* **1.** oecumenicum 325, adversus arianos de consubstantialitate Filii ; *Constantinopolitanum I.* **2.** oec. 380, adversus pneumatomachos; *Carthaginense* 397 de canone; *Milevitanum II.* 418 adversus pelagianos de peccato originali et primatu ; *Ephesinum* **3.** oec. 431, contra nestorianos ; *Chalcedonense* **4.** oec. 451, contra monophysitas ; *Arausicanum II.* 529 contra pelagianos ; *Constant. II.* **5.** oec. 553, contra Tria Capitula ; *Toletanum XI.* 675 contra priscillianistas ; *Constant. III.* **6.** oec. 680—1, contra monotheletas ; *Nicaenum II.* **7.** oec. 787 contra iconomachos; *Francofordense* 794 contra adoptianos occidentales ; *Constant. IV.* **8.** oec. 869—70, contra Photium ; *Lateranense I et II* **9.** et **10.** oec. 1123 1139 contra simoniam et investituram ; *Later. III.* **11.** oec. 1179, dogmatica non definivit ; *Later. IV.* **12.** oec. 1215, contra albigenses, waldenses, graecos ; *Lugdunense I.* **13.** oec. 1245, dogmatica non definivit ; *Lugdun. II.* **14.** oec. 1274, de processione Spiritus s. adversus graecos ; *Viennense* **15.** oec. 1311—2, contra beghardos de visione Dei et contra Petrum Olivi de anima forma corporis ; *Constantiense* **16.** oec. 1414—18, contra Wicleffium et Hussium ; *Florentinum* **17.** oec. 1438—45 : decretum pro graecis, armenis, iacobitis ; *Later. V.* **18.** oec. 1512—17, de anima contra neoplatonicos ; *Tridentinum* **91.** oec. 1545—63, contra protestantes ; *Vaticanum* **20.** oec. 1869—70 de fide et Ecclesia.

Forma non sollemni doctrina revelata infallibiliter proponitur a magistris hierarchicis, quum «ordinario et universali magisterio» sive immediate, sive mediate per adiutores (catechesis, praedicatio, epistolae pastorales, approbatio librorum, censura, venia legendi, examina, visitatio, synodus dioecesana) rem fidei vel morum docent. Singuli hi magistri in ordinario magisterio non sunt infallibiles, neque in casu particulari semper facile statuitur, utrum doctrina quaesita in ordinario et universali magisterio contineatur ; ex quo denuo apparet utilitas magisterii sollemnis.

2. Quum *magistri plenae potestatis non pleno istius potestatis usu* docent, uti *a)* concilia plerumque in definitionibus exponendis et probandis, *b)* papa non ex cathedra docens vel per congregationes, *magistri non plenae potestatis*, sc. episcopi singuli, synodus dioecesana vel provincialis : doctrina eorum non est infallibilis ; at ut exercitium magisterii officiosi et authentici fidem convenientem exigit (cf. § 18).

3. Obiectum. — Obiectum aliud est primarium et directum, aliud secundarium et indirectum. Obiectum *primarium et directum* propositionis

ecclesiasticae sunt *revelata*. Revelatorum duo distinguuntur genera : Revelatum *formaliter explicite*, quod prout solent veritates exprimi, verbotenus in revelatione continetur ; v. g. Deus est iustus. Formaliter *implicite* est revelatum, quod non ad verbum, ad intellectum tamen, seu aequivalenter in fontibus revelationis invenitur.

Implicite revelata sunt : *a) Cum definito* revelata est etiam saltem in communi definitio et viceversa ; v. g. si revelatum est Christum esse Filium Dei metaphysicum, revelata est etiam consubstantialitas. *b)* Si revelatum exhibet explicite *totum physicum*, implicite continet partes : si «Christus est homo», etiam «habet corpus» ; quod explicite est *revelatum de genere*, implicite est de specie ; si «Deus vult omnes salvos fieri», tunc etiam «infantes». *c)* Si explicite revelatae sunt *ambae praemissae*, tunc implicite conclusio : «Maria est mater Christi», «Christus est Deus» ergo : «Maria est θεότοκος». *d)* Si explicite revelata sunt *elementa*, implicite revelatur thesis complectens elementa («septem sunt sacramenta» ; cf. § 85). — Ista formaliter revelata proponere est munus praecipuum magisterii authentici ; quod si infallibiliter praestat, dogmata statuit.

Dogma. — 1. *Notio* (a v. δοκέω, apud veteres est vel placitum philosophicum, vel vero decretum iuridicum : τὸ δεδογμένον) est veritas revelata ab Ecclesia ad credendum sufficienter proposita.

a) Est veritas *revelata* sensu catholico (§ 3). Quod formaliter revelatum non est, dogma non fit, etiamsi strictissime cum eo cohaeret atque infallibilis magisterii est obiectum ; contra quod haud pauci recentiores cum Suarez et Lugo docent omnia infallibiliter proposita eo ipso esse dogmata. Etenim propositio Ecclesiae non-revelatum non facit revelatum. Sed dogma neque cum graecis simpliciter est aequiperandum cum revelato, quasi revelatio sit summa dogmatum ab aeterno definitorum (ideo graeci negant progressum dogmaticum) ; non enim est simpliciter revelatum, sed propositio revelationis ab Ecclesia facta.

b) Est *veritas* revelata, seu iudicium logicum rem transcendentalem intellectu repraesentans. — Adversantur *a) modernistae et protestantes liberales*, ex quorum opinione dogma est expressio intellectualis experientiae religiosae ad normam eruditionis istius temporis, ab Ecclesia obligatorie praescripta. Quae opinio pugnat cum notione religionis et revelationis. *b) Pragmatistae* et symbolistae opinantur generatim non verum sed utile esse obiectum primarium intellectus, et ideo in dogmate quoque non veritas sed vis religiosa est quaerenda. At intellectus essentialiter ad verum apprehendendum tendit, quo deficiente obiecto adaequato carebit ; et quum appetitu innato verum sitiat, si id prehendere nequit, collabitur ; pugna vero illa assidua inter appetitum nobilissimum veritatis spiritui connaturalem eiusque non-satietatem in ipsum Deum redundabit, qui tunc iam neque sapiens neque verus dici poterit ; quod est absurdum et blasphemum. Pragmatismus est atheismus implicitus.

c) Est veritas revelata *proposita ab Ecclesia*. Propositio enim ecclesiastica est regula proxima fidei, quae si deest revelato, erit dogma in se sed non quoad nos; dogma materialiter, non formaliter. Si factum propositionis ecclesiasticae non est evidens, probabile tamen, doctrina est prope dogma («fidei proximum»). Etiam ubi de propositione ecclesiastica constat, diligenter considerandum est, *ad quid se extendat*. Propositio Ecclesiae ad terminos, explicationes et probationes plerumque non se extendit ; ergo ista plerumque non pertinent ad dogma. In ipsa thesi dogma enuntianti quoque quandoque inveniuntur, quae indirecte tantum, imo ne indirecte quidem, sed solum per accidens cum rebus fidei et morum coniunguntur, ad quae

ergo propositum definiendi per se non extenditur ; v. g. in secundo Christi adventu «nubes caeli».

2. *Genera dogmatum.* — 1. Dogma *formale, materiale.* 2. Dogmata *fundamentalia,* quae veritates revelationis centrales exhibent, et secundaria, quae peripherica continent (2II 16, 8-9 ; Comp. 246). Fundamentalia principalia vocantur etiam articuli fidei. 3. Dogmata *necessaria,* quae explicite sunt scienda et credenda ; et utilia, quae sufficit implicite credere : Credo quidquid Ecclesia ad credendum proponit. Multum ergo haec divisio differt a simili divisione protestantium a Petro *Jurieux* a. 1715 inducta : fundamentalia tantum sunt credenda, caetera adiaphora 4. Dogmata pura seu mysteria, et mixta quorum vel modus, vel factum, vel utrumque naturali rationi sunt pervia.

3. *Apologia dogmatis.* — His diebus dogma multos numerat adversarios, quorum quasi tessera est : Christum et religionem ita, at dogmata non ! Quorum hae sunt *exceptiones:* 1. Dogmatīs obligatorie praescribitur quid mente sentiamus ; quum hodie *libera rerum disquisitio* in summa aestimatione sit. Dogmatismus est residuum temporum antiquorum ; ideo proficiente tempore penitus superandus ; nos et generationes sequentes *criticismus* capit. 2. Maximo *damno est etiam religioni:* dogmata enim coram critica biblica, historica, philosophica, psychologica corruunt ; viro ergo erudito nihil relinquitur nisi asylum duplicis veritatis, vel cum dogmatis simul omnem religionem reiicere cogitur.

Hic *antidogmatismus* duobus erroribus gravissimis tamquam radicibus nititur : errore theologico non existere revelationem *(rationalismus)* et philosophico : nullam esse veritatem absolutam *(anthropologismus,* qui philosophia coarguitur falsi ; cf. Schütz : A bölcselet elemei 17. §). Si vero existit revelatio et veritas absoluta, tunc Deus potest veritatem absolutam etiam revelare et revelatam obligatorie proponere, seu dogmata praescribere. Logica enim constringimur veritatem cognitam amplecti. Hinc

a) Ars *critica* habet suas partes in veritate revelata, imo in dogmate rimando, at sanae criticae est in veritatem diligenter inquirere ; quae si inventa est, suo munere perfuncta est et recedat oportet.

b) Etiam *libertatis* quod dignum et iustum est, potest in dogmate amplectendo et colendo exerceri. Etenim fides dogmata suspiciens est assensus liber, et quum ipsum dogma sit absoluta veritas, verae libertatis est pignus et praesidium : «veritas vos liberabit», a servitute inquam omnium periculosissima peccati, superbiae, opinionum praeiudicatorum. Falsum est etiam dogmata inimica esse vero *progressui;* quum hinc quidem in ipsis dogmatis sit profectus (§ 19, 3) ; inde vero intellectum ad altiora in dies scrutanda provocant. — At si sive libertas, sive progressus intenditur contra veritatem, iam insipientia est et collabitur. Etenim *et libertas et progressus sunt bona formalia,* non materialia nec absoluta ; veritas autem est bonum absolutum. Quid enim iuvat liberum esse et deinde libertate perire ! Quidve progredi et consumi !

c) Vitae religiosae dogmatīs adeo non nocetur, ut etiam sine dogmatis corruat. Etenim impossibile est sanam vitam religiosam agere, quin intellectus suas partes ibi habeat (§ 1, 2) ; neque mirum, si omnis adogmatismus quoque dogmata etsi negativa sibi excudat (cf. dogmata rationalismi biblici § 9, 3). —

Obiectum secundarium et indirectum propositionis ecclesiasticae sunt **veritates catholicae** seu *theologicae,* seu doctrinae ecclesiasticae ; i. e. veritates non revelatae quidem, sed tamen stricte cum revela-

tione connexae, ita ut iis negatis etiam revelatio collabatur. Ecclesia etiam in his proponendis est infallibilis (probatur § 83). Veritates catholicae dogmatice alicuius momenti sunt :

1. *Conclusiones theologicae*, quarum sc. una praemissa est revelata, altera naturali rationis lumine cognita. Quum Deus inspirator sensum plenum eorum quae revelat intendat, et quum veritates philosophicae, e quibus est conclusionis theologicae altera praemissa non revelata, pariter Deum veritatis habeant auctorem, conclusiones theologicae quoque sunt revelatae, non formaliter quidem, sed tamen virtualiter.

2. *Facta dogmatica. Sensu latiore* sunt facta inseparabiliter iuncta cum dogmatis ; v. g. Petrus fuit Romae episcopus, papa qui nunc est, est Petri successor legitimus ; concilium Vaticanum est oecumenicum etc. Sensu *restrictiore* factum dogmaticum est *factum exegeticum: hunc* esse sensum alicuius textus quaesiti, utique non subiectivum seu intentum, sed obiectivum seu expressum ; etenim de internis non iudicat praetor. Ecclesiae propositionem etiam ad haec facta dogmatica extendi, certum est historice ex agendi ratione Ecclesiae v. g. in casu Trium Capitulorum, adversus Thaliam Arii, Augustinum Iansenii *(D* 1350) ; et suadetur ratione ; alioqui enim impossibilis esset damnatio heterodoxorum.

3. Circa veritates profanas huc pertinent *a)* quaedam *veritates philosophicae;* non modo revelatae (v. g. existentia Dei, libertas et immortalitas animae, factum creationis), sed etiam non revelatae, quibus proxime innititur dogma ; v. g. cognoscibilitas philosophica possibilitatis revelationis. Istis veritatibus philosophicis et factis dogmaticis tamquam duabus columnis nititur dogma (I 2, 2 ; Verit. 14, 9 ad 8). *b)* Iudicare de apitudine vel ineptitudine *terminorum technicorum*, quibus propositio Ecclesiae exprimitur ; alioqui enim impossibile esset Ecclesiae pro temporum et hominum conditione apte et efficaciter proponere ipsam revelationem. *c)* De *assertis profanis* iudicare, utrum revelationi adversentur nec ne. Alioqui enim impossibile esset Ecclesiae revelationem contra depravationes, et fideles contra errores praemunire. Quum eiusmodi iudicia directe et positive in revelata intendant et in profana indirecte et negative tantum, his neque Ecclesia sui magisterii limites transgreditur, neque libertati doctrinarum profanarum derogat. Etenim et istae veritatem ex animo quaerant oportet et revelatio veritatem continet ; at non potest veritas (revelata) veritati (profanae) contradicere.

ADDIT. *Revelationes privatae*, quarum possibilitas sine hareresi, factum sine temeritate negari nequit (2II 174, 6 ad 2), non pertinent ad obiectum propositionis ecclesiasticae : non ad primarum, quia depositum fidei tempore apostolorum est absolutum ; non ad secundarium, quia nulli veritati revelatae tam arcte nectuntur, ut eis negatis revelatio labefactetur. Iudicia Ecclesiae istas revelationes universali revelationi non adversari, sunt infallibilia ; iudicia de facto edita non sunt quidem infallibilia, magna tamen auctoritate pollent (Benedict. XIV : De servorum Dei beatif. II 32, 11).

4. Notae et censurae ecclesiasticae. — Gradum propositionis Ecclesiae, qui non est idem in omnibus, (prout ex supra n. 2. tractatis patet), notae ecclesiasticae positive, censurae negative indicant. Sunt vel *publicae* seu authenticae, iudiciales (primum adversus Eckehardtum 1329 *D*

501-29), quae a magisterio infallibili prolatae sunt infallibiles ; vel sunt *privatae, doctrinales, theologicae.* — *Censurae* sunt vel speciales seu categoricae, si singulis thesibus adiciuntur, v. g. Pii VI. adversus Pistorienses (Auctorem fidei *D* 1501 ss.) vel in globo, v. g. errores Quesnelii (*D* 1351-1451). Quandoque damnatio fit sine censuris v. g. in Syllabo Pii IX.

Pro usu theologico censurarum notandum est : quandoque errores damnantur prout iacent (v. g. *D* 1151-1215) ; quandoque «in sensu auctoris» (v. g. *D* 1441. 1525), cui similis est relatio in indicem librorum prohibitorum (cf. Sleumer : Index Romanus [6]1915). Si censurā thesis damnatur (censurae 1-4. 7 infra), contradictorium est verum, eo utique gradu, quem censura prodit. Contradictorium censurae semper est doctrina tuta.

Notae ecclesiasticae praecipuae sunt : 1. *De fide:* dogma ; 2. de fide ecclesiastica, seu *veritas catholica* (cf. supra n. 3). Utrumque in tractatibus theologicis solet simpliciter notā : De fide venire. 3. *Fidei proximum:* dogma materiale non sufficienter propositum ; 4. *ad fidem spectans,* theologice *certum:* veritas catholica ab Ecclesia infallibili non sufficienter proposita. 5. *Sententia communis* theologorum in quaestione disputata ; 6. sententia *communior:* sententia maioris partis theologorum in quaestione disputata. 7. Sententia *probabilis, probabilior,* praecise ab approbatione omnium vel maioris partis. 8. Sententia *pia:* argumentis theologicis non dirimitur, congruit autem sensui ecclesiastico. 9. Sententia *tolerata:* ex multorum opinione veritati theologicae contraria, ab Ecclesia tamen non notata.

Censurae dogmatice graviores : 1. *Sententia seu propositio haeretica :* contraria dogmati ; notorie haeretica : cuius error iam primo obtutu patet. 2. *Haeresi proxima* oppositum fidei proximo ; 3. *erronea:* contraria veritati theologicae propositae ; 4. *errori proxima:* contraria veritati theologicae non sufficienter propositae ; 5. *haeresim sapiens,* de haeresi suspecta : prout sonat non est haeretica, imo sensum catholicum admittit ; considerata tamen conditione loquentis probabiliter est haeretica. Similiter : *errorem sapiens.* 6 *Temeraria:* quae sine ratione sufficienti a communi theologorum sententia discedit (v. g. *D* 1540) ; 7. *falsa,* quae falso historiam appellat ; 8. *male sonans:* in se recta, non caute expressa ; 9. *captiosa:* propositionem haereticam vel erroneam locutionibus rectis velans ; 10. *piarum aurium offensiva;* 11. *scandalosa, perniciosa, iniuriosa* (imprimis in Ecclesiae vitam vel historiam).

ADDIT. **Haereses.** — 1. *Notio.* Haeresis (a v. αἱρέω separatio, selectio ; vita vel doctrina separata ; apud graecos scholae philosophicae diversae ; apud christianos iam 1 Cor 11, 19 : heterodoxa) est *dogmatice:* doctrina veritati revelatae contraria (haeresis obiectiva, propositio haeretica vel haeresi proxima) ; *ethice:* obstinata adhaesio doctrinae haereticae (haeresis subiectiva ; haereticus) ; *historice:* secta ad speciem christiana doctrinas haereticas profitens. Hae sectae haereticae sunt alicuius momenti in Ecclesia, etiam theologis.

2. *Causae: a) Subiectivismus* contemnens auctoritatem Ecclesiae docentis et vel ex superbia vel ex stultitia mysteria ad captum rationis trahere contendens ; *b) naturalismus* magnalia et mysteria Dei ad normam naturae corruptae (imprimis vitam spiritualem et religiosam mechanice) construens ; necnon gentium, regionum, individuorum indolem, carnis et sanguinis impulsus intrudens doctrinis, quae spiritus sunt et vita ; *c) syncretismus; d) sectarianismus spiritualis.* Veritas enim revelata est catholica, seu omnibus numeris absoluta ; haeretica doctrina vero est manca quodam-

modo, rem ab una tantum parte considerans alteramque neglegens (cf. nestorianismum et monophysitismum ac veritatem mediam catholicam).

3. *Momentum.* — Haeresis est *magnum malum* in Ecclesia : crudeliter dilaniat corpus Christi (Tit 3, 16), multos in errorum barathrum intrudit, rixas et lites miserrimas inter christianos excitat, quae sunt mors caritatis christianae et scandalum mundo (cf. quae iam Celsus, Iulianus Apostata, Prophyrius effutiebant in christianos). Non est ergo mirum, quod iam priscae Ecclesiae nihil fuit antiquius quam haereses vel in ipso ortu opprimere (cf. Col. 2, 4-23 ; 1 Jn 2, 26 etc. ; Ign. Smyrn. 2. 4 ; Tral. 10 ; Phil. 6, 1 ; Barnab. 19, 12 ; Did. 11, 2 etc.). — Nihilominus *Deus permittit* haereses, quia *a)* ipsam Ecclesiam quam oppugnant comprobant, quae impugnationibus haereticorum non labefactatur, quum ipsae haereses post incrementa decidant (cf. historiam arianismi). *b)* Comprobant existentiam doctrinae catholicae, cuius sunt negatio vel obfuscatio. *c)* Ecclesiae sunt causa, ut veritatem catholicam magis explicite et determinate proponat, seu sunt fomentum progressus dogmatum (Aug. Vera rel. 8, 15 ; Civ. XVI 2, 1 ; Gen. Man. I 2).

Caput 4. Susceptio revelationis.

Quaeritur de 1. fide, 2. intellectu fidei, 3. theologia, 4. historia theologiae.

Tractatus de fide et theologia. A. *Schmidt:* Untersuchungen über den letzten Gewissheitsgrund des Offenbarungsglaubens 1867 ; Wissenschaftliche Richtungen auf dem Gebiete der Theologie 1862 ; I. *Bainvel:* La foi et l'acte de foi 1908 ; A. *Gardeil:* La crédibilité et l'apologétique ²1912 ; La donnée révélée et la théologie ²1910 ; G. *Rabeau:* Introduction á l'étude de la théologie 1926 ; Apologétique 1930 ; K. *Adam:* Glaube und Glaubenswissenschaft im Katholizismus ²1923 ; K. *Eschweiler:* Die zwei Wege der neueren Theologie 1925 ; J. *Rimaud:* Thomisme et méthode 1925 ; Theologische Fakultät München : Einführung in das Studium der kath. Theologie 1921. — M. *Grabmann:* Die Geschichte der kath. Theologie seit dem Ausgang der Väterzeit 1933 ; K. *Werner:* Alkuin und sein Jahrhundert 1876 ; Der h. Thomas 3 vol 1858 ss.; Die Scholastik des späteren Mittelalters 5 vol 1888 ss. Suarez u. die Scholastik der letzten Jahrhunderte 2 vol. 1860 s. D. *Gla:* Repertorium der kath. theologischen Litteratur seit 1700 1895 ; H. *Hurter:* Nomenclator litterarius theologiae catholicae 3 vol ³1903 ss.; *Schütz* A. : A klasszikus ferences teologia 1927 ; A hittudomány jelen fázisa és föladatai 1934 (Theologia I). — A. *Lépicier:* De stabilitate et progressu dogmatis 1910 ; A. *Palmieri:* Il progresso dommatico nel concetto cattolico 1910 ; A. *Rademacher:* Der Entwickelungsgedanke in Religion und Dogma 1914 ; M. *Schultes:* Introductio in historiam dogmatum 1922 ; F. *Marin-Sola:* L'évolution homogène du dogme catholique ²I II 1924.

§ 18. Fides.

Statuitur 1. notio, 2. motivum formale, 3. obiectum, 4. principia subiectiva fidei.

1. Notio. — Fides theologica est vel actualis vel habitualis. *Actus fidei* est assensus veritati revelatae praestitus propter auctoritatem Dei revelantis adiuvante gratia actuali (2II 2, 9). *Fidem habitualem* Vat. (3 cp 3 ; cf. c. 2 fid.) definivit : «*Hanc vero fidem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur virtutem esse supernaturalem, qua Dei aspirante et adiuvante gratia ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam,*

sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest. Est enim fides testante Apostolo (Heb 11) *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*». Et est haec fides qua creditur ; fides quae creditur, sunt credenda.

Adversantur fideistae: Kant, Schleiermacher, protestantes recentes, modernistae, imo quod ad rei substantiam attinet, iam Luther et Calvinus, ex quorum omnium opinione fides est dispositio affectiva idearum religiosarum accipiendarum ; ergo et veritas suscipiendorum et auctoritas Dei revelantis neglegitur. *Hermes:* omnis persuasio firma est fides. *Günther:* cognitio rerum suprasensibilium. *Protestantes* orthodoxi : fides promissionum in genere et in specie fides fiducialis, seu persuasio me esse iustificatum in Christo. Contra quos omnes veritas catholica statuit fidem, qua suscipienda est revelatio, esse fidem dogmaticam sensu Vaticani. De fide (probabitur § 75, 3). Conceptus vero heterodoxi fidei *falsi* coarguuntur iam ex eo, quod vel discrimen essentiale inter naturam et supernaturam obfuscant aut penitus destruunt (Günther, Hermes, fideistae), vel vero etiam insuper falsa religionis notione ducti negant religione et revelatione contineri veritates absolutas, assensu intellectuali suscipiendas.

Quum omnis theologiae imo philosophiae christianae recta ratio circa rectam fidei notionem tamquam cardinem vertatur omnesque errores theologici et haereses in prava fidei notione radicibus figantur, diligentissime inquirendum est in principia fidei, quam *analysim vel reductionem fidei* inde a Suaresio et Lugone theologi usque in hunc diem acutissime prosequuntur. Tria hic disputantur : quis, quid, quare credit, seu principia subiectiva, obiectum, motivum fidei.

2. Motivum. — THES. **Motivum formale fidei est Deus loquens seu auctoritas Dei revelantis.** *De fide* ex Vat. (supra n. 1.).

EXPLIC. *Motivum formale* est ratio, cui assensus immediate innititur. Ergo quum credo v. g. Christum esse realiter in Eucharistia, huius assensus unica ratio immediata est : quia hoc revelavit Deus absolute sapiens et verax. Motivo formali ergo credens cum veritate credenda immediate coniungitur ; ideo credo Christum esse in Eucharistia, quia in et cum ista veritate simul apprehendo : hoc est effatum Dei absolute sapientis et veracis. Seu «Deus revelans» est ista prima et suprema veritas revelata, unde omnia alia revelata lucem, auctoritatem, credenditatem accipiunt ; i. e. motivum formale fidei simul est etiam *obiectum formale* informans obiecta materialia ; sicuti obiectum formale visus est lux. — Adversantur *subiectivistae* cuiusvis furfuris, qui motiva mere subiectiva evangelii suscipiendi ponunt, uti indigentias animae, affectus, sensum quendam peculiarem religiosum, suggestiones «ingeniorum religiosorum» et similia.

DEMONSTR. **Scr.** Testibus Libris ss. legati divini missionem suam miraculis, prophetia etc. comprobant quidem, ita ut doctrina eorum credibilis imo credenda appareat hominibus bonae voluntatis ; nihilominus nullum relinquunt dubium quin ipse Deus revelans sit, cui fides praestatur : «*Qui vos audit, me audit,* dicit Christus apostolis ; *et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit Eum qui misit me*» Lc 10. Docente Paulo «*credidit Abraham Deo,* et reputatum est ei ad iustitiam» Rom 4 etc. **Tr.** Patres unanimiter cum Leone M. (de nativ. 7, 1) profitentur: Est Dei auctoritas cui credimus. Iam adversus gnosticos hoc unum invocabant argumentum : eorum doctrinam adversari revelationi Dei per

successionem apostolicam propositae. Ex eo tempore familiare est eis distinctio fidei Deo praestandae et scientiae ratione innixae.

R. Fides christiana ex communi christianorum persuasione est *assensus sui generis*, distinctus a quovis alio. Atqui omnis actus *specificatur ab obiecto seu motivo formali*. Ergo assensus fidei non potest habere obiectum seu motivum formale sive evidentiam internam, sive experientiam vel testimonium humanum, sed solam auctoritatem Dei revelantis ; eo magis, quia alioqui assensus revelationi praestitus non esset proportionatus obiecto materiali, i. e. ipsi veritati revelatae. Ex quo colligitur *nihil aliud* ingredi posse assensum fidei *ut motivum formale partiale*, uti v. g. motiva credibilitatis vel propositio Ecclesiae. Haec utique sunt conditiones, at non causa assensus fidei immediata. Si enim etiam causa saltem partialis immediata essent, fides iam humanis etiam motivis immediatis niteretur, et non esset ille assensus soli Deo revelanti praestitus, quem fontes fidei commendant et Ecclesia postulat.

Etsi ergo assensus fidei careat evidentia obiectiva immediata seu interna, utpote non ex evidentia credendorum, sed solummodo ex obsequio auctoritati Dei revelantis praestito progenitus, tamen *summa evidentia obiectiva mediata* (externa) est praeditus, quum Deus absolute et infinite sapiens et verax, seu prima et absoluta Veritas sit obiectum formale immediate prehensum, lumine divino omnes veritates revelatas credendas informans (2II 1, 1 ; Verit. 14, 8 ad 16). Ex quo efficitur :

1. Graviter errant *rationalistae*, quum iactant fidem catholicam *esse fidem caecam*. Quum enim omnia et singula quae creduntur, immediate ex ore Dei, summae Veritatis, Patris luminum accipiantur, fides non modo est rationabile obsequium, verum etiam summi istius luminis participatio. Familiare est patribus et theologis ita interpretari illud Ps 4 : In lumine tuo videbimus lumen.

2. *Assensus fidei est certitudo super omnia*. Vim enim ex motivo formali sumit, ex auctoritate Dei loquentis, quae infinite superat omnia motiva assensus creata (2II 4, 8 ; Verit. 14, 1 ad 7). Propter debilitatem et inconstantiam humanam fieri quidem potest, ut psychologice persuasio aliqua humana sit firmior ; persuasio tamen fidei manet et debet manere appretiative, etsi non eo ipso etiam effective vel plane affective summa (Verit. 10, 12 ad 6). Semper enim valet illud: «Obedire oportet Deo magis quam hominibus» Act 5.

3. *Qui formaliter reicit vel unam veritatem fidei, etiam omnium ceterorum naufragium facit* 1 Tim 1, 19. Qui enim formaliter reicit aliquam veritatem fidei, seu sciens eam esse revelatam, ipsum motivum formale seu obiectum formale reicit, quo radicem unde omnia credenda progerminant, exstirpat. 2II 5, 3.

Analysis fidei. — Quae est in ipso fidei actu *necessitudo obiecti seu motivi formalis ad obiecta materialia?* Est haec quaestio intricata de analysi fidei sensu restrictiore. *Quaestionis status* est hic : Si credo Christum vere esse in Eucharistia, interrogatus: quare hoc credis, respondebo : quia assentior Deo hoc revelanti. Et si urgeor : quare assentiris Deo hoc revelanti, dicam : quia persuasum mihi est Deum hoc esse locutum, Deus autem absolute sapiens et verax non potest falli neque fallere. Et sic videtur assensus et certitudo fidei ultimo resolvi in persuasionem de absoluta sapientia et veracitate Dei, quae philosophice statui possunt ut *praeambula* fidei, et in persuasionem facti revelationis *(motiva credi-*

bilitatis et credenditatis), quae criteriis revelationis eorumque applicatione nititur. At tunc auctoritas Dei revelantis non est unicum fidei motivum, sed tantum proximum ; remota erunt perceptio praeambulorum et motivorum credibilitatis credenditatisque, quae autem utpote lumini naturali rationis pervia non possunt generare assensum supernaturalem sola Dei revelantis auctoritate nitentem, neque persuasionem super omnia. Quaeritur ergo, *quomodo auctoritas Dei revelantis, motivum fidei formale, sit etiam ultimum;* quae ergo sit necessitudo formalis inter motivum fidei et motiva credibilitatis.

His tribus saeculis theologi multa et subtilia in hanc quaestionem arduam nimis disputabant. Sententiae praecipuae sunt hae :

1. *Suarez* (De fide 3, 6 12), cui accedit Billuart et cum grano salis Scheeben, docet *motivum fidei in eodem fidei actu cum obiecto materiali, ergo fide theologica prehendi.* Si enim motivum fidei formale non esset eiusdem naturae atque actus fidei, seu non esset etiam ipsum supernaturale et super omnia, seu si non esset ipse Deus revelans, sed inferius quid, v. g. motiva credibilitatis, tunc totus fidei actus in istum inferiorem gradum detraheretur et cessaret esse actus essentialiter supernaturalis, sui generis. Ergo debet esse eiusdem generis ac dignitatis atque actus fidei, seu debet et ipsum fide prehendi. Atqui si fide prehenderem auctoritatem Dei eo quod Deus alias mihi revelaverit se esse infinite sapientem et veracem, necnon se revelare, regressu in infinitum absorberer. Itaque motivum seu obiectum formale fidei fide arripitur sic : Quum Deus revelat veritatem credendam actu signato, v. g. Christum esse in Eucharistia, eodem ipso actu (non signato sed exercito) revelat etiam se nunc revelare et se esse absolute sapientem et infinitum ; et sic *fide immediata in actu revelationis exercito prehenditur motivum fidei;* et fide mediata, seu in et cum motivo seu obiecto formali in actu revelationis signato prehenditur obiectum materiale seu veritas credenda. — Huius sententiae alioqui sublimis et elegantis, prout iacet, hae videntur esse *difficultates: a) Fides immediata* prehendens obiectum formale fidei iam non videtur esse fides a Vaticano definita ; imo videtur pugnare, ut aliquid credatur propter seipsum ; *b)* gratis asseverari videtur Deum revelantem *actu exercito* revelare se nunc revelare et plane se esse infinite sapientem et veracem.

2. *Lugo* (De fide 1, 6 7), cui assentitur Franzelin, hunc in modum docet : Actum fidei immediate praecedunt et quasi progignunt *duo haec iudicia:* Quod Deus absolute sapiens et verax revelat, absolute verum est ; quod Ecclesia proponit, est locutio Dei. Primum iudicium est immediate *evidens in ipsis terminis* (apparet enim esse notum per se, si conditionate ponitur : Si Deus loquitur, verum dicit ; sic etiam a philosopho atheo accipiendum est). *In Ecclesia docenti* pariter *immediate prehenditur Deus hic et nunc loquens;* Ecclesia docens enim mihi manifestatur in concreto : miraculis propagationis, conservationis, sanctitatis, ubertatis praedita (et ita saltem in confuso absque conclusionibus a quovis fideli prehenditur), et Ecclesiam sic prehensam immediate translucet Deus loquens, sicut per sonum vel chirographum funditur persona loquens amici vel parentis. Hic deinde assensus immediatus, in ulteriora principia non resolvendus, ut motivum formale generat fidem. — Haec sententia hodie *communiter relinquitur*, quia *a) in propositione Ecclesiae non immediate* prehenditur auctoritas Dei revelantis ; etenim Ecclesiam esse organum revelationis, ab ipso Deo institutum, criteriis credibilitatis statuitur (§ 82) ; ergo ex doctrina Lugonis motivum fidei ultima analysi essent motiva credibilitatis. *b)* Videtur *fides conclusio* poni ex istis duobus praemissis lumini naturali

perviis: Dei veri et Ecclesiae proponentis ; et igitur periclitatur fidei supernaturalitas et indoles sui generis.

3. *Salmanticenses* (tr. 17), quibus accedunt Billot, Pesch, van Noort et multi alii, genesim fidei ita exponunt : Actus fidei non potest elici, nisi sciam Deum esse infinite sapientem ac veracem, et Deum esse hic et nunc loquentem. Haec autem scientia aliter non potest acquiri, nisi per criteria applicata, sive scientia communi, sive erudita. His duobus praemissis naturali rationi perviis innixus intellectus format iudicium practicum credibilitatis et credentitatis, quibus voluntas inclinatur ut ope gratiae pium credulitatis affectum eliciat. Deinde voluntati sic dispositae intellectus praesentat auctoritatem Dei revelantis duobis istis iudiciis praeviis contentam, cui voluntas assentiens imperat intellectui assensum fidei. *Motivum* ergo formale fidei est praecise *auctoritas Dei* revelantis, *non autem cognitio istius auctoritatis*, prout ceterae theoriae ponunt. Fides theologica enim non est *fides scientifica*, v. g. historica, cuius motivum formale est cognitio fidedignitatis testium, quae cognitio potest esse etiam falsa ; sed est *fides pietatis*, uti infantis in matrem, cuius motivum formale est auctoritas ipsa, utique praesens in intellectu seu praesens intentionaliter, at non ipsa intentio (= cogitatio seu cognitio) istius auctoritatis.

Haec sententia utut acutissima, *minus recte motivum fidei ex fidei actu excludit*. Etenim motivum est simul obiectum formale ; at ubi assensu sive intellectus sive voluntatis prehenditur aliquid propter aliud (v. g. Christus creditur praesens in Eucharistia, quia accipitur hoc esse revelatum a Deo), seu ubi prehenditur obiectum aliquod propter obiectum formale, psychologice et logice *est impossibile utrumque non per modum unius prehendi*, uti impossibile est colorem vel figuram videre non simul in et cum luce (cf. in Lomb. III 14, 1, sol. 4). Ergo motivum fidei in actu fidei prehendatur oportet. Quod recte docent Suarez et Scheeben ; sic solum supernaturalitas et sui generis indoles assensūs fidei sarta tectaque manent. At quum ista *obiecti formalis fides* non possit gigni per se, neque per generationem quandam aequivocam, videtur enasci ita, ut praeambula et iudicia credibilitatis credenditatisque sint conditiones psychologicae, quibus positis Deus immediata actione supernaturali generat fidem obiecti formalis, quae utique est fides sui generis, repercussio quaedam «Entis a se» in creatura supernaturaliter elevata, mysterium fidei non tollens, sed *in mysterium ipsius Dei se creaturae immediate communicantis* resolvens.

3. Obiecta fidei materialia — sunt revelata ab Ecclesia proposita. Quum propositio ista non sit in omnibus eiusdem gradus (§ 17), etiam fides per gradus prehendit obiecta fidei.

1. *Fides divina* extenditur ad omnia et sola formaliter revelata sive explicite sive implicite. Fidei divinae enim motivum formale est auctoritas Dei revelantis, quae convenit omnibus formaliter revelatis ; etiam revelatio privata fide divina est suscipienda ab eo cui facta est.

QUAEST. *Utrum virtualiter revelata fide divina sint accipienda?* Respondent M. Cano et *Vasquez:* ita ; Deus enim revelans ea praevidit, ergo etiam intendit. *Suarez* et Lugo ponunt : fide divina ea esse accipienda, si ab Ecclesia ad credendum proponantur. *Salmant.* et Wirceburg. *negative* respondent, et est haec sententia hodie communior et probabilior. Namque *a)* obiectum fidei divinae est, quod Deus credendum proponit ; at conclusiones theologicas non ipse proponit, sed nos eas eruimus ; *b) fidei divinae motivum formale unicum* est auctoritas Dei revelantis ; at conclusiones theologicae utpote praemissa altera humana nixae, auctoritatem huma-

nam habent ut motivum partiale, quam non potest tollere Ecclesiae propositio, quae revelationem exhibet, at eius indolem non alterat.

2. *Fides divina et catholica* complectitur revelata formaliter ab Ecclesia ad credendum proposita, seu dogmata.

3. *Fides ecclesiastica* complectitur eas veritates catholicas (praesertim conclusiones theologicas), quas Ecclesia infallibiliter proponit; quae est ergo interna et inconcussa utpote infallibili auctoritate statuta, et supernaturalis, utpote Christo mystico debita. Non est ista fides divina, ut quidam volebant (Schiffini), utpote non habens motivum formale exclusive auctoritatem Dei revelantis, sed media inter divinam et humanam, promanans tamen ex virtute theologica fidei (1II 54, 4 c).

4. *Assensus religiosus* complectitur *a)* propositionem Ecclesiae authenticam non infallibiliem; *b)* ea quae a theologis communiter ut veritates catholicae proponuntur. His duobus generibus non debetur fides ecclesiastica, quum non proponantur infallibiliter; sed neque mere humana, quum a magisterio authentico Ecclesiae proferantur. Ideo fides ista debet esse vera et interna, et non mere silentium obsequiosum (cf. *D* 1687). Quum hic assensus non nitatur in magisterio infallibili, per se non est absolutus et irreformabilis; at quia Ecclesia in his quoque Christi munere fungens peculiari providentia Spiritus s. dirigitur, in dubio vel difficultate praesumptio stat pro assensu, et difficultates communes non sunt ratio sufficiens, ut suspendatur vel plane denegetur.

5. *Assensus theologicus* debetur veritatibus theologicis a theologo propria industria e fontibus fidei erutis nec ab Ecclesia propositis.

QUAEST. *Potestne haberi de eadem veritate simul scientia et fides?* Agitur *a)* de *eadem persona;* patet enim alterum posse scire quod alter credit; *b)* de *eodem tempore;* fieri enim potest, ut aliquis postea sciat quod ante crediderat, quin tamen virtutem fidei amittat, quae solis actibus fidei contrariis amittitur. Quaestio est ergo de compossibilitate habitus scientiae et actus fidei, idque *c) pro mediate* (per conclusionem) *cognitis;* evidens enim est non posse simul haberi fidem et scientiam immediate cognitorum (v. g. me existere; principium contradictionis).

Thomistae cum Thoma (1II 67, 3; 2II 1, 4 5) quaestionem *negative* solvunt; nam *a)* ex Apostolo fides est scientia non apparentium Heb 11; visio ergo excludit fidem; ita sentiunt etiam patres (v. g. Aug. in Jn 79, 1; 40, 9; Greg. M. Dial. VI 6). *b)* Quae interna evidentia etsi mediata sciuntur, non possunt vera haberi simul etiam evidentia externa (testimonii); si quandoque ita videtur, tunc revera perspicitur congruentia evidentiae externae et internae, et haec evidentia nova confirmat assensum, at non ei addit novum certitudinis genus, quia manet unicum motivum formale evidentiae internae (Salmant.).

Albertus Magn., Halensis, *molinistae* et nostri plerique *affirmant.* Nam *a)* ex Vat. (3 cp 3) fide divina et catholica credenda sunt omnia quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia proponuntur; atqui in eis sunt quaedam quae possunt ratione demonstrari, ergo certe sciri. Reponit quidem Thom (2II 1, 5 ad 3 4): Demonstrabilia possunt esse obiectum fidei, quia cum eo cohaerent; deinde quia ab iis qui probare non valent, credenda sunt; denique quia plerumque ex parte possunt probari ex parte non; sic Deum esse probatur, esse Trinitatem creditur. *b)* Experientia pscyhologica testatur, eandem veritatem posse propter duo motiva accipi.

DIACRISIS. Sententia s. Thomae propter *rationem Salmant.* praeferenda est ; at pro eo casu tantum, ubi veritas interne est penitus evidens, quod raro contingit. Ubi evidentia interna non est plena, ut plerumque in scientia metaphysica ac religiosa accidit, manet locus assensus propter auctoritatem ergo etiam fidei.

4. **Principia subiectiva** fidei sunt intellectus, voluntas, gratia.

1. *Intellectus* — in fide procreanda munere et dispositivo et consummativo fungitur.

Dispositive: intellectūs est consulere, ut actus fidei sit rationabile obsequium ; quod fit, si ab obiecto formali ante fidem sciatur Dei revelanti esse credendum *(praeambula)* et Deum hic et nunc esse locutum *(iudicia* credibilitatis et credenditatis) ; ab obiecto materiali vero : quid est quod Deus revelavit. Ista possunt sciri et erudite et scientia communi, pro diversis fidelium conditionibus. Indocti haud raro iudicium credenditatis concipiunt ex auctoritate Ecclesiae in confuso, imo etiam mediate in viris eam repraesentantibus (parentibus, sacerdotibus) prehensae ; obiecta materialia vero quaedam explicite in symbolo vel etiam in cultu et vita catholica arripiunt, cetera vero implicite prehendunt in proposito : Credo quidquid Ecclesia credendum proponit.

Consummative intellectus est principium subiectivum immediatum fidei; *fides* enim *est actus elicitus intellectus.* Est *certum* adversus fideistas, e quorum opinione fides est actus elicitus affectus vel voluntatis ; et *probatur* ex notione genuina fidei catholicae. Fide enim vera habentur revelata ; at verum habere est intellectūs. Idem diserte docet Scriptura : «*Nos credidimus et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei*» Jn 6 ; «*in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*» 2 Cor 10. *Traditionis doctrina* patet iam vel ex praxi Ecclesiae, semper fidem dogmaticam et praedicanti et postulanti (§ 75, 3).

2. *Voluntas*

Dispositive negative removet *impedimenta* arcentia voluntatis obsequium auctoritati Dei praestandum, uti sunt superbia et impietas, lectio et conversatio indifferens ac incredula, desidia et mollities. Positive iuvat intellectum in iudiciis credibilitatis et credenditatis formandis ; plerumque enim via veritatis ardua est, opinionibus praeiudicatis, sophismatis, illecebris consita, quae non superantur nisi «in oratione et ieiunio» ; nec meta veritatis attingitur, quin esuriatur et sitiatur veritas ex *animo.* Quae omnia sunt voluntatis. Immo voluntatis est generatim acumen mentis efficaciter ad ea dirigere, quae assensu prehendenda sunt.

Consummative: fides est actus imperatus a voluntate; ergo **fides est actus liber.** *De fide* ex Vat. (3 c. 5 fid.) : «*Si qu. d. assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci; aut ad solam fidem vivam quae per caritatem operatur* (Gal 5) *gratiam Dei necessariam esse, a. s.*» Est definitum contra *Hermesium,* qui distinxit fidem intellectus necessariam et cordis liberam.

DEMONSTR. **Scr.** docet fidem esse meritoriam et infidelitatem peccatum ; ergo utrumque liberum : «*Qui credit in eum, non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est*» Jn 3 (cf. Mt 16, 16 etc.). Est ob-

iectum mandati: «*Et hoc est mandatum eius, ut credamus in nomine Filii eius Iesu Christi*» 1 Jn 3. **Tr.** inde ab Iren. IV 37, 5 unanimis est eamque complectitur *Aug.* (in Jn 26, 2): «Intrare quisquam Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere sacramentum potest nolens: credere non potest nisi volens».

R. ad mentem s. Thomae (2 II 4; Verit. 14, 1) sic arguit: fides ut veritatis susceptio est actus elicitus intellectus; sed *intellectus non est potentia libertatis capax;* ergo actus fidei non potest esse liber elicitive, sed tantum imperative; sc. inquantum est actus intellectus imperatus a voluntate. At *non est in potestate voluntatis intellectui imperare evidentiam internam,* quae si adest plena (v. g. in mathematicis) neque habet potestatem impediendi intellectus assensum. Ubi autem non est evidentia interna, *sed externa* tantum, redundans ex auctoritate proponentis veritatem, voluntas libertate contradictionis et exercitii potest intellectum movere vel non movere ad assensum, libertate vero contrarietatis potest imperare assensum vel dissensum. Nunc iam quod ad fidem attinet, evidens quidem plerisque est Deo revelanti esse credendum; at Deum hic et nunc esse locutum iam non est adeo evidens; et si forte sit evidens, quum vera fides supernaturalis tunc demum oriatur, si revelatum non conclusionis instar suscipitur, *sed propter auctoritatem Dei revelantis,* voluntatis est imperare istud obsequium auctoritati divinae praestandum.

Ex quo efficitur: *in fide acquirenda* et generanda plerumque non criteriorum revelationis cognitio erudita, sed voluntas, ergo etiam affectus principalem partem agunt, quae ergo directione spirituali et pastorali prae ceteris sunt educanda et ducenda.

3. *Gratia.* — Quum fides sit fundamentum et radix nostrae iustificationis (Trid 6 cp 8), actus fidei est essentialiter supernaturalis, ad quem eliciendum gratia est absolute et physice necessaria. De fide adversus pelagianos et semipelagianos. Et quidem gratia *medicinalis* est necessaria iam ad iudicium credibilitatis et credenditatis speculativo-practicum formandum; iudicium vero credenditatis practico-practicum («mihi hic et nunc credendum est») et *pius credulitatis affectus* exinde enascens non fit absque gratia elevanti (ita adversus semipelagianos; § 70, 2); item gratia elevans *illuminationis et aspirationis* est absolute et physice necessaria, ut intellectus voluntate imperante assensum fidei eliciat (§ 70, 1). Si quis ergo vir acutioris ingenii revelata vera haberet propter motiva credibilitatis mere philosophice perspecta, nondum haberet fidem salutarem. Ita et daemones credunt et contremiscunt.

Ex quo colligitur: *Certitudo fidei salutaris* non est simpliciter *determinatio mentis* ad unum, sicut aliae certitudines, sed *ad verum.* Etenim in actu fidei intellectus gratia ad actum connaturalem perfectius eliciendum iuvatur, qui est cognitio veri. At gratia utpote concursus Dei supernaturalis (ergo specialis) non iuvat contra naturam, sed solum secundum naturam, non ergo ad errorem, sed ad verum prehendendum. Si quis igitur bona mente quaerens fidem impingit amplectendo errorem, studium veri adiuvante gratia praestitum poterit ei meritum esse, at non erit vera fides eius. Ex quo iterum efficitur:

Actus verae fidei natura sua est irreformabilis et inconcussus. Manet quidem credenti libertas retrahendi fidem semel conceptum, at hoc nunquam fit moraliter licite. Non enim est unquam licitum retractare obiectum formale fidei, quod est auctoritas absoluta et inconcussa ipsius Dei. Tenetur

ergo fidelis repellere difficultates et tentationes fidei necnon a limine reicere quamcunque thesim fidei contrariam, quantumvis evidentem specie. Quod si neglegat et ex fide excidat, graviter peccat. Qui semel vere credidit, vere et intime Deo coniungebatur ; at Deus non deserit nisi deseratur. «Tu autem fide stas ; noli altum sapere, sed time» ! Rom 11.

§ 19. Intellectus fidei.

Statuitur intellectus fidei 1. obiectum, 2. vis ac ratio ; 3. progressus dogmaticus.

1. Obiectum. — THES. *Aliquis fidei intellectus est possibilis, imo necessarius. Certum* ex iis, quae Vaticanum de necessitudine fidei et rationis docet (3 cp 4 ; cf. § 18, 4).

DEMONSTR. **Ser.** hortatur, «*ut adimpleamini agnitione voluntatis eius, in omni sapientia et intellectu spirituali*» Col 1 (cf. 2 Pet 3, 18 ; Rom 15, 14 etc.). **Tr.** Est quasi tessera patrum inde ab apologetis et imprimis alexandrinis illud Augustini : *fides quaerens intellectum;* qui et vitam huic muneri impendebant, idque non modo pro eruditis, ut patet ex homiliis ad populum habitis. **R.** Quum credere catholice sit verum habere revelatum propter auctoritatem Dei revelantis, est hinc quidem psychologice impossibile aliquid verum habere, etsi sit mysterium, quin aliquatenus saltem intellegatur ; inde vero impossibile est, ut revelatio utpote veritas altissimi originis careat dignitate, qua ornatur quaevis veritas : intellegibilitate.

Intellectus fidei diversos *gradus* habet : Alius est *communis*, qui non excedit contentum veritatis fidei et habetur ab omnibus explicite aliquid credentibus. Alius est *altior*, excedens contentum veritatis fidei (γνῶσις alexandrinorum, intellectus fidei Augustini), et est vel contemplativus, vel eruditus seu scientia fidei.

Scientia fidei potest dirigi in fidem *qua* creditur : scientia fidei *positiva*, quae est *vel dogmatica*, si veritates fidei singulas in fontibus fidei (fide iam acceptis) contineri ostendit, *vel apologetica*, si Scripturam et traditionem hypothetice ut fontes mere historicos habens apologetice ostendit credibilitatem et credenditatem doctrinae eis propositae. Potest dirigi in fidem *quae* creditur, quaerens intellectum singularum veritatum revelatarum, et est scientia fidei **speculativa.** Haec imprimis in veritates fidei per eminentiam, in mysteria dirigitur, in quibus prehendendis et illustrandis haec habet *munera:*

1. Potest ostendere *mysteria non contradicere rationi.* Mysteria enim conceptibus analogis, non propriis, exprimuntur ; et igitur potest de singulis ostendi, ea non contradicere principiis neque logicis, neque metaphysicis, neque ethicis. Haec probatio est mere negativa, statuens non-contradictionem ; at non est positiva ; seu non potest ostendi in thesi mysterium enuntianti praedicatum esse compossibilem subiecto. Sic ostenditur non esse contradictionem inter rationem et fidem, nisi apparentem : enantiophaniam, quae oritur vel eo quod mysterium falso intellegitur, vel eo quod opinio humana falsa pro veritate habetur. — Si patres, imprimis mystici quandoque appellant illud Tertulliani: «*Credo quia ineptum*» (non dixit Tertul. credo quia absurdum ; posteriores quidam id ei affingebant), nihil aliud intendunt nisi rhetorice efferre illud Apostoli : «Et iudaei signa petunt et graeci sapientiam quaerunt ; nos autem praedicamus Christum crucifixum,

iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam» 1 Cor 1; prout patet ex ipso Tert. (Carn. Chr. 5).

2. Diligenter *exponit conceptus illos analogos, quibus mysterium exprimitur*, et sic accurate describit terminos, ad quos intellectus in mysterium inquirens attingere potest, et unde verum mysterium formale rationis captum superans incipiat.

3. Imo in ipso mysterio analogice concepto plerumque invenitur *momentum, ex quo prehenso tota quasi mysterii ratio deducitur*, uti mysterium Trinitatis ex momento duarum processionum productivarum (§ 36), gratia ex deiformitate trinitaria (§ 74, 3).

4. Potest invenire analogias theologicas et analogias fidei quibus mysterium iam propius illustratur. *Analogiae theologicae* sunt momenta naturali rationi in rerum natura perviae, similitudinem intimam cum mysterio praebentia, uti est illa celeberrima Augustini de cognitione et amore sui ipsius animae humanae, analogia processionum trinitariarum. *Analogiae fidei* sunt facta fidei magis obvia, quibus alia magis remota ex similitudine vel coniunctione reali illustrantur, uti proprietates corporis eucharistici analogia corporis Christi redivivi.

5. Potest *mysterii convenientiam* ostendere, seu ostendere mysterium congruere *a)* attributis Dei etiam philosophice perviis, *b)* fini et destinationi creaturae, imprimis rationalis, *c)* indigentiis altissimis ac nobilissimis naturae humanae.

6. Potest ex mysteriis et generatim ex dogmatis *conclusiones* theologicas efficere et sic scientiam fidei parare, quae etiam ratione obiecti excedit terminos et contentum immediate revelatorum. Item potest conclusiones practicas deducere necnon applicationes statuere, atque sic totam vitam et practicam et theoreticam lumine supernaturali fidei illustrare.

7. Potest veritates revelatas omnes *in systema redigere*, et igitur potest ostendere et veritates revelatas et conclusiones theologicas e paucissimis dogmatis fundamentalibus tamquam principiis deduci; quod est probationis genus. Et ista probatione, addita probatione dogmatica et apologetica supra appellatis, potissimum fit, ut scientia fidei doctrinam eruditam, theologiam proferat.

ADDIT. *Principium subiectivum scientiae fidei* est intellectus naturalis, quae utique «Deo dante» (Vat. 3 cp 4), conceptibus tamen et methodis naturali lumine rationis acquisitis naturalique industria operatur. Hac ergo ratione scientia fidei est *operatio naturalis*, non sicut fides, cuius principium subiectivum est intellectus per gratiam essentialiter ad supernaturalitatem elevatus. Nihilominus scientia fidei non modo ratione obiecti, sed etiam subiecti est *altior quam scientia profana*. Etenim hic intellectus fide illuminatur, iuvatur, pervaditur, sicut materia formā, et intime ei coniungitur, sicut B. M. V. Spiritui s. in Salvatore concipiendo (Scheeben). Ideo est magnae dignitatis, prout patet ex laudibus sapientiae in Sapientialibus V. T.-i; et certitudo quam parit, etsi non attingat ad dignitatem assensus fidei, ut assensus theologicus eo ipso est altior quam assensus philosophicus.

2. Vis et ratio. — 1. Scientia fidei etsi singulis non sit necessaria, solum Ecclesiae (§ 6, 3), *multum* tamen *utilitatis affert* etiam *fidei* singulorum ut apparet ex obiectis scientiae fidei (supra n. 1). At quantumvis augeat iuvetque intellectum mysteriorum, nunquam tamen ea ad evidentiam internam vehit; πίστις *nunquam fit* γνῶσις, prout voluit *rationalismus theologicus:* gnostici nomine gnosīs doctrinam quandam esotericam a deposito fidei longe aliam fingentes; item Abaelardus, nuper A. Günther, nunc theosophi. Mitius etsi non rectius sentiebat post Lullum Raymundus Sabundus (Theologia naturalis cca a. 1435), qui etsi mysteriis evidentiam

internam noluit afferre, rationes tamen philosophicas inveniri posse putavit, quibus mysterium stricte demonstretur. Falso eadem opinio a quibusdam affingebatur Augustino, Anselmo, Richardo Victorino, Henrico Gandavensi.

2. Scientia fidei *utilis est etiam doctrinis profanis.* Ex veritate catholica alia est dicio scientiae profanae, alia fidei. *Ecclesia damnavit fideismum* (traditionalismum ; cf. § 22), qui negavit esse etiam aliam atque per fidem veram scientiam ; damnavit etiam *rationalismum* qui nullum relinquit fidei propriam dicionem (Syll. 4; Vat 3 c. 2 fid). At quoniam finis supernaturalis omnes obligat et *ordo supernaturalis omnem pervadit ordinem naturalem,* humanae rationi non licet, nullo prorsus Dei eiusque revelationis respectu habito, sibi ipsam in omnibus legem esse (Syll. 3); semper enim et in omnibus subdita manet Deo, etiam revelanti. Ergo negative non habet ius contradicendi fidei, alioqui enim vel in rationalismum vel in duplicis veritatis ambages incidet ; positive vero tenetur ad normam fidei dirigi in iis quae sunt utrique communia, imprimis in metaphysicis et ethicis. Idque non absque suo vero emolumento : fide et scientia fidei docetur vitare vias vanas et perversas ; deinde multa investigationis incitamenta accipit v. g. in quaestionibus metaphysicis entis, substantiae, naturae, personae etc. Denique quum scientia fidei omnia sub ratione Dei consideret, multum luminis ac efficaciae affert quibusvis disquisitionibus eruditis, quarum est omnium principia altissima scrutari.

3. *Requisita* ad scientiam fidei feliciter colendam sunt : 1. *Fides* firma et acuta *mens ;* quomodo enim aliter «intellectus» «fidei», omnium subtilissimus progignatur? 2. *Animus divinis propinquus* et affinis : *dilectio Dei* (Eph 3, 14 ss), *spiritalitas* mentis : «Quae enim loquimur, non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes. Animalis autem homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei . . . Spiritualis autem iudicat omnia . . . Nos autem sensum Christi habemus» 1 Cor 2 ; animi *puritas:* «Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis» Sap 1 ; et vera *humilitas:* «Si superbia non esset, non essent haeretici neque schismatici» (Aug. Vera rel. 25). 3. Solida *fontium et regulae fidei cognitio* ac peritia sanae *philosophiae.* Testatur historia non quamcumque philosophiam esse aptam, quae ancilla fidei et *ancilla theologiae* fiat, sed eam tantum, quae veterum optimos, Platonem inquam et Aristotelem christianorum philosophorum principibus, Augustino et Thoma, augens atque perficiens philosophiam quandam perennem inaugurat.

3. Progressus dogmaticus.

Ille fidei intellectus, cuius subiectum non est unus alterve theologus, sed Ecclesia Christi, peculiari Spiritus s. illuminatione et directione fruens (ex illa Christi d. promissione : «Quum autem venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem» Jn 16), est causa proxima profectus istius in deposito fidei intellegendo, exponendo, applicando, quem nostri nomine evolutionis dogmatum insigniunt. Adversus obfuscationes et depravationes huius temporis veritas catholica in hac re satis difficili his statuitur :

THES. 1. **Nulla prorsus existit evolutio dogmatum sensu mutationis substantialis.** *De fide* ex Vat. (3 c. 3 fid. rat.) : «*Si qu. d. fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo quem intellexit et intellegit Ecclesia, a. s.*»

Thesi *enuntiatur* nullam fieri dogmatum mutationem substantialem extensive, seu depositum fidei divino-apostolicum Ecclesiae commissum neque unquam augendum neque minuendum esse ; non intensive, seu

dogmata nunquam acceptura esse sensum alium ab eo quem olim et nunc in propositione Ecclesiae habent. Thesis *est consecutio* duorum dogmatum : 1. Revelatio a Christo facta et apostolis tradita est absoluta, non augenda vel perficienda (§ 14); 2. Ecclesia indefectibiliter et infallibiliter custodit atque servat depositum fidei (§ 83). Tunc enim depositum augeretur vel minueretur, si Deus novam post apostolos revelationem daret ; et tunc sensus dogmatum mutaretur, si vel revelatio non contineret absolutam veritatem, vel propositio Ecclesiae non esset par revelatis percipiendis et exhibendis.

Et revera qui *thesim negant*, vel revelationem, vel Ecclesiae indefectibilitatem, vel utramque infitiantur aut saltem depravant. Et sunt praeter rationalistas revelationem et dogma penitus negantes

1. *Theosophi* somniantes revelationem evangelicam ex aliis religionibus, imprimis orientalibus (indorum praesertim) esse complendam et «altiore sensu» imbuendam. — Est syncretismus repugnans perfectioni absolutae revelationis evangelicae (§ 14), etsi ficta specie gnosis subtilioris ignotos fallat.

2. *Protestantes liberales* (Ritschl, Harnack, Sabatier) docent a Christo nulla «dogmata» esse proposita seu doctrinas assensum intellectualem poscentes. Prima dogmata societas christiana agente hellenismo, imprimis philosophia graeca, instante gnosticismo («gnosi» se prae christiana religione commendanti) constituit, et igitur sunt depravatio priscae religionis evangelicae. *Modernistae* eo tantum ab istis differunt, quod dogmata expressionem symbolicam experientiae religiosae alicuius generationis christianae relative veram (utique progressu superandam) habent, ergo non depravationem. — Quod multiplici ex capite est falsum : *a)* Nititur dogmatis negativis theologiae protestantium liberalium de non-existentia revelationis supernaturalis et de indole irrationali experientiae religiosae. *b)* Gratis omnino asserit a Christo nulla dogmata esse data (§ 75, 2). *c)* Fallitur, quum autumat simplicitati evangelicae obesse evolutionem genuinam dogmaticam ; quasivero simplicitas seminis impedimentum inferat evolutioni arboris ! Perperam etiam opinatur verum esse progressum, si recedatur (ut ipsi cum Harnack : Wesen des Christentums sibi fingunt) ad priscum statum vitae et mentis religiosae.

3. *Günther* censuit in deposito fidei paucissimas tantum veritates fuisse quasi involutas, e quo ope philosophiae labente tempore christiani totam dogmatum summam evolvebant, pro istorum temporum scientia veram, genuina tamen philosophia (güntheriana !) sensu altiore exponendam. — Est hic rationalismus theologicus, qui insuper falso opinatur depositum fidei paucissima tantum dogmata continuisse. Contrarium per singula cursu dogmatico demonstratur.

THES. 2. **Existit in Ecclesia verus et assiduus profectus dogmaticus substantiam dogmatum non immutans.** *Certum.*

Adversantur graeci orthodoxi, qui evolutionem dogmaticam septem conciliis oecumenicis orientalibus absolutam esse autumant. Item protestantes veteres et veteri-catholici (Vaticanum negantes), qui evolutionem dogmatum ad symbolum Apostolicum, Nicaenum et Athanasianum restringunt. Adversus quos *Vat.* (3 cp 4) cum Vincentio Lerin. (Com. 28) docet : «*Crescat igitur . . . et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum et saeculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo dumtaxat genere, in eodem sc. dogmate, eodem sensu eademque sententia*».

DEMONSTR. **Scr.** *Christus* d. regnum suum, cuius pars essentialis

est doctrina evangelica (§ 10, 1 ; 78. 79), *similem* ponit *grano sinapis*, quod «quum seminatum fuerit, ascendit et fit maius omnibus oleribus et facit ramos magnos» Mc 4. Et revera depositum apostolicum iam primo obtutu multa primis veluti lineis designat, quae uberiorem expositionem et explicationem appellant. Insuper ex rei natura ita revelationem exhibet, ut explicite non habeat rationem errorum et exigentiarum posteriorum; ergo hac ex parte quoque evolutionem admittit. *Apostolus* identidem hortatur fideles, ut crescant in fide (1 Cor 2, 6-16 ; 3, 12 ; Phil 1, 9 ; Eph 5, 9-14 etc), et ipse exemplum dedit doctrinam evangelicam novis terminis aptis proponendo, uti sunt : χάρις, χάρισμα, δικαιοσύνη etc. — **Tr.** Est doctrina patrum unanimis, non omnia credenda statim ab initio pari claritate et explicatione esse determinata. Iam *Tertul.* (Praescr. 13) et *Orig.* (Princ. praef. 3) distinguunt ea quae a magisterio Ecclesiae determinate sunt proposita a non propositis, industria et studio proprio eruendis. *Augustino* adversus pelagianos pugnanti familiare est excusare patres, qui securius vel etiam minus recte loquebantur in nondum definitis (Serm. 294 ; Civ. XVI 2, 1 ; Iulian. I 6, 22). Argumentum minutum toto theologiae dogmaticae cursu paratur.

R. *Sapientia* divina etiam in revelatione proponenda «disponit omnia suaviter» Sap 8 ; quaedam iam initio diserte proponit, ut iis praelucentibus veritatis et salutis via non ambigatur ; alia vero implicite tantum vel primis quasi lineis designat, ut animus noster in nova et ignota tendens etiam in supernaturalibus salubriter exerceatur ; potissimum autem, ut mens mysteriis gradatim consuescat : «*Lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis*» 1 Cor 3.

Natura profectus dogmatici. — 1. *Obiectum.* — Quum evolutio non possit attingere ad substantiam dogmatum, peripherica perstringat oportet, quae sunt *a) quoad dogmata:* α) Ecclesia clarius et distinctius determinat ea quae ante magis in confuso et in communi erant posita ; v. g. veram divinitatem et veram humanitatem Christi eo, quod geminam eius consubstantialitatem in Chalcedonensi asseruit ; vel plane, quae antea quasi in praxi Ecclesiae latebant, ea determinat et patefacit, uti paedobaptismi dogma (cf. Lerin 22. 23). β) Explicat, quod ante erat implicitum (v. g. duas voluntates Christi) ; specificat, quod ante genere tantum erant positum ; v. g. immaculatam conceptionem, quae implicita erat in sanctitate plena Mariae V. *b) Quoad dogmatis annexa:* propositio magis determinata fit conclusionum theologicarum, definitio factorum dogmaticorum, veritatum philosophicarum dogmatice necessariarum.

2. *Causae.* — *Remota* est Spiritus s. docens Ecclesiam omnem veritatem Jn 16. *Proximae* sunt primum haereses et errores, quae Ecclesiam provocant ad veritatem catholicam impugnatam clarius distinctiusque proponendam et exponendam, ut iam Aug. (Civ XVI 2, 1 ; Gen. Man. I 1, 2 ; in Ps 54, 22) recte monet ; deinde zelus et pietas fidelium, institutorum, ordinum, quos zelus domus Domini impellit, ut talentis acceptis pro regno Dei faenerentur. Ideo ingenium et singulorum et gentium et epocharum quoque suas partes in dogmate splendidius enucleando habent.

3. *Phases.* — *Prima* est possessionis pacificae, quando veritas quaesita in deposito fidei involuta custoditur, nec impugnatur ; quum saepe

testimonia traditionis explicita vix inveniuntur. *Secunda* est quasi fermentationis: pugnarum et turbarum, quum vel ab haereticis impugnatur, vel a fidelibus diligentius disputatur; quum superelationibus haereticorum et nimietatibus theologorum obruitur; at simul etiam apparet conformitas veritatis quaesitae cum deposito fidei et traditione. Testimonia ergo ambigua et dubia istius aetatis maturescentis revocanda sunt ad trutinam aetatis iam maturatae. *Tertia* est maturitatis, quum veritas in utramque partem antea disputata magisterio Ecclesiae vel ordinario vel sollemni determinate proponitur, a fidelibus accipitur et colitur; est nova possessionis pacificae aera, at longe uberioris quam fuit prima. Istas dogmatum vias et vicissitudines inquirere et statuere est historiae dogmatum.

4. *Forma.* — Quum profectus dogmaticus essentialiter nihil novi afferat neque extensive, neque intensive, quaeritur, *quaenam sit distinctius habitudo dogmatis evoluti ad involutum.* Docente Lerin. (Com. 23) habeatur in Ecclesia Christi profectus religionis, «ita tamen, ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsum unaquaeque res amplificetur; ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur». Quomodo id iam accuratius accipiendum sit, de hac re *plures* sunt catholicorum *sententiae:*

1. Ipse *Lerinensis* docet dogma explicitum ita se habere ad implicitum sicut vir adultus ad infantem, arbor ad surculum, surculus ad germen. Ex quo efficitur principium maximi momenti pro historia dogmatum: Sicut viri ingenium rectius cognoscitur et iudicatur ex adulescentia quam ex infantia, ita etiam testimonia traditionis in infantia quasi dogmatis prolata (phasi prima et secunda supra appellata) rectius et iustius ex aetate adulescenti seu maturitatis intelleguntur et iudicantur; et igitur iniuriam facit veritati, qui his neglectis methodo historica mere profana patribus et generatim traditioni incumbit (cf. iurament. antimodern. *D* 2146).

2. *Möhler* (Symbolik 1834) et *Newman* (On the development of christian doctrine 1845 adhuc anglic.; editio altera multum emendata cath. 1878) ponunt dogma esse veluti ideam viridem ac validam, quae ex omnibus ei assiduo advenientibus heterogenea respuit, homogenea suscipit et assimilat, retinens nec immutans «typum» originalem.

3. *Franzelin* opinatur veritatem revelatam pedetentim evolvere veritates accidentales in ea contentas, sicut species in genere, individuum in specie continetur; profectu ergo logico dogma evolvi censet.

DIACRISIS. His analogiis profectus dogmaticus aliquantum illustratur, at non exhauritur; est enim sicut matrix eius, revelatio et Ecclesia, mysterium, analogice non proprie apprehendendum.

§ 20. Theologia.

Statuuntur theologiae 1. notio, 2. genera, 3. methodus, 4. instrumenta.

1. Notio. — Theologia est scientia fidei erudita, seu est intellectus fidei in doctrinam dispositus.

Ex qua definitione *obiectum formale quod* theologiae est Deus; omnia enim, de quibus disserit, ea quoque quae non directe ad Deum spectant, «sub ratione Dei» (Thom.) considerat. *Obiectum materiale* est revelabile. Revelatio est scientia ipsius Dei: theologia archetypa hominibus communicata, immediate dogmatis ab Ecclesia proposita. Scientia fidei deinde ut theologia ectypa dogmata fidei e fontibus fidei probat et undique illustrat (§ 19, 1), imprimis conclusiones theologicas et theoreticas et practicas ex

dogmatis tamquam principiis deducit omnemque scientiam fidei in ordinem eruditum digerit. *Obiectum formale quo* est verum demonstrabile ex revelatione. Quam ob causam theologia dogmatica deficit protestantibus liberalibus et modernistis, quippe qui germanam revelationis notionem adulterent, et ideo, quum plurimum, psychologice vel historice tantummodo de revelatis disserere possunt. *Subiectum* (formale) est intellectus fide illuminatus. Per fidem intellectus sapientiā ipsius Dei instruitur, ideoque ars sacra est «velut quaedam impressio divinae scientiae» (I 1, 3 ad 2). — Ex quo efficitur infidelem non posse theologum agere, quippe cui desit ὄργανον ληπτικόν, quo revelationem prehendat.

COROLL. 1. Theologia differt tum a *theologia naturali* (theodicea), quae ut pars philosophiae non est scientia fidei, tum a «*doctrina religiosa*» (Religionswissenschaft, sciences réligieuses, vallástudomány), quae vel historice vel psychologice vel philosophice, non tamen intellectu fide illuminato tractat religiosa, fors etiam revelata.

2. Quum theologia catholica universa sibi vindicet obiectum formale quo dogmaticum, cuius nulla alia doctrina partem habet, est ars *sui generis*, digna prorsus cui sua iura in litterarum civitate serventur.

2. Genera. — Disciplinae eruditae omnes ab obiecto formali specificantur ; et quum totius theologiae obiectum formale et quod et quo unum sit, quo ab omnibus aliis disciplinis distinguitur, *omnis theologia est unica doctrina.* Si labente tempore plura genera sunt orta, quae etiamnum exercentur, causa est partim obiectum materiale per se divisibile (quum obiectum formale essentialiter sit indivisibile), partim vero praxis et munerum et operum distributionem exigens.

Quum post prisca tempora, homiliis, apologiis, monographiis veritatem catholicam propugnantia *patres* veritates revelatas ordine tractandas susciperent, uti *Origenes :* Περὶ ἀρχῶν ; *Lactantius :* Divinae institutiones ; *Cyrillus Hier.:* Catecheses ; *Nyssenus:* Catechesis magna ; *August.:* Enchiridium ad Laurentium de fide, spe, caritate ; *Theodoretus Cyrensis:* Epitome divinorum decretorum, tunc *theologiae* nomine venit «de Divinitate ratio seu sermo» (Aug. Civ. VIII 1) ; cetera vero, imprimis incarnatio et redemptio *oeconomiae* titulo tractabantur. Quum deinde s. 13. Summis theologicis primum complexio omnis revelationis ordine et methodo digereretur, ius canonicum et quaestiones practicae sacramenti paenitentiae («summae paenitentiales», quarum celeberrima est Raymundi de Pennafort † 1275) seorsim agebantur, et sic inducebatur separatio theologiae practicae nomine *theologiae moralis* a theoretica (cf. Thomae II. partem Summae, quae est theologia moralis omnibus numeris absoluta). S. 16. munus polemicum adversus novatores fuit causa praecipua theologiae *fundamentalis* instituendae (M. Cano : Loci theologici). Eadem necessitas polemica, favente sensu historico et critico litteris humanioribus renascentibus, genuit theologiam *patristicam, biblicam, historicam.* Ex hoc tempore tractatio magis positiva, seu historica veritatum revelatarum theoreticarum nomen theologiae dogmaticae accepit, dum speculativa nomine theologiae scholasticae venit. S. 18. demum, praesertim postquam St. *Rautenstrauch* abbas braunauensis a. 1776 rationem studiorum theologicorum pro imperio Austriaco ediderat, theologia in disciplinas etiamnum vigentes est discerpta : biblicum, historia ecclesiastica, apologetica, dogmatica, moralis, ius canonicum, pastoralis ; quibus omnibus in eodem numero positis indoles dogmatica totius theologiae et unitas obiecti formalis haud parum obfuscabatur. Alibi gentium plerumquae tractatio vetus scholastica vigebat. Encyclica «*Deus scientiarum Dominus*» 1931 a Pio XI. edita aera iam felicior theologiae redeuntis ad suum obiectum formale in omnibus instauratur.

Genuina enim disciplinarum theologicarum haec est *necessitudo:* Dogmatica ex rei natura et teste historia non est disciplina theologica quaedam, eiusdem tenoris atque ceterae, sed est *fons et centrum et finis omnium*, quibus commune est cum ea obiectum formale (quod et quo) totum atque etiam materiale princeps, dogmata nimirum et conclusiones theologicae, quas singulae disciplinae theologicae ut theologicae pro principiis habent. Atque ita *apologetica, studium biblicum et historia ecclesiastica* sunt tanquam propylaea theoretica actum necnon fontes fidei illustrantia, *theologia moralis, ius canonicum et theologia pastoralis* vero tamquam exaedificatio practica theologiae dogmaticae habentur.

3. Methodus. — Quum methodi sit obiectum materiale ab ipsis fontibus petere (heuristica), petitum ad trutinam obiecti formalis quo revocare, seu probare (epideictica), et probata in ordinem digerere (systematica), methodi theologiae dogmaticae munus est

1. *Heuristice:* primum principia seu dogmata e propositione Ecclesiae authentica (§ 17) eruere ; eruta deinde ad rationem consuetudinis loquendi tunc vigentis et errorum oppositorum interpretari ; tum e dogmatis ita statutis conclusiones colligere ; denique omnium propositorum gradum theologicum definire.

2. *Epideictice :* comprobare et principia (dogmata) e fontibus revelationis, et conclusiones e principiis. *Loci* igitur *dogmatici sunt auctoritas et ratio.* — *Auctoritas* geminam ostendit faciem : Scripturam et traditionem. *Argumentationis genus biblicum* vel hoc modo absolvitur, ut unus alterve locus gravior afferatur, cui deinde utpote testimonio Spiritus s. plena vis probandi convenit; vel potius, quod tempus ipsum poscit, ita ut omnis Scriptura ad veritatem undequaque fulciendam invocetur. In utraque tamen re praeceptis interpretationis catholicae diligenter obtemperandum est (§ 15). *Argumentatio ex traditione* non paucissimis dictis Patrum prolatis perficitur, sed ostensione consensus (§ 16). Propter infestationes eorum qui ex rationalistis historiographiam dogmatum exercent, diligentiore cura rimanda est traditio trium priorum saeculorum et documentaria et, quoad ejus fieri potest, monumentalis. Haec probandi via plerumque progressive percurritur ; nonnunquam autem, praesertim ubi traditio prisca minus clara est, regressive : argumento praescriptions (cf. § 85, 2). — *Rationis est* 1) conclusiones theologicas et theoreticas et practicas conficere ; 2) ea quae sunt revelata formaliter tantum, ex principiis rationis demonstrare ; 3) *mysteria* stricte dicta ad normam catholicam scientiae speculativae fidei (§ 19, 1) undique illustrare.

3. *Systematice:* totam materiam in ordinem redigere. Quod non potest fieri ita, ut omnia asserta de principio formali quod deducantur ; revelata enim omnia et singula ex libera Dei voluntate proveniunt, ergo non possunt apriori statui ; sed ita, ut ad illud reducantur. Idque s. Thoma duce hunc in modum : Theologia Deum potissimum tractat, cetera ea parte quatenus referuntur ad Deum ; quod fit duobus modis ; est enim rerum ortus a Deo et reditus ad Deum. Quapropter *theologia dogmatica disserit* I. de Deo ; II. de ortu rerum ex Deo : de creatione

nec non de elevatione supernaturali et de lapsu creaturarum rationalium; III. de reditu rerum ad Deum : *1.* de sanctificatione creaturarum (de redemptione et de gratia) ; *2.* de mediis sanctificationis : *a)* de Ecclesia ; *b)* de sacramentis ; *3.* de domum reditione (vel aeterno exilio) entium rationalium in novissimis.

COROLL. *Dogmatica est vera doctrina eaque praestantissima.* Est *vera* doctrina : utitur enim eadem omnino methodo, atque disciplinae profanae, et sicut illae, veritati ipsa quoque studet ex animo. Si obiciatur principia dogmatica maximam partem evidentia carere (esse mysteria), reponendum est : In mysteriis desiderari quidem evidentiam internam, sed non externam; revelata enim sunt a Veritate absoluta, ergo prudenter teneri possunt. Evidentia interna non raro deest etiam principiis et assertis litterarum profanarum, quin verae artis nota eis denegetur. Si autem opponatur libertatem inquirendi arceri Ecclesiae magisterio, responde : Omnis disciplina cohibetur praeceptis artis logicae et veritatibus mente iam comprehensis ; nec aliter dogmatica (cf. § 17, 2). — Dogmatica est doctrina una omnium *praestantissima*, quod attinet ad originem et obiectum et finem ; etenim dicente Augustino «theologia Deum docet, a Deo docetur et ad Deum ducit» (Civ. VIII 1 ; cf. Bonaventura : Reductio artium ad theologiam in : Tria opuscula theologica, ed. Quaracchi.)

ADDIT. *Methodus theologiae fundamentalis.* — Theologia fundamentalis his temporibus *geminam faciem* praebet : A primordio est tractatus quidam generalior dogmaticus disserens de principiis theologicis, imprimis de locis theologicis (quorum praecipui sunt fontes et regula fidei). Est ergo quasi prooemium theologiae dogmaticae, methodoque dogmatica colitur et plerumque nomen theologiae *dogmaticae generalis* (adversus «specialem») vel fundamentalis sortita est. S. 19. invaluit nomen et munus et methodus theologiae *apologeticae*, cui est propositum quasi propylaea theologiae construere, quaeque demonstratione religionis (Deus, anima, religio = praembula fidei), demonstratione christiana et catholica absolvitur ita ut credibilitatem et credenditatem doctrinae ab Ecclesia propositae «philosophice et historice» comprobet. Quum ista inde ab exeunte s. 19. praesertim propter molem doctrinarum et quaestionum undique congestarum et propter ambiguitates methodi ab immanentistis (§ 6, 3) haud parum auctas peritis displicere caepit, multum praesertim in methodum necnon in obiectum et formale et materiale apologeticae disputatum est. Ad mentem A. Schmid, Gardeil, Poulpiquet, Garrigou-Lagrange, Rabeau, Eschweiler, K. Adam dicendum videtur :

Apologeticae est probare fidem qua credimus, esse rationabile obsequium. *Principium* ergo *subiectivum* est, sicut omnis theologiae, intellectus fide illuminatus, *obiectum formale quod:* credibile ex revelatione, obiectum *formale quo:* demonstrabile τοῦ credibilis, obiectum *materiale:* criteria revelationis earumque applicatio. Et sic apologetica est pars theologiae (theologia fundamentalis) eo sensu, quod methodo theologica, imprimis loco rationis utendo, *fidelibus comprobat credibilitatem et credenditatem propositionis Ecclesiae.* Per se infidelibus quoque comprobat rationabilitatem fidei catholicae ; fidei generandae per accidens autem multae et aliae sunt causae occasionales (efficiens principalis enim semper est gratia), ita ut multa oriantur genera *apologeticae accidentalis*, in quibus etiam «apologetica immanentiae». Ab apologetica, quae sensu exposito est theologia fundamentalis, distinguendae sunt *apologiae*, quibus refel-

luntur difficultates contra quamcunque doctrinam, institutionem, agendi rationem Ecclesiae et nunc et olim existentis directae, quarum methodus est mixta, et quae secundum temporum, hominum, conditionum varietates multum sunt varia.

4. Instrumenta. — 1. *Propositionis ecclesiasticae* instrumenta commendantur haec: *a) Pro symbolis.* Ph. *Schaff:* Bibliotheca symbolica Ecclesiae universalis 3 vol. [4]1884; C. *du Plessis d'Argentré:* Collectio de novis erroribus qui ab initio s. VII. usque ad a. 1713 in Ecclesia proscripti sunt et notati 3 vol. 1724; J. A. *Möhler:* Symbolik. Darstellung der Gegensätze der Katholiken und Protestanten 1832 et pluries. *b) Pro conciliis.* J. *Harduin:* Acta conciliorum et epistolae decretales ac constitutiones ss. Pontificum ab a. 34 usque ad a. 1714. 12 vol. 1715; J. D. *Mansi:* Sacrorum conciliorum nova et amplissima collectio (usque ad a. 1439) 31 vol. 1759—98; *Collectio Lacensis* (ab a. 1682) 7 vol. 1870—90; *Concilium Trid.* curis societatis Goerresianae ab a. 1901; C. J. E. *Schwarz:* Acta conciliorum (priscae Eccl.) ab a. 1914; C. J. *Hefele-H. Leclercq:* Histoire des Concils vol. 24 ab a. 1907. *c)* Pro doctrinis pontificiis: *Bullarium Romanum* ed. C. Coquelines, aliis alia addentibus; *Regesta Pontificum* ed. Ph. Jaffé. — Haec omnia pro usu quotidiano theologorum optime excerpsit et collegit *Denzinger:* Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum de rebus fidei et morum ed. Herder (in hoc Summario: *D*).

2. *Scripturae: Vulgata* ed. M. Hetzenauer; *N. T.* graece et lat. ed. A. Merk. *Biblia Hebr.* ed. Kittel; *Septuaginta* ed. H. B. Swete; *Commentaria:* N. T. cura F. *Tillmann*, et V. T. cura F. *Feldmann* et H. *Herkenne* (Schwann Düsseldorf); *Cornely*, Knabenbauer etc.: Cursus s. Scr.; *Vigouroux:* Dictionnaire de la Bible. Ceterum cf. Introductiones biblicas. — L. *Fonck:* Documenta ad P. Commissionem de re biblica spectantia 1915.

3. *Traditionis documentariae: Migne:* Patrologiae cursus completus; series latina 218 vol. usque ad Innocent. III (1216); series graeca 161 vol. usque ad 1439; quaedam diligentius praestat Corpus scriptorum ecclesiasticorum latinorum (ed. *academia Vindobonensis)*, pleraque Die griechischen christlichen Schriftsteller der ersten drei Jahrhunderte (ed. ac. *Berolinensis); Assemani:* Bibliotheca orientalis 4 vol. 1719—28; *Graffin et Nau:* Patrologia orientalis ab a. 1903. Pro usu faciliore theologorum H. *Hurter:* ss. Patrum opuscula selecta (graeca latine tantum) ab a. 1864; opera omnia maioris momenti versione germanica cum introductionibus optimis exhibet Bardenhewer: *Bibliothek der Kirchenväter* (ed. Kösel) plus quam 70 vol. ab a. 1911. Textus dogmatice maxime necessarios utiliter praebet: M. J. *Rouet de Journel:* Enchiridion patristicum (Herder). Theologos plerosque s. 17.-i cca a. 1870 ed. Vivès Parisiis; Theologorum franciscanorum editionem optimam parant patres FM ad Aquas Claras *(Quaracchi;* hucusque: Bonaventurae, Halensis). Cf. *Bardenhewer:* Geschichte der altkirchlichen Litteratur 5 vol. ab an. 1912; *Rauschen:* Grundrisz der Patrologie (manuale optimum). Pro historia dogmatum: praeter opera *Petavii et Thomassini Tixeront:* Histoire des dogmes 3 vol. [5]1909 ss.; *Schwane:* Dogmengeschichte 4 vol. [2]1892 ss.

Traditionis monumentalis: De *Rossi:* Inscriptiones christianae urbis Romae 1857. 1887; Th. *Ruinart:* Acta primorum martyrum sincera 1689; E. *Renaudot:* Collectio liturgiarum orientalium 2 vol. 1716; *Martène:* De antiquis Ecclesiae ritibus 1700—02; I. A. *Assemani:* Codex liturgicus Ecclesiae universae 13 vol. 1749—66; *Denzinger:* Ritus orientalium 2 vol. 1863 s.; F. *Cabrol:* Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie ab a. 1903; *Kellner:* Heortologie [3]1906; F. *Piper:* Einleitung in die monumentale Theologie 1867.

4. *Philosophiae:* Thom : in Arist.; Summa theol. et contra gentes ; Quaestiones disputatae ; *Ioannes a s. Thoma:* Cursus philosophicus 1638 ; *Suarez:* Disputationes metaphysicae 1597 ; *Kleutgen:* Philosophie der Vorzeit 2 vol. 1878 ; Cours supérieur de philosophie, Traité élémentaire de phil. de *Louvain ;* de aliis cf. *Schütz* A. : A bölcselet elemei Szent Tamás alapján 1927.

5. *Theologiae* generatim : *Wetzer-Welte :* Kirchenlexikon 12 vol. ab a. 1882 ; *Buchberger:* Lexikon für Theologie u. Kirche 10 vol. ab a. 1930 ; *Vacandard-Mangenot:* Dictionnaire de théologie catholique ab a. 1909 ; *D'Alès:* Dictionnaire apologétique de la foi catholique 1909 ; *Realenzyklopädie* für protestantische Theologie u. Kirche 24 vol. ed. 3. ab a. 1896 (protestantium liberalium) ; *Religion in Geschichte u. Gegenwart* 5 vol. ed. 2. ab a. 1927 (scholae protestanticae religioni-historicae). *Periodica :* Theologie u. Glaube, Paderborn ; Scholastik, Freiburg ; Divus Thomas, Romae ; Gregorianum, Angelicum, Antonianum, Romae ; Revue de philosophie et théologie, Paris ; Revue Thomiste, Soulchoir, Belgique ; Ciencia tomistica, Madrid ; Theologia, Budapest.

6. *Systematis* theologiae : *Anselmus, Halensis, Bonaventura, Thomas, Scotus; Bellarminus, Suarez, Lessius, Bañez, Ripalda, Ruiz, Salmanticenses; Gotti, Gonet, Billuart, Berti, Wirceburgenses, Frassen* (de quibus cf. § 21, 3). — *Kleutgen:* Theologie der Vorzeit 5 vol. 1867 ss. ; *Franzelin, Billot, d. Palmieri, G. van Noort* tractatus theologici ; J. M. *Scheeben:* Mysterien des Christentums 1864 et pluries ; Handbuch der katholischen Dogmatik 3 vol. ab a. 1873 ; F. *Diekamp:* Kath. Dogm. 3 vol. [5]1920 ss. (latine : Theologiae dogm. manuale 4 vol. 1933 ss.) ; B. *Bartmann :* Lehrb. d. Dogm. 2 vol. [8]1932 ; *Pohle-Gierens :* id. 3 vol. [7]1931 ss. ; L. *Lercher:* Institutiones theol. dogm. 4 vol. [2]1933 ss. ; *A. Tanquerey:* Synopsis th. dogm. [22]1931 ; L. *Janssens:* Summa theol. 9 vol. ab a. 1890 ; A. *Lépicier:* Iustitutiones theol. speculativae 24 vol. 1902—27 ; *É. Hugon:* Tract. dogm. 4 vol. [6]1931 ; F. *Hettinger:* Fundamentaltheologie [3]1923 ; P. *Schanz;* Apologie des Christentums 3 vol. [4]1910 ss. ; C. *Gutberlet:* Lehrb. d. Apologetik [3]1903 etc.

Tironi doctrinae sacrae semper *prae manibus* debent esse *Manuale dogmaticum, Denzinger* Enchiridion, *Vulgata,* Catechismus Tridentinus, *Thomae Summa* theologica et Contra gentes ; dein s. *Augustini* Tractatus in Ioannem et Enarrationes in Psalmos, s. *Bonaventurae* Tria opuscula (Breviloqu., Itinerar., Reductio artium), *Lessius* De perfectionibus moribusque divinis, *Scheeben* Mysterien des Christentums, utpote quibus *theologia mentis et cordis* sacerdotibus tam necessaria mirum quantum commendatur.

§ 21. Historia theologiae.

Statuitur historia theologiae 1. patrum, 2. scholasticorum, 3. posttridentina.

Historia theologiae tribus aetatibus ita absolvitur, ut quaevis aetas *saeculo theologiae florentis* ornetur, ubi vita catholica virente, evolutione dogmatica conciliis etiam feliciter nutrita, ex peculiari Dei providentia plurimi viri eximii ingenii catholicae veritati undique illustrandae incumbebant. Quodvis saeculum florens aerā quasi verna theologiae crescentis et invalescentis praeparatur, et epochā sacrae doctrinae marcescentis exitum sumit.

1. Theologia patrum. — Est ista *aetas magnarum haeresum,* in quibus repellendis patres *gradatim materiam totius theologiae* parabant :

adversus paganos et gnosticos doctrinam de Deo creatore et consummatore, adversus arianos trinitologiam, adversus nestorianos et monophysitas christologiam, adversus pelagianos charitologiam, adversus donatistas ecclesiologiam et mystologiam (doctrinam de sacramentis); id tamen non systematice, sed monographice, ampla Scripturae exegesi, at non sine ope philosophiae primum stoicae, mox a s. 4. platonicae et neoplatonicae, imo aliquantulum et aristotelicae. Qui post apologetas primordium theologiae fecit, est *Origenes* opere Περὶ ἀρχῶν; excellentissimi patres theologi sunt *Athanasius*, *Cyrillus Alex.*, *Nyssenus*, et omnium facile princeps *Augustinus*. *Patria* theologiae patristicae est Imperium, *cultores* graeci, latini, syri; *genera litteraria* praecipua epistulae, sermones, homiliae, commentarii, tractatus.

1. Epocha theologiae patristicae **nascentis** usque ad a. **325** (Nicaen.).

a) Aera patrum apostolicorum — 120: *Didache:* Διδαχὴ τῶν δώδεκα ἀποστόλων cca 100; imitationes sunt *Didascalia* cca 300 et *Ordines ecclesiastici* (aegyptius, syrus etc.), *Constitutiones apostolicae* cca 400; omnia haec materiis ex parte apostolicis referta; *Clemens Rom.* Ep. ad Cor. cca 96; ep. Clementis quae dicitur II., est homilia prima christiana cca 150; *Ignatius* Antiochenus † 107: septem ep. (Eph, Magnes, Trall, Rom, Philadelph, Smyrn, Polycarp); *Polycarpus* † 155: ad Phil; *Papias* discipulus Ioannis apostoli: fragmenta; Epistula *Barnabae* cca 130.

b) Aera apologetarum et polemistarum 120—200. — *Apologetae* sermonibus arte rhetorica digestis adversus paganos veritatem christianam defendunt et theoria de λόγῳ ἐνδιαθέτῳ et προφορικῷ primordia speculationis christianae faciunt. *Aristides* cca 130; prob. ipse est auctor ep. ad Diognetum; *Iustinus:* duae apol. cca 150, Dialogus cum Tryphone; *Athenagoras:* Legatio pro christianis cca 177; De resurrectione mortuorum; *Theophilus* Antioch.: Ad Autolycum 181; *Minutius Felix:* Octavius cca 180, primus latinorum. — *Polemistae sunt Irenaeus* epp. † 202: Adversus haereses et Epideixis; *Hegesippus* cca 180: fragmenta; ex eodem tempore fragm. Muratorianum. — *Ascetica:* Prima *acta martyrum* (Polycarpi, Iustini et 7 sociorum, Scilitanorum 180, Apollonii, Perpetuae et Felicitatis cca 200). — *Apocrypha: Pastor* Hermae cca 150; Odae Salamonis; Protoevangelium Iacobi cca 200. — Epitaphia *Abercii*, Pectorii.

c) Aera *theologiae patristicae incipientis* 200—325. — Orientales: *Alexandrini* sunt magistri scholae catecheticae alex., allegoricae interpretationi Scripturae indulgentes: *Clemens* Alex. † 211 (Protrepticus, Paedagogus, Stromata). **Origenes** † 254/5: Contra Celsum 248; *De principiis* Περὶ ἀρχῶν cca 230 (originalis graeci fragmenta tantum supersunt, Rufini versio latina multa mitigat). Est primum opus theologicum intellectum fidei ex asse quaerens, simul rationalismum theologicum profitens, haud paucos errores spargens (lites origenianae usque ad Constant. II: 553); sectatores sunt *Dionysius Exiguus*, ex asiatis *Gregorius Thaumaturgus:* Expositio fidei 270. *Methodius* † 311: Convivium decem virginum, de resurrectione, omnia ad exemplar dialogorum Platonis.

Occidentales. Ex afris **Tertullianus** (195 christianus, 207 montanista, † 222/3) auctor linguae theologicae latinae, facundior quam verior. Opera praecipua: Apologeticus 197 et eius appendix De testimonio animae; De praescriptione haereticorum cca 200; Advers. Marcionem 207/8; De baptismo 206; De carne Christi (adversus docetas); De anima; Advers. Praxeam; Adv. Hermogenem; De paenitentia 200/6 catholicus; De pudicitia cca 220 montanista; Ad uxorem cca 200; De exhortatione castitatis, de

monogamia montanista. S. *Cyprianus* epp. Carthaginensis † 258: Epistulae, De unitate Ecclesiae, De lapsis, De opere et eleemosyna. Anonymus *De rebaptismate* 256. *Lactantius:* Institutiones divinae 305/10; de opificio Dei, De ira Dei. — Ex romanis *Hippolytus* primus antipapa, post martyr † 235 ultimus romanorum graece scribens plurima opera scripsit plerumque deperdita. Supersunt Philosophumena post 222, De antichristo cca 200. *Novatianus* schismatis auctor: De trinitate 251.

2. Saeculum theologiae patristicae **florentis 325—451** (a Nicaeno ad Chalcedonense). — *a) Alexandrini:* s. **Athanasius** patriarcha alex. † 373: Oratio contra gentes, Oratio de incarnatione Verbi cca 318; Adv. arianos or. quattuor; Epistulae 4 ad Serapionem Thmuitanum; Epistulae paschales. *Didymus Caecus* † 398: De Spiritu s., De Trinitate; Origenis assecla, orthodoxus tamen in trinitologia. S. **Cyrillus Alex.**, patriarcha alex. † 444 theologus subtilissimus, «scholasticus patrum» nestorianorum impugnator: Thesaurus de Trinitate, Scholia de incarn., De recta fide, Anathematismi, Adv. nolentes confiteri s. Virginem esse Deiparam, Quod unus sit Christus etc. Coaevi: *Serapion, Macarius, Synesius.*

b) Tres magni *Cappadoces:* s. *Basilius* epp. Caesariensis † 379: Advers. Eunomium, De Spiritu s., Epistulae (imprimis tres canonicae de paenitentia ad Amphilochium), homiliae quam plurimae, Regulae pro monachis. Amicus s. *Gregorius Nazianzenus* epp. cca † 390: Quinque orationes theologicae, ep. Frater minor Basilii **Gregorius Nyssenus** † post 394: Contra Eunomium, Oratio catechetica, De anima et resurrectione et multa alia sublimia, non tamen penitus immunia ab erroribus Origenis. — Syri sunt Aphraates: Demonstrationes 23 cca 340; s. Ephraem † 373 multis carminibus B. V. Mariae praeco, traditionis testis inconcussus.

c) Antiocheni. Schola catechetica antiochena interpretationem litteralem Scripturae coluit et adversus alexandrinos platonizantes Aristotelem celebrabat. Fundavit eam Lucianus Antioch., discipulus Pauli Samosateni, magister Arii. Plerique ad Nestorium defecerunt, in quibus *Theodorus Mopsuestenus* † 428 «Nestorius ante Nestorium», ceterum exegetarum primus; scripsit etiam De incarnatione, Contra Apollinarem; damnatus a Constant. II. Orthodoxus pater antioch. est s. *Ioannes Chrysostomus* † 407 homiletarum christianorum facile princeps (celeberrimae: in Paulinas, in Mt); De incomprehensibilitate (contra anomaeos), De sacerdotio, Quod Christus sit Deus. Discipulus et amicus *Isidorus Pelusiota:* Epistulae. *Theodoretus Cyrensis* † 458 ultimus magnorum graecorum: Graecarum affectationum curatio, Eranistes (monophysitismus undique suos errores emendicans), Haereticarum fabularum compendium; cuius liber 5. est Epitome divinorum decretorum, quasi prima omnium vera theologia dogmatica systematica.

d) Palaestinenses: Eusebius epp. Caesariensis † 340 in theologicis non omnibus numeris absolutus. Historia Ecclesiastica servat veterum fragmenta maximi momenti; Praeparatio et Demonstratio evangelica; De ecclesiastica theologia (ariani erroris perniciem non perspicit). S. *Cyrillus Hierosolymitanus* patriarcha: Catecheses 348 (24; 5 ultimae mystagogicae de bapt., confirm., euch.). S. *Epiphanius* Salaminus ep. † 403: Ancoratus, Panarium; est orthodoxiae aemulator.

e) S. **Augustinus** (nat. 354; 387 baptisatur, 395 epp. Hipponensis, † 430): *Confessiones* 400, *Retractationes* 426, sunt quasi introductio propria manu in sua opera scripta. — *Philosophica* ante conversionem: De ordine, Soliloquia, De magistro, De libero arbitrio. — Theologica: *De Trinitate* 400-16; *De civitate Dei* 413-26; *Enchiridion*, De fide et symbolo, de symbolo ad catechumenos. — *Polemica:* adversus *manichaeos* (quorum errorem usque ad a. 383 per septem annos erat secutus) De Genesi contra

manichaeos, De moribus Ecclesiae, De vera religione, De utilitate credendi, Ctra Fortunatum, Ctra Faustum 400. Adversus *donatistas:* Psalmus ctra partem Donati, Ctra ep. Parmeniani, De baptismo 400, Ctra litteras Petiliani, Ctra Cresconium, De unico baptismo. Adversus *pelagianos:* De peccatorum meritis et remissione 412, De spiritu et littera 412, De natura et gratia 415, De nuptiis et concupiscentia 420, De anima et eius origine 420, Ctra duas ep. pelagianorum 420, Ctra Iulianum 421, De gratia et libero arbitrio 426, De correptione et gratia 426, Opus imperfectum ctra Iulianum 430. Adversus *semipelagianos:* De praedestinatione sanctorum 428, De dono perseverantiae 429. Plura ctra arianos. — Ex *exegeticis* magni momenti dogmatici sunt : De doctrina christiana 397, *Enarrationes super psalmos*, De consensu evangelistarum 400, *In Ioannis evangelium tractatus* 415—6, De Genesi ad litteram 401—15. — Ex *moralibus:* De agone christiano cca 396, Ctra mendacium cca 410, De bono coniugali 400, De bono viduitatis 414, De opere monachorum cca 400, De catechizandis rudibus 400, De fide et operibus 413, De adulterinis coniugiis 419, De cura pro mortuis gerenda 421. — *Sermones* et *Epistulae* permultae et magni pretii.

Socii Augustini adversus pelagianos sunt : *Marius Mercator:* Commonitorium 431 ; *Paulus Orosius:* Liber apologeticus 416 ; *Prosper Aquitanus* laicus : Responsiones, Liber ad Collatorem 431, Liber sententiarum ex s. Augustino cca 450. Liber anonymus *De vocatione omnium gentium* 450. Adversantur eis *Cassianus:* Collationes patrum cca 420 ; *Vincentius Lerinensis:* Commonitorium 434.

f) Alii latini : s. *Hilarius Pictaviensis* epp. † 367, «Athanasius Occidentis»: De Trinitate. *Marius Victorinus* neoplatonicus : De generatione verbi divini. *Pacianus* † 390 adversus arianos, *Optatus Milevitanus* † cca 370 adversus Parmenianum donatistam scripserunt. S. *Ambrosius* epp. mediolanensis † 397 magnus ut episcopus et homileta : De fide, De Spiritu s., De paenitentia cca 390, De obitu Valentiniani 392, De mysteriis ; fors eius est etiam De sacramentis. S. *Hieronymus* † 420 interpres omnium celeberrimus ss. Scripturarum : Dialogus contra luciferianos, Advers. Helvidium de perpetua virginitate B. Mariae, Adv. Iovinianum, Ctra Vigilantium, Dialogus adv. pelagianos. Rufinus multa graeca latine reddidit ; scripsit Commentarium in symbolum apostolorum cca 404 ; amicus eius s. *Petrus Chrysologus* B. V. Mariae praeco. S. *Leo M.* papa † 461 : Epistulae et homiliae.

3. **Exitus** aetatis patristicae **451—800.** — Imprimis colligit thesaurum aetatis prioris florilegiis, catenis, parallelis sacris.

Graeci : *Pseudo-Dionysius Areopagita*, floruit cca a. 530 : De divinis nominibus, De hierarchia caelesti, De ecclesiastica hierarchia, multum a scholasticis commentata. *Leontius Byzantinus* † 543 optimus theologorum istius aetatis, vestigiis Cyrilli alex. inhaerens in operibus adversus nestorianos et monophysitas scriptis. S. **Ioannnes Damascenus** † 749 defensor orthodoxiae adversus iconomachos, qui theologiam patrum graecorum in systema digessit opere Πηγὴ γνώσεως, comprehendens dialecticam, haereticorum elenchum ; tertia pars *De fide orthodoxa* (libris 4 : 1. de Deo, 2. de angelis et homine, 3. de incarnatione, 4. de baptismo, Eucharistia, sanctis, canone, novissimis) praeludit Lombardo et generatim scholasticis. *Sophronius* † 638, *Anastasius Sinaita, Andreas Cretensis*, s. *Germanus* patr. † 733, *Theodorus Studita* † 828 mariologi ; *Abucurra* † cca 810 epp. in Mesopotamia, est quasi «Damascenus arabs», tractatibus 43 superstitibus multa egregie et orthodoxe disseruit (Migne gr. 97).

Latini : *Gennadius* semipelagianus compendium dogmaticum scripsit cca 470 : Liber ecclesiasticorum dogmatum ; s. *Caesarius Arelatensis* epp., s. *Fulgentius* Ruspensis † 533 «Augustinus abbreviatus : De fide ad Petrum. Maioris momenti sunt : *Boethius* † cca 525 logicae aristoteleae ad scholasticos

magister; S. *Gregorius M.* papa † 604 : homiliae et sermones ; s. *Isidorus Hispalensis* epp. † 636 : Etymologiarum ll. 20, quibus doctrinam patrum ad scholasticos transmittit.

2. Theologia scholasticorum. — Theologia scholastica praeter auctoritatem (patrum et magisterii vivi) imprimis «*rationem*» colit, seu scientiam fidei speculativam ope philosophiae, primum platonico-augustinianae, inde a s. Alberto Magno *aristoteleae*, idque *methodo* peculiari, stricte logica, ut optime perspicitur in Summa s. Thomae. *Genera litteraria* haec exercet : commentaria in s. Scripturam, in Aristotelem, in Lombardum ; quaestiones easque et disputatas uberius rem tractantes et quodlibetales ; opera systematica «in forma» conscripta, imprimis Summas, et dissertationes liberiores.

Theologia scholastica *s. 13.*, quum vita omnis catholica laetiora caperet incrementa, agentibus imprimis ordinibus mendicantibus (fratrum praedicatorum et minorum), universitatibus nuper ortis (Parisiensi et Oxoniensi imprimis), integro Aristotele eodem tempore aperto, non sine arabis et iudaeis (in quibus celeberrimi sunt Averrhoes † 1198 et Maimonides † 1204) ad supremum culmen est adducta. Principem tunc genuit omnium theologorum Thomam, quem exinde thomistae (plerumque dominicani) colunt ; quum scotistarum plerumque franciscanorum pater factus est Duns Scotus. Inter duas istas scholas hoc maxime interest, quod *thomistae* primatum intellectus profitentur et in metaphysicis (in quibus distinctionem realem et unitatem formarum colunt et materiam principium individuationis habent) et in ethicis et in theologicis ; etiam in mysteriis illustrandis rationi maiores partes tribuunt quam *scotistae* (distinctionis formalis, pluralitatis formarum praecones) ; ideo multa quae thomistis ratione probari posse videntur, scotistae solum dogmatice, ex decretis Dei positivis et ex fide deducunt.

In exitu theologiae scholasticae deinde *nominalistae* rationi iam omnem omnino vim attingendi metaphysica et illustrandi mysteria abnegant, et principium duplicis veritatis (primus Petrus Pomponazzius humanista s. 15.) pronuntiant et immorale et blasphemum : posse aliquid esse theologice verum et philosophice falsum.

1. Aera scholasticae **nascentis 1100—1200.** Praeceditur *aerā transitus* 800—1100, ubi germani et romani nuper ad Christum conversi avide ea quae per florilegia, catenas etc. ex patrum sapientia eis pervia erant, arripiebant et scholis claustralibus (Turonensi, Rhemensi, Fuldensi, Sangallensi, Lindisfarnensi etc.) colebant. *Tempore Caroli M.* eminebant *Alcuinus* † 804 discipulus s. Bedae Venerabilis ; *Rhabanus Maurus*, «praeceptor Germaniae» ; *Ioannes Scottus Eriugena* † 877 : De divina praedestinatione, De divisione naturae ; rationalista et pantheista, methodo tamen scholasticis magister. *Paschasius Radbertus:* De corpore et sanguine Christi 831 ; eodem titulo *Ratramnus* corbeyensis ; sunt primae monographiae de Eucharistia. S. 11. invalescebant «*dialectici*» rationem fidei praeferentes, in quibus Berengarius Turonensis negavit realem praesentiam eucharisticam. Antidialectorum resolutissimus erat s. *Petrus Damiani* † 1072 : De fide catholica, Ctra errorem graecorum ; dein *Lanfrancus*, magister multum celebratus Beccensis in Normandia.

Scholasticae pater est s. **Anselmus** OSB, archiepiscopus Cantuariensis † 1109 : Cur Deus homo, Monologium, Proslogium (quo proponitur argumentum quod nostri ontologicum dicunt), De processione Spiritus s., De casu diaboli, De conceptu virginali, De originali peccato. Coaevi sunt *Honorius Augustodunensis:* Elucidarium (compendium dogm.), Roscellinus nominalista. *Petrus Abaelardus* † 1142, pater methodi dialecticae scholasticorum («sic et non»), ceterum rationalismo imbutus. Theologiae *mysticae* cultores sunt *Rupertus Tuitiensis* † 1135 : De Trinitate et eius operibus (specimen egregium theologiae mysticae-biblicae-dogmaticae) ; s. *Bernardus* † 1153 : De gratia et libero arbitrio, in Canticum, De consideratione ; impugnator Gilberti Porretani realistae et Abaelardi. Amicus ei erat *Gulielmus a s. Theodoro :* Speculum fidei, Aenigma fidei, concentum scholasticae et mysticae egregie illustrantia ; quod maiore adhuc effectu praebent Victorini : *Hugo a s. Victore* † 1141, immensae eruditionis vir (Didascalion) ; «alter Augustinus» in opere : De sacramentis (= mysteriis) fidei ad eruditionem Scripturarum ; *Richardus a s. Victore* † 1173 : De Trinitate.

Sententiarii. Medio s. 12. oriuntur libri Sententiarum, quibus sententiae patrum praeprimis ad capita Damasceni (De orthodoxa fide) colliguntur et methodo «Sic et non» disputantur. Omnium excellentissimum opus istius generis est *Roberti de Melduno* † 1167; at maximam vim in posteros habuerunt **Petri Lombardi** Libri 4 sententiarum (1. Deus, 2. creaturae, 3. instauratio, 4. sacramenta), quod liber textus est factus saeculis sequentibus. Alii sententiarii sunt *Petrus Pictaviensis, Petrus Comestor, Petrus Cantor* † 1197, *Praepositinus* † 1210, *Stephanus Langton* † 1228.

2. **Culmen** theologiae scholasticae **1200—1320.** Quasi in vestibulo sunt *Guilelmus Altissidorensis* (d'Auxerre) † 1231 : Summa aurea ; et *Guilelmus Alvernus* (d'Auvergne) vel Parisiensis † 1248 : Magisterium primum sapientiale et divinale.

a) Schola franciscana vetustior (Augustinum ducem, Aristotelem socium habens) patrem colit *Alexandrum Halensem* † 1245, drem irrefragabilem, cuius Summa universae theologiae et ubertate et eruditione et ingenio eminet ; quem in omnibus secutus est s. **Bonaventura** † 1274 : in Lomb. et Breviloquium (margarita compendiorum). Discipuli eius sunt *Guilelmus de la Mare, Ioannes Pecham, Matthaeus de Aquasparta* † 1302, *Petrus Olivae* † 1298, adversarii s. Thomae, praecursores Scoti ; *Richardus de Mediavilla* (Middletown) Thomae propinquior. Huc pertinent etiam *Henricus Gandavensis* † 1293 ; *Raymundus Lullus* † 1315.

b) Aristotelici, praecipue dominicani, quibus Aristoteles est «philosophus», non ita tamen, ut in revelatis Augustino eum non compleant. S. *Albertus Magnus* † 1280 dr universalis, magnus praesertim in philosophicis. Maior magistro discipulus s. **Thomas Aquinas** (nat. 1226 ; 1252-9 magister Parisiis, 61-4 apud Urbanum papam, 65-8 Romae in studio ordinis sui, 68-72 iterum Parisiis, 72-4 Neapoli ; † 1274 iter ad Lugdunense II. faciens). Scripsit commentaria in Boethium, Aristotelem, multos Scripturae libros ; systematice : in Lombardum (1253-5 ; plura hic iuvenis docuit, quae postea retractavit); Compendium dogmaticum (imperfectum) ad Reginaldum 1260 ; Summa contra gentiles 1259-64 ; *Summa theologica* 1265-73; I: Deus et creaturae ; 1 II : finis hominis et media, etiam gratia ; 2 II virtutes et officia moralia ; III : Redemptor et sacramenta usque ad paenitentiam ; supplementum de ceteris et de novissimis Reginaldus ex Lomb. adiecit. Partes in quaestiones, quaestiones in articulos dispescuntur (cca 10000). Articulorum ordo : Videtur quod non ; sed contra, respondeo dicendum = corpus ; ad primum etc. ergo dicendum. Summae admirabilis in omnibus, a theologo diurna nocturnave manu versandae nuper prodierunt editiones cum commentariis et gallicae et germanicae apud

Desclée et Pustet Salisburgae ; aliae editiones bonae veneunt apud Marietti et Léthielleux. Multa quae Summa tractat, uberius exponuntur in *Quaestionibus disputatis*, quarum praecipuae sunt : de potentia, de spiritualibus creaturis, de anima, de malo, de veritate. Initio impugnatus (a Tempier aepp. Parisiensi et Ioanne Pecham) defensores et asseclas fideles nactus est *Hervaeum Natalem, Godefredum de Fontibus, Aegidium Colonna* OSA.

c) Schola recentior franciscana: Witelo, Rogerius Bacon † 1292 ; b. **Ioannes Duns Scotus** † 1308 dr subtilis : Opus oxoniense (in Lomb.) et Reportata parisiensia. Hodie periti largiuntur, propius eum Thomae accedere quam prius putabatur.

3. **Exitus** scholasticae **1320—1520.** — Scholasticae collabentis causa et signum praecipuum est *a) nominalismus*, «via moderna», cuius auctor fuit *Durandus* a s. Portiano OP † 1332 et *Petrus Aureoli* FM. At revera instaurator, «venerabilis inceptor» est *Guilelmus Occam* FM anglus † 1349, contra r. Pontificem et unitatem Ecclesiae assidue pugnans, nominalismum insolenter theologiae imponens : ratio experientiae limitibus constringitur, mysteria nullo modo attingit, difficultates a philosophia excitatas non potest solvere (Centiloquium theologiae). Sectatores : *Gregorius Ariminensis* OSA † 1358, Augustinum ducem invocat, ita tamen ut Iansenio praeludat ; *Petrus de Alliaco* † 1420, pater gallicanismi ; *Ioannes Gerson* † 1428 ; *Gabriel Biel* tubingensis † 1495. — *b) Thomistae: Thomas Argentinas* † 1377, Petrus de Paulude seu *Paludanus* † 1342. *Ioannes Capreolus* † 1444, «princeps thomistarum» : Ll 4 defensionum theologiae divi dris Thomae (Clypeus thomistarum) ; Thomas de Vio *Caietanus* card. † 1505, qui primus commentarium celeberrimum in Summam composuit ; *Franciscus* de Sylvestris *Ferrarensis* † 1528 in Summam ctra gentes. His maior est *Dionysius Rickel* OC † 1471 in Lombard. : Elementatio philosophiae et theologiae. — *c) Scotistae: Franciscus de Mayronis* † cca 1325, dr abstractionum, *Petrus de Aquila* † 1361, «Scotellus» ; *Thomas Bradwardinus* more mathematico tractans Causam Dei adv. pelagianos. *Petrus Tartaretus et Lychetus* primi s. 15. commentaria in Scotum componunt. — *d) Raymundus Sabundus* † 1437, medicus et theologus Raymundi Lulli vestigiis inhaerens ; *Nicolaus Cusanus* card. † 1464 novam philosophiam inaugurans : De docta ignorantia ; *Ioannes Turrecremata* (Torquemada) † 1468 : Summa de Ecclesia ; *Thomas Netter* (Waldensis) † 1431 adversarius Wicleffii.

3. Theologia posttridentina. — Impetu novatorum in veritatem catholicam, litteris graecis reflorescentibus (humanismo et «renaissance»), novis studiis historicis et philologicis, praesertim autem vitā et reformatione ecclesiastica per Tridentinum feliciter instaurata nova theologiae quoque aetas progignebatur, quae primum praesertim in *Hispania* (Salmanticae, Compluti, Coimbrae), dein in Gallia (Parisiis) et Belgica (Lovanii), et in Germania, primum a dominicanis, dein praesertim a *societate Iesu* nuper orta ad culmen ducebatur.

1. Aera **praeparationis 1520—1570.** — In Germania *Ioannes Eck, Cochlaeus, Albertus Pighius* adversarii Lutheri, quorum princeps erat s. *Petrus Canisius* † 1597 : Summa doctrinae christianae, De Maria virgine (prima monographia de B. V.). — In Belgica *Ruardus Tapper.* — In Italia *Ambrosius Catharinus* OP † 1553. — In Hispania : *Franciscus de Victoria* OP, institutor scholae salmanticensis, quae prima Thomae Summam librum textus habuit ; discipuli eius : *Melchior Cano* OP † 1560 : De locis theologicis; *Dominicus Soto* OP : De natura et gratia ; *Andreas de Vega* FM scotista ; hi omnes theologi tridentini.

2. Saeculum theologiae posttridentinae **florentis 1570—1670.** *a) Exegetae* dogmaticam non neglegentes : Alphonsus *Salmeron* SJ, *Maldonatus* SJ, *Toletus* SJ sunt celeberrimi ; quibus accedit *Cornelius a Lapide.*

b) Theologia *patristica et historica* in Gallia refloruit. Omnium fors princeps est Dionysius *Petavius* SJ † 1652, dein Lud. *Thomassinus* oratorianus † 1689 : Theologia dogmatica. Monographiis eminent : Fr. *Combéfis* OP † 1679 : Historia haeresis monotheletarum. Ioan. *Morinus* orat.: Commentarius historicus de disciplina in administratione sacramenti paenitentiae 1651, Comm. histor. et dogm. de sacris ordinationibus 1655. Isaacus *Habert* sorbonnensis : Theologiae graecorum patrum vindicatae circa universam materiam gratiae 1646. *Tricassin* OC, defensor doctrinae s. Augustini de gratia. P. *Nicole* et A. *Arnaud* iansensistae : La perpétuité de la foi de l'Église touchant l'Éucharistie 1669—74 ; *Alexander Natalis* OP, qui historiae eccl. gallice cca a. 1682 scriptae multa dogmatico-historica inseruit.

c) Polemistae quorum princeps est s. Robertus **Bellarminus** card. SJ † 1621 : Disputationes de controversiis fidei adversus huius temporis haereticos, cui digne adiungitur Th. *Stapleton* OP : Principiorum doctrinalium fidei demonstratio methodica 1579. Petrus *Pázmány* card. SJ † 1637 : Hodoegus azaz isteni igazságra vezérlő Kalauz 1613. *Gregorius de Valentia* SJ † 1603 ; A. *Tanner*, Iac. *Gretser*, Ioan. Scheffler *(Angelus Silesius* † 1677) germani ; ex gallis eminet Iac. *Bossuet* epp. † 1704 : Éxposition de la foi catholique, Histoire des variationes des églises protestantes 1688, De la connaissance de Dieu et soi-même, Discours sur l'histoire universelle ; gallicanismo tamen imbutus.

d) Scholastici : α) *Thomistae :* M. *Ledesma*, Barth. de *Medina*, Dom. *Bañez* † 1604 (Comm. in 1 et 2 II Thomae), Did. *Alvarez*, Th. de *Lemos* (Panoplia gratiae, opus acutissimum), A. *Massoulié* (Thomas sui interpres) omnes OP et iis superior **Ioannes a s. Thoma** OP † 1644 : Cursus philosophicus et Cursus theologicus amplissimi. Scholae thomisticae opus facile princeps est *Cursus theologicus* **Salmanticensis** 1631—1712 a carmelitis hispanis compositus. Ex eorum ordine est etiam *Philippus a ss. Trinitate* † 1671. Thomismum ea aetate etiam Lovanienses colebant, quorum decus est G. *Estius* † 1613. Sorbonnenses theologiae SJ propius accedunt, in quibus eminet N. *Ysambert* † 1642. — β) *Scotistae* non multum tunc precrebrescebant ; Fr. de *Herrera*, B. *Mastrius*, Laur. *Brancatius* sunt praecipui doctores. — γ) Multis et eximiis viris ornatur schola molinistarum SJ recenter orta, cui nomen dedit *L. Molina* ; cuius *Concordia* liberi arbitrii cum gratiae donis, divina praescientia, providentia, praedestinatione et reprobatione 1588, exhibet doctrinam scientiae mediae, quam primus eius magister P. *Fonseca* SJ docuit. Theologorum SJ facile princeps est Fr. **Suarez** † 1617 amplissimo commentario in Thomam. Gabr. *Vasquez* † 1604 est quasi Scotus Suaresii. Didacus **Ruiz** † 1632 subtilius et eruditius adhuc Suaresio disseruit De Deo 6 vol. ; Ioannes Martinez de *Ripalda* † 1648 : De ente supernaturali ; *Ioannes Lugo* † 1660 : De virtute fidei divinae. Hi omnes sunt hispani. Itali : *Silvester Maurus*, commentator Aristotelis multum laudatus † 1687 ; *Sforza Pallavicini* † 1667 historiographus Tridentini. Galli : *Claudius Typhanus* † 1641 alte de quaestionibus subtilissimis (De hypostasi et persona, De ordine deque priore et posteriore) disputans. Belga : *Leonardus Lessius* (Leys) † 1623 : De perfectionibus moribusque divinis, De summo bono, De gratia efficaci, De iure et iustitia.

e) Mystici theologia dogmatica inspirati : *Lud. Granadensis* OP † 1588 ; Lud. *de Ponte* SJ in Canticum ; Eus. *Nieremberg* SJ hispani. Petrus *Berulle* orat. † 1629 : Les grandeurs de Jésus Christ ; s. Franciscus *Salesius* epp. † 1622 : Traité de l'amour de Dieu ; Vinc. *Contenson* OP † 1674 : Theologia mentis et cordis.

3. Aera **epigonorum 1670—1770.** — Spiritu aerae praecedentis aliquamdiu adhuc favente theologia historica et *compendiaria* opera excellentia quaedam profert. Sensus tamen dogmaticus paulatim decidit agente iansenismo, gallicanismo, cartesianismo. — Thomistae : C. *Billuart* OP † 1757 : Cursus theologiae universae ; L. *Gotti* OP † 1742 : Theologia scholastica et dogmatica sunt compendia iure laudata. — Scotistarum compendium maxime commendandum composuit Claudius *Frassen* † 1711 : Scotus Academicus. — Molinistarum verum excellentissimum est Theologia dogmatica polemica, scholastica et moralis 1766—71, communiter *Theologia Wirceburgensis;* iure celebratur I. Bapt. *Géner* SJ † 1781. — Hac aera refloruit *schola augustiniana:* Nic. *Gavardus* † 1715 Aegidium Colonnam sequitur ; ceteri propius ad Gregorium Ariminensem accedunt : H. *Noritius* et imprimis Laur. *Berti* † 1766 : De theologicis disciplinis, compendium theologiae augustinianae optimum omnium. Ultimus praeco istius scholae est Ios. *Bertieri* † 1804. — Sorbonnici : L. *Habert*, Honoratus *Tournely* † 1729 : Praelectiones theologicae ; C. *Duplessis d'Argentré* † 1740. Ex aliis : Eus. *Amort* † 1775 germanus et Sigism. Gerdil † 1802 italus.

4. Aera theologiae **iacentis 1770—1840.** — Hac aera *iosephinismus et illuminatismus* etiam theologiam cepit ; scholastica spernebatur ; philosophiae perennis loco doctrina Cartesii, Wolffii, Kantii, Hegelii celebrabatur, locum methodi dogmaticae «religioni-philosophica» occupavit. Haud pauci graviter tunc in veritatem catholicam impingebant, uti F. *Baader* † 1841, G. *Hermes :* Einleitung in die Theologie et A. *Günther:* Vorschule zur spekulativen Theologie des positiven Christentums 1820—29. Erroribus istius temporis expertes erant L. *Liebermann:* Institutiones theol. 1819—29, et J. *Perrone* SJ † 1876; H. *Klee* † 1840 theologiam positivam cum laude coluit.

5. Aera theologiae **resurgentis** ab a. **1840.** — Instauratio catholica fere ubique gentium post rerum subversionem in Gallia, reditus virorum excellentiorum ad sanam theologiam saeculi litterarum sacrarum florentium 13. et 17., mox concilium Vaticanum, necnon veritas catholica adversus cavillationes eruditas s. 19. efficaciter defendenda in causa erant, ut theologia post brevem occasum laetius renasceretur. Theologi eximii huius aerae sunt : J. A. *Möhler* † 1838 (Symbolik 1832), H. *Newman* card. † 1890. — A. *Staudenmaier* † 1880, Fr. *Dieringer* † 1876, C. *Schätzler* † 1880, J. *Kleutgen* † 1883 (Theologie, Philosophie der Vorzeit), J. B. *Franzelin* † 1886, J. *Kuhn* † 1887, J. M. *Scheeben* † 1888 theologorum recentiorum dogmaticam colentium facile princeps, F. *Hettinger* † 1889, H. *Schell* † 1906 (Gott u. Geist, Dogm. in Indice) ; P. *Schanz* † 1906, D. *Palmieri* 1909 ; P. *Batiffol* † 1929. Viventium et nomina et opera insigniora suo loco ponuntur.

TRACTATUS SECUNDUS DE DEO.

Disseritur 1. de cognitione Dei, 2. de Deo ente absoluto, 3. de intellectu, 4. de voluntate Dei, 5. de Trinitate divina.

Caput 1. De cognitione Dei.

Quaeritur de cognitione Dei 1. naturali, 2. supernaturali.

Tractatus de Deo uno. *Anselmi* Monologium et Proslogium, *Bonaventurae* Itinerarium mentis in Deum, *Lessii* De perfectionibus moribusque divinis, Did. *Ruiz* Dé Deo; *Petavius* et *Thomassinus* De Deo Deique proprietatibus (Theol. dogm.); Th. *Raynaud:* Theologia naturalis 1622. — Fr. *Diekamp:* Die Gotteslehre des h. Gregorius v. Nyssa 1896; G. *Weinand:* Die Gottesidee des h. Augustinus 1910; G. *Grunwald:* Geschichte des Gottesbeweises im Mittelalter 1907; J. *Klein:* Der Gottesbegriff des Johannes Duns Scotus 1913. — *Schütz* A.: Az istenbizonyítás logikája 1913; W. *Schmidt:* Menschenwege zum Gotterkennen 1923; H. *Lennertz:* Natürliche Gotteserkenntnis 1926; E. *Przywara:* Analogia entis 1934; J. *Bittremieux:* De analogica nostra cognitione et praedicatione Dei 1913; De cognitione Dei mystica 1915. — G. *Michelet:* Dieu et l'agnosticisme contemporain 1912; *Prohászka* O.: Isten és a világ 1892 [3]1927; J. *Mausbach:* Gottes Dasein und Wesen 2 vol. 1929; O. *Zimmermann:* Das Dasein Gottes 4 fasc. [5]1923 ss. — J. *Kleutgen:* De ipso Deo 1881; J. J. *Berthier:* De Deo uno 1901; R. de *Munninck:* Praelectiones de existentia Dei 1904; J. *Janssens:* De Deo uno 2 vol. 1900. R. *Garrigou-Lagrange:* Dieu [5]1928.

§ 22. Cognitio Dei naturalis.

Statuuntur 1. factum, 2. via, 3. limites cognitionis Dei naturalis.

1. Factum. — THES. **Deus verus per ea quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci potest.** *De fide* e Vaticano (3 c. 1 revel.): «*Si qu. d. Deum unum et verum, creatorem et Dominum nostrum, per ea quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse, a. s.*»

EXPLIC. Declarat concilium 1) inesse homini facultatem physicam certo cognoscendi Deum respectu principii et subiectivi (= lumen rationis naturalis) et obiectivi (= per ea quae facta sunt). De facultate morali thesis nihil enuntiat; sed idem concilium docet ad cognitionem Dei reapse consequendam post lapsum revelationem esse moraliter necessariam. 2) Potest homo Deum verum cognoscere, qui secundum idem concilium (3. cp 1; cf. § 25, 1) est *a)* ens absolutum, seu omni perfectione infinitus, *b)* transcendens, seu re et essentia a mundo distinctus, *c)* spiritus personalis, seu substantia ratione et voluntate praedita, plane sui iuris. — Dogmati *adversantur:* directe agnosticismus et philosophicus (Kant, Spencer) et religiosus: Luther, Baius et huius temporis protestantes inde a Schleiermacher cum

modernistis, item traditionalismus rigidus ; indirecte atheismus et formalis (materialismus) et materialis (pantheismus).

DEMONSTR. **Scr.** Litterae sacrae maximam partem de supernaturalibus Dei manifestationibus proloquuntur, tamen «*dixit insipiens in corde suo: non est Deus*» Ps 13, quum facile sit Deum cognoscere tum ex macrocosmo : «*Caeli enarrant gloriam Dei et opera eius annuntiat firmamentum*» Ps 18, tum ex microcosmo : «*Qui plantavit aurem, non audiet, aut qui finxit oculum, non considerat?*» Ps 93. Deinde explicite contra scepticismum graecorum docent : «*Vani* (μάταιοι φύσει) *autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, et de his quae videntur bona, non potuerunt intellegere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex*» Sap 13. «*Quod notum est Dei* (τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ = quod cognosci potest de Deo), *manifestum est in illis* (qui scilicet veritatem Dei in iniustitia detinent) : *Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles*» Rom 1.

Tr. Iam apologetae gentes de ignorantia Dei obiurgant et magna cum industria id moliuntur, ut Deum esse comprobent ; cf. Aug. Serm. 141. **R.** Theologia naturalis Deum esse non modo docet, sed multis etiam argumentis confirmat et illustrat :

2. Via. — S. *Thomas* (I 2) statuit hanc propositionem : Deus est, esse notum per se ; Deus enim *est* suum esse. At quum nos non noverimus de Deo quid *sit*, non est nota per se etiam nobis, sed demonstratione indiget per ea quae magis sunt nota nobis, sc. per effectus (I 2, 1). Probat vero Deum esse I 2, 3 **quinque viis,** quae sunt quasi cardo et fundamentum totius theologiae s. Thomae.

1. Prima et manifestior via est *ex motu:* Experientia constat quaedam moveri. Quidquid autem movetur, ab alio movetur (moveri enim est educi e potentia in actum ; quod non potest fieri nisi per ens actu). Hic autem non est procedere in infinitum ; sic enim non esset aliquod primum movens, et per consequens neque aliquid aliud movens ; moventia enim secunda non movent, nisi per hoc quod sunt mota a primo movente ; sicut baculus non movet, nisi per hoc quod est motus a manu. Ergo «necesse est devenire ad aliquod primum movens quod in nullo movetur. Et hoc omnes intellegunt Deum».

2. *Ex ratione causae efficientis.* Invenitur enim in sensibilibus ordo causarum efficientium. At quum nihil possit esse causa sui ipsius (esset enim prius seipso), nec sit possibile in causis efficientibus redire in infinitum (in causis efficientibus ordinatis enim primum est causa medii et et medium est causa ultimi, et igitur si non fuerit primum, nec medium neque ultimum erit) : «est necesse ponere aliquam causam efficientem primam, quam omnes Deum nominant».

3. *Ex possibili et necessario:* Inveniuntur in rebus quaedam, quae possibilia sunt esse et non esse (quae generantur et corrumpuntur).

Impossibile est autem omnia quae sunt, talia esse; quia quod possibile est non esse, quandoque non est; et sic si omnia essent possibilia esse et non esse, nihil esset. Oportet ergo aliquid necessarium esse in rebus. Omne autem necessarium habet causam necessitatis suae vel aliunde vel non. Et quum iterum impossibile sit ut procedatur in infinitum in necessariis habentibus causam suae necessitatis (cf. viam secundam): «necesse est ponere aliquid quod est per se necessarium, quod est causa necessitatis aliis».

4. *Ex gradibus:* Invenitur in rebus aliquid magis et minus bonum et verum et nobile etc. Magis et minus autem dicuntur secundum quod diversimode appropinquant ad aliquid, quod maxime est. «Est igitur aliquid, quod est verissimum et optimum et nobilissimum, et per consequens maxime ens, quod est causa et esse et bonitatis et cuiuslibet perfectionis»; quod enim est maxime tale in aliquo genere, est causa omnium, quae sunt illius generis.

5. *Ex gubernatione rerum:* Aliqua quae cognitione carent, uti corpora naturalia, operantur propter finem. At quae cognitionem non habent, non tendunt in finem, nisi directa ab aliquo cognoscente et intellegente, sicut sagitta a sagittante. «Ergo est aliquid intellegens, a quo omnes res naturales ordinantur ad finem; et hoc dicimus Deum.»

Ex quibus *dogma vaticanum* de naturali cognoscibilitate Dei pro temporum nostrorum conditione *ratione* philosophica videtur hunc in modum illustrari posse:

1. Principium rationis sufficientis, omnis nostrae cognitionis et communis et eruditae cardo et anima, postulat, ut *nihil sine ratione sufficienti* accipiamus. Si ergo quid obviam est nobis, quod invenimus rationem sufficientem non habere in se sive essentiae suae sive existentiae, in alio aliquo eam habeat oportet. At impossibile est, ut omnia in alio habeant suam rationem sufficientem; implicat enim ut «omnia» ab «alio» habeant: praeter omnia nihil est aliud. (Haec *impossibilitas regressus in infinitum* independens a quaestione impossibilitatis multitudinis infinitae, statuens primum metaphysicum = ens absolutum, primum ethicum = finem ultimum, primum logicum = veritates per se notas, est cardo philosophiae aristoteleo-thomisticae). Ergo *aliquid necessario in se ipso habet rationem sufficientem* (via 3.); et illud non potest esse nisi *absolutum a) essentiā*, seu complectens quidquid veri et boni rationem habet; absolute perfectum enim habet rationem suam in se, imperfectum vero necessario habet in alio (via 4.); *b) existentiā*, ratione efficientiae et virium nullo pacto ex alio aliquo pendens (via 1. et 2.). Ergo *si est aliquid*, vi principii rationis sufficientis *est ens absolutum.*

Id quod *admittunt etiam monistae* (et materialistae et pantheistae, et *negant* tantummodo *agnostici.*

Agnosticismus philosophicus falsi arguitur a sana philosophia (cf. Schütz: A bölcselet elemei §. 12-7), imprimis eo quod est anthropologismus, docens omnem veritatem esse relativam, quasi proiectionem humanae naturae; ergo negat veritatem absolutam etiam logicam, et sic in scepticismum plenum desinit, qui sibi ipse est mors, prout ingeniose ostendit iam Aug. (Vera rel. 39, 73): Si omnia sunt dubia, tunc etiam id: omnia sunt dubia. Agnosticismus *religiosus* novatorum et iansenistarum dogmatice refellitur (§ 70, 4). *Traditionalismus* insuper etiam implicat: impossibile est traditioni auctoritativae rationaliter fidem praebere, si de eius fidedignitate non

constat ; quae sine circulo non potest iterum ex traditione hauriri. Omnis denique agnosticismus religiosus in pragmatismum et fideismum abit : si desunt vires ratione cognoscendi praeambula fidei et motiva credibilitatis credenditatisque, fides non poterit esse rationabile obsequium (§ 18, 4).

2. *Compertum est quaedam existere*, v. g. me et aliquid quod est non-ego. *Ergo existit etiam ens absolutum*, ratio existendi omnium. — *Falsus est* ergo *pantheismus idealista Hegelii*, quae ideam ponit ens primum, rationem et causam omnium. Falsum est etiam argumentum anselmianum, ontologicum dictum, quod ex idea entis quo perfectius cogitari nequit, deducit eius existentiam. Est μετάβασις εἰς ἄλλο γένος ; etenim existentia non nisi existentiā effici potest ; alioqui conclusio excedit praemissas.

3. *Ens absolutum est spiritus.* Namque *a)* in mundo experientiae pervio sunt entia spiritualia (homines). Iam vero vi principii causalitatis nemo potest dare quod non habet ; ens ergo absolutum, ratio existendi seu causa omnium, non potest carere spiritu. *b)* Entia experientiae pervia ad leges et fines diriguntur (§ 28. 31) ; at leges condere et fines praestituere vi principii causalitatis est spiritūs. — *Falsus est ergo materialismus.*

4. Ens absolutum spirituale *est transcendens*, seu tum essentia, tum existentia a mundo distinctum. Etenim mundus non est ens absolutum habens rationem sufficientem sive suae essentiae, sive existentiae in se : *a)* Entia mundi fiunt ; quidquid autem fit, ab alio fit ; illud aliud ergo, a quo fiunt (via 1. et 2.), est vere «aliud» atque ipsa : non fit, sed est ; est non ab alio, sed a se (cf. § 24). *b)* Nomismus et teleologismus mundi non potest nisi ab intellectu et voluntate personali procreari, ergo aliud est a mundo (§ 28. 31). — *Falsus est ergo pantheismus* mundo aequiperans ens absolutum ; ideo quoque, quia mundi entia singula sunt ab alio, sunt caduca, imperfecta ; ergo etiam simul.

5. Ens absolutum, spirituale, transcendens *est Deus.* Est enim causa plena et efficiens et finalis omnium, ergo etiam creaturae rationalis, quae quum plenam istam suam ab ente absoluto dependentiam cognoscit et agnoscit, religionem exercet, seu Deum colit (§ 1, 2). *Falsus est ergo pathetismus* protestantium liberalium et modernistarum autumans cognitionem entis absoluti nullius momenti esse pro religione.

COROLL. 1. *Cognitio Dei naturalis est abstractiva*, seu principio causalitatis et rationis sufficientis nec non notionibus entis absoluti transcendentis etc. acquiritur, quae abstrahuntur a cognitionibus sensitivis. — Falsa sunt ergo systemata quae aliam quoque ponunt conditionem Dei cognoscendi : vel doctrinam traditam *(traditionalismus mitigatus)* vel vero *ideam Dei innatam* (Descartes, Kuhn). Hoc sensu tantum cognitio Dei est nobis innata, quod per principia nobis innata facile percipere possumus Deum esse (in Boeth. Trin 1, 3 ad 6).

2. *Existentia Dei potest probari.* Etenim Deus naturaliter cognoscitur per ea quae facta sunt, via causalitatis. Haec autem est probatio (utique non apriori vel a simultaneo, sed aposteriori). *Demonstrabilitas* a Vat. explicite non enuntiatur, ponitur tamen ; est ergo fidei proximum, ut patet etiam ex thesi a traditionalista D. Bautain subscripta : «Ratiocinatio Dei existentiam, animae spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine demonstrare potest» ; item ex iuram. antimodern. (*D* 2145). Demonstratio Dei apte sic perficitur : His transcendentalibus omne ens absolvitur : ens, verum, bonum (Verit 1, 1), quibus innititur *argumentum aetiologicum* (seu cosmologicum ; rectius ontologicum diceretur), *nomologicum, teleologicum*, statuens causam plenam τοῦ esse Ens absolutum, veri Intellectum absolutum, boni Voluntatem absolutam.

3. *Cognitio Dei naturalis alia est communis seu vulgaris, erudita alia;* illa est facilior, quia non modo ratio in rerum causam ultimam inquirens,

sed etiam animus summum bonum vehementer desiderans ad Deum agnoscendum trahitur ; ista autem pro difficultatibus noeticis et metaphysicis quibus premitur, est res ardua nimis.

4. *Atheismus est impossibilis* eā sententia, ut demonstretur Deum non esse, vel ut sana ratio ens supremum confuse saltem non assequatur ; *possibilis est* autem eo sensu, ut diu et serio de Deo dubitetur; vel Deus verus ignoretur ; vel ut vitā negetur, qui mente ignorari diu haud potest.

3.Limites. — THES. 1. **Viribus naturalibus impossibilis est homini cognitio Dei intuitiva.** *De fide* ex Viennensi (§ 117, 2).

EXPLIC. Cognitio Dei intuitiva seu visio Dei opponitur cognitioni non-intuitivae, potissimum analogae, et fit vel per essentiam vel per speciem propriam. *Adversantur* thesi eunomiani, qui essentiam Dei in ἀγενεσία ponunt et eam immediate comprehendi posse asseverant ; dein ontologistae (Malebranche, Gioberti, Rosmini etc.), qui cognitionem Dei vel Entis omnium notionum primam et ceterarum conditionem esse putant ; denique beghardi negantes hominem ad videndum Deum indigere lumine gloriae et propterea damnati a Viennensi.

DEMONSTR. **Scr.** Scriptura teste visionem Dei nec summi Dei amici, Moyses et Paulus contingebant ; immo Paulus enuntiat : «*Rex regum et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem et lucem inhabitat inaccessibilem*» 1 Tim 6. Visio Dei est praemium supernaturale pro altera vita sperandum : «*Videmus nunc per speculum in aenigmate; tunc autem facie ad faciem* 1 Cor 13. **Tr.** Ita Patres, Cappadoces potissimum, Athanasius et Chrysostomus contra eunomianos. Falso Augustinus, Anselmus et Bonaventura ontologismi insimulantur.

Illi enim *platonici* ut sunt, cum Augustino hinc quidem prae cognitione Dei ex mundo externo procedenti magis cognitionem Dei per animae purae conscientiam ac beatitudinis desiderium celebrant ; illinc vero Deum veri, boni, pulchri causam exemplarem et conditionem realem cognoscendi efferunt («qui videt veritatem, videt aeternitatem»; cf. viam 4. Thomae). Uterque tamen cognitonis modus est non absolute intuitivus ac immediatus, sed noetice *conclusionibus implicitis* fit. Id quod et ipse Aug. fatetur (Trin. VII 2 ; XII 24 ; cf. Bonav. Op. Quar. I p. 302).

R. Omnis nostra incipit cognitio a sensibus et igitur Spiritum infinitum, via causalitatis, conceptibus analogis expetitum formaliter contingere nunquam potest. — *Eunomiani* theologice errant, quum Dei essenitam in ἀγενεσία ponunt (cf. § 24). *Ontologistae* philosophice errant, quum primum verum ontologicum etiam primum verum logicum habent; quasivero cognitio nostra non ab iis inciperet, quae nobis sunt priora. Theologice impingunt, quum conceptum entis communis et maxime ieiuni conceptui Entis perfectissimi aequiperant. Hōc etiam pantheismi suspicionem et periculum incurrunt : Quidpiam enim ea parte est cognoscibile, quatenus est ; si omnia nonnisi in Deo sunt cognoscibilia, id ideo tantum fieri potest, quia in Deo tantum sunt. Ceterum si Deus immediate cognosceretur, nullus posset contrarium cogitare et igitur omnes Deum profiterentur ; imo quum Deus sit summum bonum, omnes beatitudinem absolutam essent iam consecuti (I 2, 1 ; Verit. 18, 2).

Imo theologi contra Ripalda et Becanum communiter docent *non esse possibilem creaturam, cui visio Dei sit naturalis.* Etenim tunc demum Deus immediate videtur, si vel essentiā vel specie adaequata, formaliter percepta cognoscitur. At omnis cognitio est in cognoscente secundum modum cogno-

scentis ; atqui ens creatum est ens in potentia, quod ergo viribus naturae non potest mente recipere ens absolutum, quippe quod actus purus sit.

2. *Cognitio Dei naturalis non est mere negativa*, ut opinabantur gnostici ; *neque est mere terminativa*, quasi Deus in terminis operationis suae tantum cognosceretur, tamquam creator, peccatorum vindicator etc., prout putabant nominalistae. *Certum*. DEMONSTR. **Scr.** Litterae s. docent sempiternam Dei virtutem, pulchritudinem etc. cognosci per ea quae facta sunt, ac de Deo quam plurima attributa positiva enuntiant, v. g. bonitatem, amorem, scientiam etc. **Tr.** Et Patres et theologi omnes praeter nominalistas tam verbis quam re idem docent, ut §§ 24—33 minutatim probatur (cf. Gent I29 ; Pot. 7, 4-6). **R.** Ratione quoque Deus cognoscitur ut causa absoluta seu totalis, ergo etiam ut *exemplaris;* at si est causa exemplaris mundi, analogice saltem cognoscitur, veluti artifex ex operibus. Gnostici et terministae negant causalitatem exemplarem Dei.

3. *Cognitio Dei naturalis analogica etiam in suo genere semper imperfecta manet. A principio subiectivo:* Ratio humana quum sit *finita*, nunquam ens infinitum adaequabit ; et quum sit infixa in rebus *sensibilibus*, difficile et imperfecte semper attinget ad ens absolutum, quod a sensibus maxime remotum est. A principio *obiectivo:* Rerum creatarum, quibus ad Deum naturaliter cognoscendum ducimur, imperfectam semper scientiam habebimus ; deinde Deus in creaturis non totum se manifestat, imprimis occultat suam vitam trinitariam.

§ 23. Cognitio Dei supernaturalis.

Statuuntur 1. genera cognitionis Dei supernaturalis ; 2. cognitio Dei per fidem, 3. theologica.

1. Genera. — Cognitio Dei supernaturalis *significatione latiore* habetur, si vel subiectum seu ratio naturalis supernaturaliter, per gratiam actualem adiuvatur ad viam cognitionis Dei ceteroqui naturalem facilius et certius percurrendam ; vel vero obiectum a quo exordium ducit, est supernaturale (miraculum ; argumentum thaumatologicum). Significatione *restrictiore* est supernaturalis, si et subiectum et obiectum est supernaturale ; et est diversi generis : alia *per fidem*, si obiectum est revelatio supernaturalis, subiectum vero lumen fidei : alia *visio beatifica*, si obiectum est immediate ipse Deus, subiectum vero lumen gloriae (de qua § 117). Cognitio Dei *theologica* particeps est indolis cognitionis supernaturalis Dei ; etenim obiectum habet revelationem, subiectum vero intellectum fide illuminatum.

2. Cognitio Dei per fidem. — THES. **Existit cognitio Dei per fidem.** *De fide:* Credo in Deum (Apostolicum).

DEMONSTR. **Scr.** «*Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit*». Heb 11. **Tr.** Ecclesia inde ab exordio praedicatione assidua id nititur, ut homines credant in Deum. **R.** Deus multa de seipso revelavit, v. g. quum Moysi dixit : «Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est» Ex 6. Ergo cognosci potest per revelationem.

DIFF. Deus ratione quoque cognoscitur ; at *qui scit Deum esse, quomodo id insuper credere potest?* — *Molinistae* largiuntur in aliquo subiecto simul esse posse et fidem et scientiam eiusdem rei. *Thomistae* id fieri posse negant, et sic solvunt : Sciri posse Dei existentiam, credendam esse Dei Trinitatem (cf. § 18, 3).

QUAEST. *Indoles cognitionis Dei per fidem.* — 1. THES. **Cognitio Dei per fidem non est immediata, seu cognitio visionis.** *De fide* ex damnatione beghardorum a Viennensi. — DEMONSTR. **Scr.** *Paulus* fidelibus potissimum dicit Deum inhabitare lucem inaccessibilem, nec ab hominibus in hac vita videri posse (2 Cor 12, 1-6 ; 1 Cor 13 ; Jn 1, 16 ; cf. Ex 33, 18 ss). **Tr.** Patres contra eunomianos ipsis fidelibus visionem Dei abnegant. **R.** Rationem theologicam ponit Gregorius M. : «Fides est argumentum non apparentium (Heb 11) ; quod si apparet, non iam creditur, sed videtur» (cf. I 12, 4).

2. *Cognitio Dei per fidem non est genere sublimior, quam cognitio naturalis.* Fides enim est ex auditu revelationis ; at Deus revelans non novum prorsus ordinem notionum communicandarum statuit, sed legibus a se creatis inhaerendo pro capacitate nostra ideis abstractivis se manifestat. Et sane Paulus fidelium cognitionem per speculum in aenigmate esse dicit ; Patribus quoque familiare est illud : magis nos scire de Deo quid non sit, quam quid sit.

3. *Nihilominus cognitio Dei per fidem gradu* (quantitative) *superior est naturali.* Etenim *a subiecto:* ratio gratiā illuminata facilius ad invisibilia contemplanda attollitur, et animus a vitiis purgatus quasi speculum mundum mundius puriusque imaginem Dei reddit. Ab *obiecto:* Facta et dicta revelationis plura de Deo praedicant quam opera naturae. A *motivo:* auctoritas Dei revelantis certitudinem omnium maiorem generat.

Id confirmatur eo quod *ideam Dei a Sacris Litteris proditam* neque philosophia neque religio non-revelata unquam sublimitate assequi potuit. Cognitio Dei, quam Scriptura exhibet, eo praesertim cognitione philosophica sublimior apparet, quod quae prudentiae humanae *opposita* ad invicem videntur, diserte simul Deo tribuit : infinitatem et personalitatem, transcendentiam et immanentiam, plenam causalitatem et sanctitatem ; quum philosophi plerumque vel infinitatem vel transcendentiam vel plenam causalitatem quasi uni rei dediti efferant, oppositis neglectis, et ita in pantheismum prolabuntur ; religiones vero non revelatae, quum iterum curto quodam et manco modo vel personalitatem vel immanentiam vel sanctitatem colant, oppositis sepositis, polytheismo irretiuntur.

Perperam etiam marcionitae et olim et nunc (Delitzsch etc.) asseverant *alium esse Deum V. T.-i atque N. T.-i.* Largiendum quidem est in N. T.-o Deum potissimum patrem appellari (solum apud Jn 120-ies) ; at ista appellatio neque a V. T.-o est aliena (v. g. Deut 32, 6 ; Is 63, 16 ; 64, 8 ; Ier 3, 4 ; Ps 67, 6 etc.). Et quum V. T. Deum imprimis severum dominum, iudicem, regem habet, etiam Christus d. ita saepissime de Deo loquitur. Imo explicite affirmat se Deum patrum praedicare (v. g. Mt 22, 33 ; 13, 19 ; Mc 12, 29).

Sublimitas ideae quam V. T. de Deo colit, iam vel *nominibus divinis* exprimitur : אֵל, potens, fortis, παντοκράτωρ ; plur. אֱלֹהִים probabititur non est pluralis maiestaticus, sed complexio perfectionum divinarum ; אֲדֹנָי dominus, κύριος. יהוה cf. § 24. שַׁדַּי potens, עֶלְיוֹן altissimus ὕψιστος ; קָדוֹשׁ, sanctus.

3. Cognitio Dei theologica. — 1. Theologi est omni quo fieri potest modo, quum ex fidei documentis tum ratione *quam plenissimam exstruere notionem Dei.* Minus recte dicitur philosophi esse existentiam Dei comprobare, theologi vero eius essentiam perscrutari. Nam Dei eadem est essentia atque existentia ; quae ergo neque mente separari omnino possunt (in

Boëth. Trin. II 2, 3). Praeterea revelatio non pauca edicit de existentia Dei: quae igitur a theologo neglegi vetitum est.

2. **Triplex via** theologo patet ad pleniorem Dei notitiam comparandam : 1. Via *affirmationis*. Quum Deus sit causa totalis ergo etiam exemplaris omnium, omnes rerum perfectiones ei attribui possunt ; et simplices quidem v. g. esse, intellegere, vita formaliter : theologia affirmativa ; mixtae vero, v. g. conclusionibus cognoscere, misericordem, mansuetum, leonem esse, virtualiter et eminenter ; seu inest Deo virtus eminentior procreandi talia : theologia symbolica. — 2. Via *negationis*. De Deo utpote ente infinito cuncta genera rerum transcendenti omnes perfectiones creatae negari possunt; v. g. Deus non est vita, voluntas : theologia apophamysticorum. — 3. Via *eminentiae*. Omnes perfectiones creatae Deo enti infinito summo omnino gradu sunt tribuendae.

Trium viarum hic est *usus :* Singulae si tenentur, acquiritur notio quantum fieri potest amplissima essentiae divinae ; negatione nimirum quasi genus Dei assignatur, quum extra omnia genera constituitur ; eminentiā quasi differentia specifica, et affirmatione quasi notae propriae necnon accidentales ponuntur notionis Dei (Thom). Omnes tres viae simul tenendae sunt, ubi aliqua perfectio creata accurate transferenda est in Deum, ut recte monet Ps. Dionysius (Theol. myst. II 2) : Πάντων θέσις καὶ πάντων ἀφαίρεσις ἡ ὑπέρ πᾶσαν θέσιν καὶ ἀφαίρεσιν αἰτία. Illud quoque est familiare patribus graecis: Deus est ἀν-ώνυμος, παν-ώνυμος, ὑπερ-ώνυμος.

ADDIT. Quae tribus viis de Deo cognoscuntur, *attributa divina* habenda sunt, non tamquam si subiectum divinum potentiale eis quasi actibus perficiendum sit, sed quia analogice Dei substantiam adumbrant.

Attributa divina *dividuntur* in absoluta et in relativa, quae sc. Deo conveniunt ut creatori relate ad mundum. De relativis in tractatu de Deo plerumque non agitur. Attributa Dei absoluta iterum dividuntur in negativa, quae sunt simpliciter incommunicabilia, v. g. aseitas, infinitas ; et positiva, quae analogice possunt creaturis communicari, sicuti bonitas, vita. Alio obtutu distinguuntur attributa essentiae et naturae ; ferme par est distinctio attributorum quiescentium et actuosorum.

Illud attributum Deo proprium omnino, quod pro fonte et radice ceterorum haberi potest, vocatur *essentia Dei metaphysica.*

Caput 2. De Deo ente absoluto.

Quaeritur de Dei 1. aseitate, 2. infinitate, 3. simplicitate, 4. perfectione relate ad mundum.

§ 24. Aseitas Dei.

Statuitur 1. factum ; 2. argumentum aetiologicum ; 3. consecutiones.

1. Factum. — THES. **Deus est ens a se.** *Certum.*

EXPLIC. Thesis docet Deum ratione essentiae esse «ens», seu habere entitatem absque ullis terminis, ratione existentiae vero re et idea a quocunque alio ente esse omnino independentem. *Eiusdem tenoris* sunt *proposita* haec : *a)* Deus est Esse subsistens seu Esse, quod non recipitur et igitur non limitatur aliqua natura, sed subsistit in se et per se ; *b)* est ipsum Esse seu

non limitatur ad aliquod genus essendi, v. g. hominis vel petrae, sed tam late patet quam ipsum esse, τὸ ὄν absque limitatione ; *c)* est suum Esse seu essentia eius («est») idem omnino est quod existentia («Esse») ; *d)* est ens necessarium, realissimum ; *e)* est actus purus (absque ulla potentialitate). Quae omnia identitatem perfectam essentiae et existentiae divinae enuntiant.

DEMONSTR. **Scr.** «*Dixit Deus ad Moysem: Ego sum qui sum. Ait: Sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos.*» Ex 3. Ex contextu illud : «Qui est» (יהוה ; Sept. ὁ ὤν) significat : idem moraliter, seu eiusdem animi quo iam in patres ferebatur ; id quod postea per Mal 3 dicit : «*Ego sum* (hebr. ego Jahve), *et non mutor*». Huius firmitatis et constantiae moralis fundamentum metaphysicum est constantia ipsius Esse, prout affirmant hagiographi : «*Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatae sunt ei*». Is 40 ; ergo solus Deus est vere ens, qui habet Esse a seipso : «*Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?*» Rom 11. **Tr.** Patres praesertim in interpretatione Ex 3 docent Deum esse in omnibus seipse-itatem : αὐτ-ουσία, αὐτο-ζωή etc., et cum s. Hieronymo profitentur : «Deus qui semper est, nec habet aliunde principium, sed ipse est sui origo, suaeque causa substantiae». **R.** Aseitas divina est conclusio argumenti, quod dicitur cosmologicum vel potius aetiologicum.

2. Argumentum aetiologicum. — Ens a se, seu ipsum Esse subsistens est conclusio argumenti aetiologici, quae ex esse rerum conficitur. Quum esse rerum geminam faciem praebeat, passivam et activam (res enim quae sunt, et fiunt mutatione et generatione seu efficiuntur, et operantur seu efficiunt), argumentum aetiologicum quoque *geminum* adstruitur ex mutatione (1. via Thomae) et ex operatione (2. via).

Ex mutatione. 1. *Mutatio est phaenomenon maxime universale* et in rerum natura extra nos, et in nobis ; eaque tum accidentalis : mutationes physicae, chemicae, biologicae in rerum natura ; cursus fluxusque idearum, affectuum, consiliorum in nobis et singulis et in societate humana atque historia ; tum substantialis, uti in rerum natura generatio viventium, in nobis origo singulorum.

2. At *quiquid fit, efficitur;* seu habet causam efficientem suae mutationis sive accidentalis sive substantialis. Ex se enim id quod fit, est indifferens ad esse et non-esse ; si ergo ex non existente fit existens, huius rationem sufficientem debet habere. Quae quum non sit in ipso ente mutabili, ut ostendit Thom (1. via), debet esse in alio.

3. *Impossibile est, omnia esse ab alio.* Hoc enim implicat, quia praeter omnia nihil est aliud. Implicat etiam ideo, quia quae fiunt, in se sunt tam debilia et inopia, ut singula ex se non habeant unde sibi tribuant esse ; ergo etiam simul sumpta. Quum tamen sunt, et necessario ab alio sunt, illud «*aliud*» *a)* existit ; alioqui enim nec mutabilia existerent ; *b)* est vere «aliud», seu non mutabile, non factum ; ergo tribuens esse aliis ex pelago Esse sui ipsius ; imo *c)* est perfecta identitas ipsius Esse et operari. Etenim in rerum natura omne esse est effectus alicuius operari, operari autem progignitur ex aliquo esse. Atqui implicat omne esse procedere ab operari distincto, alio ab ipso ; item repugnat omne operari procedere ab esse distincto ab ipso. Ergo

4. *Existit ens*, quod non est factum ab alio, sed est *a se, cui idem est esse atque operari.* Quod ens est primum sensu pleno : omnia et singula quae fiunt seu quae mutantur sive substantialiter sive accidentaliter, ab ipso

sunt ; ergo etiam materia omnibus mutationibus et physicis et chemicis et biologicis praeiacens, quippe quae inseparabilis sit a mutatione. —

Ex efficientia. 1. Entia sive in rerum natura, sive in conscientia hominis pervia non modo efficiuntur, sed etiam *efficiunt:* generant entia et mutationes physicas etc. in rerum natura, in mundo interno conscientiae vero ideas, affectus, consilia, opera.

2. At *causae efficientes experientiae perviae non sunt causa plena* seu sufficiens suorum effectuum : *a)* Ex se *sunt in potentia ad operandum et non operandum;* ergo indigent impulsu causae, quae est non in potentia sed in actu (1. via). *b) Non efficiunt* entium a se procreatarum *conservationem;* existentia continua enim est novi quid relate ad primum momentum existentiae, ergo novam etiam causam exigit. *c) Non progignunt causam operandi entium* a se procreatarum ; proferunt quidem esse eorum (etsi non plenum) ; at operari aliud est, novi quid, novam exigens causam. *d) Nunquam proferunt materiam* substratam suorum effectuum, sed illam paratam, praeiacentem inveniunt.

3. Entia, quae singula non sunt causa plena et sufficiens entium et effectuum a se procreatorum, *neque simul sumta sunt causa sufficiens.* Etenim hinc quidem essentiale quod deest singulis, deest etiam complexioni singulorum ; illinc vero implicat omnes causas efficientes esse insufficentes seu aliis indigere ; nihil enim «aliud» est praeter «omnia».

4. *Ergo existit* aliquid, quod est *causa plena et essentiae et existentiae,* continens omnia a se, non accipiens quidpiam ab alio. Haec est causa prima non eo sensu inferiore, quod primum appulsum tantum mundo conferat, sed sensu eo plenissimo, quod defectus essentiales et omnium et singularum causarum efficientiium, quae ab alio sunt (=causae secundae), assiduo appulsu et conservatione complet ut causa prima.

DIFF. 1. *Monismi:* Argumentum istud non probat ens a se transcendens, sed manet *intra universum.* Id unum enim illo efficitur : cuiusvis mutationis experientiae perviae causam esse ens aliud similiter experientiae pervium ; ergo concluditur : existit universum a se, causa suprema omnium. Ita Strausz et multi alii. — RESP. *a)* Universum sic consideratum est *unum quid arithmetice,* non substantialiter ; summa autem arithmetica non habet essentialia, quae singulis desunt ; si singula non habent neque esse, neque operari a se, tunc neque summa, sive finita sive indefinita sit eorum multitudo. *b) Universum neque potest esse substantialiter unum,* cuius singula entia eorumque operationes sint accidentia. Etenim α) existunt individua (saltem plantae et animalia superiora et certissime singuli homines). At supposita non sunt accidentia ; quod confirmatur egoismo et luctis entium inter se tam evidentibus, ut Darwino principium evolutionis praebuerit ille «struggle for live». β) Substantia non potest quidditative esse aliud, atque accidentia produnt ; ergo si singula (ex supposito monismi accidentia universi) sunt ab alio, etiam totum (ex supposito monismi substantia).

2. *Mechanismi:* Omnes mutationes et generationes non sunt nisi motus locales atomorum, quorum et moles et vis motrix (energia quae dicitur) numerice eadem est semper. — RESP. *a)* Quod ad *legem molis et energiae conservandae* attinet, transeat (hodie enim a multis peritis in dubium vocatur) ; at lex ista nihil de origine sive atomorum, sive energiae enuntiat. *b)* Et atomorum et energiarum numerus, pondus, mensura, leges causam sufficientem clamant, quae non possunt esse ipsa (§ 28).

3. *Metaphysicae:* In rerum natura experientiae pervia omnis procreatio effectus mutationem causae aequivalentem involvit ; causa efficiens immutabilis, *movens immobile* (in 1. via Thomae ; τὸ πρῶτον κινοῦν ἀκίνητόν Aristotelis) *implicat.* — RESP. Rerum metaphysicarum normam et legem non praescribit experientia ; recte ideo est μετὰ τὰ φυσικά. Ens a se,

causa plena ideo postulatur, quia entia experientiae pervia sibi non sunt causa sufficiens ; principium rationis sufficientis enim nullo pacto potest pessumdari. *b)* Movens primum immobile non est impossibile (§ 27, 1).

3. Conclusiones. — 1. *Aseitas* vel ut cum s. Thoma loquamur : *ipsum Esse subsistens est* **essentia metaphysica Dei.** Est enim maxime proprium Deo, ut argumento aetiologico apparet et est fons omnium perfectionum Dei, ut mox per partes probabitur.

Non est ergo essentia Dei ponenda in infinitate actuali *(nominalistae)*, quae potius essentia physica Dei dicenda est ; nec in infinitate radicali *(scotistae)*, nec in intellectione *(Salmant.)* vel personalitate infinita, quae vere dicuntur, at fundamentalia non sunt ; nec in sui-causa *(Schell)*. Haec propositio : «Deus est causa sui», vera est, si causam intellegi vult rationem, vel id solum dicere intendit Deum non habere causam aliam a se ; sin autem causam (ut consuetudo fert) intellegit ens actione proferens aliquid, causa sui repugnat (1 II 2, 5 ad 2). Praeterea notio causae inepta est quae Dei essentia habeatur ; etenim actionis notam continet ; at operari non potest esse primum, sed sequitur esse (I 5, 2 ; Verit. 28, 7).

2. *Aseitas est ratio formalis, qua omnia quae de Deo cognoscimus et asserimus*, non quidem univoce (eodem penitus sensu, συνώνυμε), at neque aequivoce (alio penitus sensu, ὁμώνυμε) sed *analogice* (sensu partim eodem, partim alio) *asseramus*.

Etenim *a)* quoniam *Deus est «esse»*, imo causa plena et ratio sufficiens omnis esse, *vere de Deo asseritur ens* et quidquid sub ratione entis immediate cognoscitur : transcendentalia (i. e. verum et bonum, et igitur etiam intellectus cuius verum, et voluntas cuius bonum est obiectum formale), item potentia-actus, quattuor causae, necnon prima principia inde genita : identitatis, contradictionis, rationis sufficientis, causalitatis. Quum haec omnia in notione entis nitantur, quod (ut verum) est obiectum formale intellectus, sicuti color est obiectum formalis visus (Gent. II 83), ideo de Deo potest haberi vera cognitio quum communis (etenim ens eiusque determinationes utpote obiectum formale intellectus omnibus immediate sunt pervia) tum erudita ; omnis enim doctrina nihil est nisi determinatio ulterior entis ciusque determinationum immediatarum. At *b)* quoniam Deus non est aliqualiter «esse», sed ipsum *Esse subsistens*, ens a se, ideo entis conceptus et igitur omnes entis determinationes analogice tantum de Deo aseruntur. Ea enim e quibus conceptum entis eiusque determinationes proximas abstrahimus, sunt entia ab alio ; Deus autem est a se, quod est discrimen maxime fundamentale finiti et infiniti, imperfecti et absoluti, creaturae et creatoris, ita ut inter utrumque ratione τοῦ esse *analogia eaque proportionalitatis* (non attributionis, uti est hominis sani et cibi sani, vel esse accidentis et esse substantiae ; sed : qualis est proportio inter ens ab alio et esse, talis est inter ens a se et esse) intercedat. In hac analogia entis omnis theologia ut vera doctrina radicibus figitur (I 13, 5 ; Verit. 2, 11).

3. *Aseitas est ratio formalis cultus soli Deo debiti*, adorationis *latriae*, qua Deus ut auctor ac dominus omnium, qui ex nemine pendet et ex quo omnia in omnibus pendent, et mente et corde et voluntate agnoscitur ; cf. Psalmos, Apocalypsim, liturgiam Ecclesiae. Cultus latriae maxime adaequate sacrificio exprimitur (§ 98, 1).

§ 25. Infinita Dei perfectio.

Statuuntur 1. factum, 2. consecutiones.

1. Factum. — THES. **Deus est omni perfectione infinitus.** *De fide* ex Vat. (3 cp 1) contra materialismum : «Sancta catholica apostolica romana Ecclesia credit et confitetur *unum esse Deum verum et vivum creatorem ac Dominum caeli et terrae, omnipotentem, aeternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum; qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super omnia quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus*».

EXPLIC. Perfectio edicit *esse* sive substantiale, sive accidentale *absque defectu.* Infinitum (actuale, non potentiale) enuntiat esse *absque terminis.* Deus est omni perfectione infinitus significat : Deus habet omnes perfectiones, quae sunt et esse possunt (materialiter : παντέλης) ; easque gradu qui cogitari potest quam maximo, quique cogitatione superari non potest (formaliter : ὑπερτέλης) ; et ideo est fons et exemplar omnium perfectionum, quae praeter ipsum sunt vel esse possunt (radicaliter : αὐτοτέλης).

DEMONSTR. **Scr.** Scriptura s. negative Deum extollit super omnia entia, quae collata cum Deo quasi non sint. Aequivalenter : «Domine, quis similis tibi?» Ps 34. Positive : «*Magnus Dominus et laudabilis nimis et magnitudinis eius non est finis*» Ps 144 ; cf. Bar 3, 25 ; immo Siracides 43 hinc imponit finem pulcherrimi hymni in Deum : Συντέλεια λόγων. τὸ πᾶν ἐστιν αὐτός, i. e. Deus est summa perfectionum. Inde est exemplar omnis conatus moralis : «*Estote ergo vos perfecti, sicut pater vester caelestis perfectus est*» Mt 5. **Tr.** Patribus familiare est Deum pelagum omnium perfectionum dicere (Naz. Or. 45, 3; Aug. Nat. boni 22). **R.** *A-priori:* Deus est ens a se, seu ipsum Esse subsistens ; atqui ita «esse» eius non circumscribitur terminis neque ab efficiente (est enim a se), neque a recipiente (est enim ipsum Esse I 7, 1 ; Gent. I 43). Quidquid enim est ab alio, necessario est finitum et imperfectum. Quae esse habent ab alio, tantum accipiunt, quantum eis tribuitur ; et tantum eis tribuitur, quantum recipere valent ; at recipere non valent plus, quam terminis essentiae seu naturae suae circumscribitur, sc. esse hominis, arboris, leonis, auri etc. Quum Deus non sit ab alio, esse eius talibus limitibus non circumscribitur. *Aposteriori:* Deus ut causa prima est causa totalis rerum, et igitur etiam existentiae ; at existentia infinite a non-existentia distat ; ergo Deus vim procreandi infinitam habet, atque ita, quum eius posse et esse idem sit, habet etiam esse infinitum.

DIFF. 1. Si Deus est infinitus, *non potest ideis apprehendi;* ideae enim sunt «termini» (ὅρισμοι), et igitur obiectum terminis circumscriptum postulant. — RESP. Deus non potest apprehendi notionibus adaequatis : *C*, inadaequatis et analogis : *N*. Difficultas infinitatem Dei mere negativam esse ponit, quum sit summo gradu positiva.

2. *Perfectiones mundi* a perfectione Dei vel differunt vel non. Si ita, Deus eis caret, sin minus, mundus idem est atque Deus. — RESP. Perfectio-

nes mundi insunt Deo non formaliter, sed virtualiter et eminenter ; et ideo Deus et mundus non est plus quam Deus, sicut nec doctrina hominis litterati una cum doctrina libri ab eo conscripti plus est quam doctrina auctoris (cf. I 4, 2).

ADDIT. Infinitas Dei substantialis (categorematica) utpote in aseitate divina radicata est simpliciter *incommunicabilis*. Infinitas accidentalis (syncategorematica) e sententia s. Thomae non potest ostendi incommunicabilis (cf. § 40, 2).

2. Consecutiones. — 1. **Deus est incomprehensibilis.** *De fide* (ex Vat. 3 cp 1). — DEMONSTR. **Scr.** Secundum Iob 11 Deus investiganti apparet excelsior caelo, profundior inferno, longior terra, latior mari. «*Glorificantes Dominum quantumcunque potueritis, supervalebit enim adhuc. Ne laboretis: non enim comprehendetis*» Sir 43. «*O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius* !» Rom 11. **R.** Est consecutio infinitatis. Etenim cognitio est in cognoscente secundum modum cognoscentis ; ergo infinitum neque modo supernaturali in intellectu finito secundum totam suam essentiam et cognoscibilitatem suscipi potest ; eo minus modo naturali. Recte monet Aug. (Trin. V 1) : «Quo intellectu Deum capit homo, qui ipsum intellectum suum, quo eum vult capere, nondum capit?» (I 12, 7. 8).

2. **Deus est ineffabilis.** *De fide* (ex Vat. 3 cp 1).

DEMONSTR. **Scr.** ubi Deum incomprehensibilem dicit, simul ineffabilem asserit, imprimis Sir 43. **R.** Evidenter colligit Deum saltem ea parte esse ineffabilem, quatenus est incomprehensibilis. Immo monente s. Augustino concluditur, verius esse Deum quam cogitari, veriusque cogitari quam dici ; rerum enim sublimium scientiam eam quoque quam habemus, verbis accurate efferre non valemus.

Probabilissimum est Deum *a nulla creatura* viribus sive naturalibus sive supernaturalibus *adaequate verbis exprimi* posse. Ad rem dicit s. Bonaventura (in II dist. 22, 11) unicum esse Dei nomen adaequatum, Verbum sc. aeternum ; sed hoc nomen non est adaequatum comprehensive, nisi in ore Altissimi.

3. **Deus est unus.** *De fide* ex ordinaria propositione Ecclesiae contra polytheismum necnon dualismum statuentem duo principia prima, alterum bonum, malum alterum.

EXPLIC. Unum est indivisum in se (unitas interna) et divisum ab alio (externa). Unitas Dei interna idem dicit ac simplicitas divina. Quod vero est divisum ab alio, est unum vel specifice, si nempe convenit cum aliis in eodem genere ; vel numerice, si est unicum. Deus unicus est idque eminenter, ita ut aliis unitatibus nullo pacto connumerari possit.

DEMONSTR. **Scr.** Est caput et veluti tessera V. T.-i : «*Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est*» Deut 6 ; id quod confirmatur n. Lege, quamquam Trinitatem divinam revelanti. — *Rationalistae* huius aetatis vero, quum monotheismum Israel e prisco polytheismo per henotheismum esse evolutum contendunt, ad veritatem historicam offendunt ; etenim libri V. T.-i, de quorum fidedignitate constat, nihil omnino de eiusmodi evolutione narrant (§ 14). Nec rationalistae istam

evolutionem in historia prorsus singularem explicare ac probare possunt (§ 2, 3). **Tr.** Iam apologetae acriter impugnant et polytheismum paganorum et dualismum gnosticorum manichaeorumque.

R. Unicitas Dei *est a) consecutio infinitatis divinae:* Si enim complura entia infinite perfecta existerent, eorum perfectiones vel essent eaedem, et igitur non essent plura entia perfectissima ; vel non, et ergo non essent absoluta ; multitudo entium vere infinitorum penitus repugnat. Deinde *b)* Deus est *ens a se,* cuius ergo eadem est essentia atque existentia ; atqui actus existendi non potest multiplicari (nec in creatis !) ; ergo neque essentia divina (I 11, 3, Gent I 42 : 17 argumenta unitatis Dei). Itaque falsus est non modo polytheismus, sed etiam dualismus, iam vel ideo, quia substantia mala repugnat.

DIFF. *Monotheismus rigidus non satisfacit indigentiis religiosis,* quae pro negotiorum diversitate etiam numinum verietatem postulant. Ita cultores psychologiae religionis rationalistae. — RESP. *a)* In re religionis non quod utilius ac commodius, sed quod *verius* est, quaerendum. *b) Veritas liberabit* nos etiam in hac materia. Dei enim unitas est radix et fons istius unitatis conatuum atque idearum inter homines, sine qua omnia dilabuntur ; polytheismo et religio et verus cultus humanitasque pedetentim dissolvuntur. Omnia igitur clamant illud : «Non habebis deos alienos coram me»! Ex 3. *c)* Monotheismus revelationis minime est rigidus, sed *personarum Trinitate* perfectissime absolvitur (§ 39).

§ 26. Simplicitas Dei.

Statuuntur 1. factum, 2. consecutiones, 3. relatio ad attributa divina.

1. Factum. — THES. **Deus est spiritus omnino simplex.** *De fide* ex Lateran. IV. contra Amalricum a Bena et Vat. 3 cp 1 adversus huius temporis pantheistas.

EXPLIC. Simplex est contrarium compositi. *Compositum* vero aliud est *physicum,* cuius typus est compositio e materia prima et forma substantiali, quod igitur ex partibus re separabilibus constat, et spiritui opponitur ; aliud *metaphysicum,* ubi pars alia aliam excludit, quin separari possint ; huius genera sunt compositio existentiae et essentiae, subsistentiae et naturae, substantiae et accidentium, actus primi et secundi, speciei et generis, individui et speciei, generaliter actus et potentiae. Simplicitas Dei omnes compositiones negat, et Deum actum purum asserit.

DEMONSTR. **Scr.** Simplicitatem *a) physicam* (spiritualitatem) Dei iam antiquissimi libri V. T. aequivalenter docent eo quod Deum dominum absolutum materiae habeant, deinde invisibilem esse, nec imaginibus describi posse dicant ; formaliter Christus d. : «*Spiritus est Deus; et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare*» Jn 4. Simplicitas Dei *b) metaphysica* enuntiatur eo quod dicatur non modo habere, sed esse vitam, sapientiam, caritatem, bonitatem etc. ; quasi formaliter : «*Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae*» 1 Jn 1 ; et : «Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens *a Patre luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio*» Iac 1. Subdit *Cyr. Alex.* (Arian. dial. 2) : Sed quid hoc aliud est quam conversio et crassa veluti vicissitudo, a potentia migrari in actum? *Anthropomorphismi biblici* ergo interdum crassiores quoque non

habent nisi rationem et finem paedagogicum, ut nimirum rudibus ad spiritum purum apprehendendum tardioribus vivida Dei notio imprimatur. **Tr.** Iam polemistae (Iren. et Origen.) adversus gnosticorum emanationes absolutam Dei simplicitatem efferunt. Patres s. IV. vero *Audii sententiam*: Deum habere corpus ad imaginem hominis (pervertendo Gen 1, 26; inde: anthropomorphitae) cum Hieronymo stultissimam haeresim dicunt omnesque Augustino adstipulantur docenti : «Ideo simplex dicitur Deus, quoniam quod habet, hoc est» (Trin. XV 13). Si Tertullianus (Prax. 7) Deo corpus attribuit, vel notionem corporis cum notione substantiae aequavit, vel stoicorum more omne ens existens corpus sui generis esse satis inepte putavit.

R. Simplicitas Dei efficitur 1) *ex aseitate* divina : Quodcunque compositum, utpote totum, a partibus dependet ; ergo nullum compositum potest esse a se. 2) *Ex notione causae primae:* Quod partibus constat, in unum coniungatur oportet ; atqui nihil potest seipsum in unum coniungere; ergo nullum compositum potest esse primum (I 3, 7 ; Gent. I 18).

2. Consecutiones. — 1. **Deus oculis corporeis est invisibilis.** *Certum* praesertim contra palamitas (Greg. Palamas monachus graecus cca a. 1350) putantes Deum attributis suis veluti photosphaera circumfundi ac proinde videri posse oculis corporeis non modo a beatis, sed a viatoribus ascesi apte praeparatis (= omphalopsychi). — Scriptura id innuit, quum Deum omnino invisibilem praedicat. Ratio vero idem ex simplicitate Dei colligit : Quum cognitum sit in cognoscente secundum modum cognoscentis, impossibile prorsus est, ut ens absolute simplex formaliter recipiatur in principio cognoscenti corporeo (I 12, 3 ; Aug. Civ. XXII 29 ; Ep. 92). — Ergo *theophaniae biblicae* sunt plerumque manifestationes clariores divinae praesentiae (per effectus conspicuos ; I 51, 3).

2. *Deus est indefinibilis.* Certum. Etenim vera definitio logica fit per genus proximum et differentiam specificam, quod compositionem metaphysicam continet. Eiusmodi ergo sententiae : Deus est ens a se, est spiritus absolutus, non nisi speciem definitionis praebent.

3. **Falsus est pantheismus** et substantialis et evolutionisticus et idealis. *De fide* ex Vat. (3 c. 4): «*Si qu. d. res finitas tum corporeas tum spirituales aut saltem spirituales e divina substantia emanasse, aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia, aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam, a. s.*». Nihil enim Scriptura et patres sollemnius habent, quam Deum mundo in omnibus opponere ut creatorem creaturis, dominum subditis, ut eum qui Est iis quae quasi non sint. Ratione vero evincitur mundum multis modis compositum Dei simplicem essentiam nullo pacto ingredi posse, ut argumento aetiologico probatur § 24, et nomologico atque teleologico confirmatur §§ 28 31.

3. Relatio simplicitatis divinae ad multitudinem attributorum. — Si Deus est absolute simplex, quomodo multa de ipso praedicari possunt?

Hac in materia *veritas media est inter duo extrema*, quorum alterum est *realistarum* (Gilberti Porretani, Joachimi a Flore etc.) distinctionem realem attributorum inter se et ab essentia divina docentium. Si enim ita, de Dei simplicitate actum esset, Trinitatis vero mysterium in tritheismum abiret. Iure ergo damnati sunt a synodo Rhemensi (a. 1148) et a Lateranensi

IV. Alterum extremum est *eunomianorum et nominalistarum* distinctionem mere mentalem asserentium et attributa de Deo synonyme tantum praedicantium. Hoc pariter falsum est, quia primum personae divinae re inter se distinguuntur ; deinde non sunt omnino eaedem actiones Dei internae et actiones ad extra ; denique s. Litterae multa praedicant de Deo, quae synonyme intellegi nolunt, quippe quae saepenumero inter se opponantur, uti v. c. misericordia et iustitia.

Relinquitur ergo, ut singula attributa, quae sunt re eadem cum divina essentia, ita de Deo asserantur, ut implicite et obiective totam essentiam divinam, explicite et formaliter vero unum tantum obtutum divinae plenitudinis praedicent. Seu inter se et a divina essentia *distinctione virtuali minore*, sicut transcendentalia : unum, bonum, verum differunt. Distinctio tamen virtualis maior arcenda est omnino, utpote qua distinguuntur ea, quae re sunt quidem unum, penitus inseparabilia tamen non sunt, uti ex mente multorum molinistarum substantia et accidens.

Distinctio formalis Scoti, quae ponit multitudinem formalitatum (non formarum !) actu distinctarum ante operationem mentis, quaeque est non-identitas formalis aliquorum, in quibus «unum non est de formali ratione alterius» (Report. I 45, 2, 9), recte quidem effert indentitatem obiectivam perfectionum Dei non esse confusionem et indeterminationem in divinis, solis rationis distinctionibus in ordinem redigendam; at quoniam videtur multitudinem quandam formalem obiectivam in Deo statuere, hodie communiter reicitur.

COROLL. 1. Simplicitas Dei est fundamentum cuiusdam *communicationis idomatum* in Deo, eo sensu, ut perfectiones divinae de invicem praedicari possint et debeant per identitatem non modo in concreto, sed etiam in abstracto. Ergo dicitur non modo : Deus (utique potens, sapiens, iustus, misericors etc.) est potentia, sapientia, iustitia, misericordia ; sed etiam : Divina potentia est divina sapientia, divina iustitia est divina misericordia etc.

2. Simplicitas Dei *animae piae* est ratio, ut *a)* Deum simplicem in simplicitate cordis adoret et colat (cf. Mt 5—7) ; ut *b)* quae in hoc mundo sunt opposita, imo saepissime inimica, uti lex et libertas, ideale (ut a nostris dicitur exemplar et norma) et realitas, sicut sunt perfecte unum in Deo, etiam in hac vita quum spe tum industria in harmoniam uniantur.

§ 27. Perfectio Dei relate ad mundum.

Est 1. contra mutabilitatem immutabilitas ; 2. contra tempus aeternitas ; 3. contra locum et spatium immensitas et omnipraesentia.

1. Immutabilitas. — THES. **Deus est perfecte immutabilis.** *De fide* ex Nicaeno contra arianos «dicentes convertibilem et demutabilem Deum» ; item ex Vat. 3 cp 1. *Adversantur* monistae et quidam protestantes orthodoxi, *cenotici* dicti (cf. § 54, 3).

DEMONSTR. **Scr.** Universim et formaliter profitetur : «*Initio tu Domine terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt caeli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent; et sicut operlorium mutabis eos et mutabuntur: tu autem idem ipse es et anni tui non deficient*» Ps 101. Secundum Iac 1 apud Deum Patrem luminum «*non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*» Plerumque tamen Scriptura

pro more suo rem per species persequitur : «*Non est Deus quasi homo, ut mentiatur; nec ut filius hominis, ut mutetur*» Num 23. «*Consilium autem Domini in aeternum manet, cogitationes cordis eius in generatione et generationem*» Ps 32 ; et hanc dat rationem : «*Ego Jahve* (hebr.), *et non mutor*» Mal 3. Est solus incorruptibilis et immortalis (Paul). *Anthropopathismi biblici* ergo, sicut ira, paenitentia Dei «secundum similitudinem effectus et non affectus» de Deo dicuntur (Thom.). **Tr.** Patres Dei immutabilitatem vindicant, quum adversus gnosticorum emanati smum, tum adversus arianos, patripassianos nec non theopaschitas Deum vertibilem et passibilem putantes, tum contra stoicorum epigonos Deo affectus et passiones, imprimis iram ad modum hominum tribuentes (cf. Lactant. De ira Dei).

R. *a*) Deus est ens *simplex* omnino. Atqui mutabile est necessario compositum ; quidquid enim mutatur, quantum ad aliquid manet, quantum ad aliquid transit. Si ergo Deus mutaretur, non posset esse simplex. *b)* Deus est *infinite perfectus;* at quod mutatur, perfectionem aut acquirit, aut amittit ; ergo non potest esse perfectum simpliciter. *c)* Deus est *ens a se.* At quidquid mutatur, e potentia in actum deducitur, quod non fit nisi per ens actu ; ergo non potest esse primum, seu a se.

QUAEST. *Si Deus est immutabilis, quomodo agit?* — Secundum Aristotelem tamquam causa finalis trahit «primum mobile», per quod deinde cetera movet ; secundum Platonem vero adversus immutabilitatem est summe agilis, ut habet etiam Sap 7 : «*Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia . . . et quum sit una, omnia potest; et in se permanens, omnia innovat*». Et revera, ut actus purus actu continet omnem etiam operandi potestatem.

DIFF. 1. Deus ut est *liber*, alium atque hunc mundum potuit creare, et ideo saltem potentiā est mutabilis. — RESP. Quum Deus infinitae sit sapientiae, nihil eorum quae ad certum consilium capiendum conferunt, ipsum praeterit ; et quum perfectae sit potentiae, consilia decreta accuratissime exsequitur ; et igitur nihil accidere potest, ex quo propositum semel constitutum immutet ; nullum ei obvenit «non putarem».

2. Deus tempore mundum creavit, creatum et mutabilem assidue conservat gubernatque, miracula edit, tempore incarnatus est ; *mutans* ergo *mutatur.* — RESP. Distingue primum *consilia* Dei mutationes decernentia, quae ut actus divini immanentes modum essendi divinum immutabilem participant ; deinde *terminos* illorum consiliorum, ipsas nimirum mutationes, quae in creaturis fiunt, ita ut novas relationes cum Deo ineant, quin ipse Deus mutetur ; denique *executionem* consiliorum, quae intentionaliter et effective quidem continet mutationes, sed non ontologice seu psychologice : «Ars non solum determinat, ut hoc tale sit, sed ut tunc sit, sicut medicus, ut tunc detur potus ; unde si eius velle esset per se efficax ad effectum producendum (qualis est Dei voluntas), sequeretur de novo effectus nulla actione de novo existente» (Gent. II 35). Aliter : *Relatio Dei et mundi* est quidem realis quam maxime *a mundo*, quippe quae in omnibus ex Deo pendeat ; at est mere logica *a Deo*, quippe qui nullo pacto ex mundo pendeat.

3. Deus peccatori irascitur, paenitenti reconciliatur, *orationes exaudit* etc. ; ergo mutatur. Sin autem, tunc ut nexorabilis frustra orationibus et lacrimis petitur ; immutabilitas Dei ergo iinimica estvitae religiosae. — RESP. Cogitationes Dei non sunt cogitationes hominum ; ipse proposito aeterno fines et media, leges universales et singulos casus simul disposuit eisque lapsus, paenitentias, orationes ab aeterno inseruit ; et nos «non propter hoc *oramus*, ut divinam dispositionem immutemus, sed ut id impetremus, quod

Deus disposuit per orationes esse implendum» (2II 83, 2). At Deus quia immutabilis, ideo non est simul insensibilis ; imo ut creator est omnibus pater tenerrimus (§ 33, 2). Immutabilitate autem Dei quam efficacissime cavetur, ne Deus flexibilis et inconstans habeatur ut homines ; ergo *est animae piae motivum*, ut hinc quidem Deo constantissimo eiusque legibus non praetereuntibus in omnibus similis evadat, inde vero plena fiducia Deo inconcusso nitatur in his vicissitudinum turbis. Deus tranquillus omnia tranquillat.

2. Aeternitas. — THES. **Deus est aeternus.** *De fide* ex Nicaeno, Athanasiano, Vaticano etc.

EXPLIC. Aeternitas perfectionem Dei edicit relate ad tempus, idque negative : perpetuitatem divinam non habere finem, initium, successionem; positive : Deum esse temporis auctorem ; eminenter : superare temporis omnia momenta. Quae omnia complectitur Boethii definitio multum laudata : *aeternitas est interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio.*

DEMONSTR. **Scr.** «aeternum» frequenter longo temporis spatio aequat et angelis quoque tribuit. Deum tamen significatione exposita aequivalenter aeternum affirmat : Deus est absque initio et fine, est α et ω, primus et novissimus ; est antiquus dierum (Dan 7). «*Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis, a saeculo et usque in saeculum tu es Deus*» Ps 89. Nec potest in eundem numerum cum tempore referri : «*Unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut unus dies*» 2 Pet 3. **Tr.** Patres Dei aeternitatem veram adversus paganos defendunt. Imprimis *Augustinus* multa et subtilia de aeternitate et tempore disserit : Conf. XI (cf. Vera rel. 49 ; in Ps 101, 2, 10).

R. aeternitatem Dei efficit *a) ex immutabilitate* eius. Etenim tempus est numerus motus secundum prius et posterius (Arist.) ; ubi ergo nullus motus, nec ullum tempus. *b) Ex aseitate*, quae est tota et perfecta vitae possessio absque potentialitate ; est actus purus.

QUAEST. 1. *Estne aeternitas perfectio Dei incommunicabilis?* — *Aeternitas* divina utpote quasi altera aseitatis facies est *incommunicabilis.* At aeternitatis nomine quandoque venit perlongum temporis spatium, vel etiam vita cum initio sine fine (immortalitas creaturarum spiritualium) ; quae utique est communicabilis. Si autem aeternitas accipitur *duratio sine initio, sine fine*, vel cum *successione*, vel plane sine successione (quam Scotus «aternitatem secundum quid» appellat), *Thomae* neutrum, vel saltem ultimum non videtur evidenter impossibile (I 46, 2 ; opusc. 23 de aeternitate mundi contra murmurantes). Etenim creaturae essentia involvit quidem plenam ex Deo dependentiam, at non temporalitatem ; et igitur aeternitas illa «secundum quid» non est tota simul et perfecta possessio vitae interminabilis, soli Deo, qui est ipsum Esse, conveniens. Alii tamen cum Bonaventura et Suarez acriter hanc sententiam impugnant ; et inter peritos usque hodie sub iudice lis est.

2. *Relatio temporis et aeternitatis* est haec : *a)* Deus coexistit tempori, ita ut nullum sit temporis momentum, cui intime praesens non sit. Est haec coexistentia, quam quidam *sempiternitatem Dei* nominant (est relate ad temporis momenta id quod omnipraesentia relate ad loca : Halens. Summa I 12, 1, 1). At coexistit aeternitas Dei temporis spatiis, non ut pars lineae perlongae currens cum lineis curtis (non enim est aeternitas quasi summa infinita spatiorum temporis), sed ut circuli centrum cum omnibus peripheriae spatiis. (Gent I 66 ; Lessius : Perf. div. IV 4) *b) Entia temporalia* vero

quando sunt, coexistunt quidem aeternitati toti (eo quod non habet partes) ; num autem etiam ante et post existentiam praesentia sint Dei aeternitati, disputatur; Thomas iunior id asseruit multis contradicentibus.

3. *Aevum. Entia spiritualia* quum substantiā sint incorruptibilia et mente veritates aeternas attingant, propius ad Dei aeternitatem quam entia corruptibilia accedunt, licet in tempore existant ; et iste durationis modus quasi intermedius inter aeternitatem Dei et temporalitatem corporum aevum a scholasticis dicitur ; cuius ergo *spes* nobis affulgens est vita aeterna (Jn 17, 3), et cuius veritas est *remedium* contra huius temporis brevitatem fugacitatemque : «Et mundus transit et concupiscentia eius. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in aeternum» Jn 2 ; «Cogitavi dies antiquos, et annos aeternos in mente habui» Ps 76.

3. Immensitas. — THES. **Deus est immensus et ubique praesens.** *De fide* ex Athanas. : «immensus Pater, immensus Filius» etc.

EXPLIC. Immensitas perfectionem Dei relate ad spatium et locum enuntiat, idque *negative:* Deus non habet spatium et locum, quibuscum nullo pacto in eundem numerum referri potest ; *positive:* ut auctor spatii est intime praesens omnibus extensis ; *eminenter:* essentia et actione est super omne spatium et locum.

DEMONSTR. **Scr.** Deus exsuperat spatium et locum : «*Si caelum et caeli caelorum te capere non possunt, quanto magis domus haec!*» 3 Reg 8 (ex oratione Salomonis in dedicatione templi). Est modo eminenti ubique praesens : «*Numquid non caelum et terram ego impleo, dicit Dominus*» Ier 23. «*Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in caelum, tu illic es, si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo et habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua*» Ps 138. Deus non longe est a quovis nostrum ; «*in ipso enim vivimus et movemur et sumus*» Act 17. **Tr.** Patres adversus stoicos propugnant sententiam Deum sibi rerumque omnium esse mundum et locum ; ingeniose prae ceteris Augustinus (Confess. I) et Gregorius M. (Moralia II 8, quod Hildebertus Cenomanuensis m. ae. carmine elegantissimo lucubrat) rem tractant.

R. Ratio *immensitatem* Dei colligit *ex eius simplicitate et infinitate:* Deus enim simplex mensuram extensionis non patitur et infinitus non potest ulla mensura exhauriri. Acute dicit Aug. (in Ps 30, 2, 7) : «Veritas est Deus. Veritas nec quadrata est, nec rotunda, nec longa. Ubique praesens est». *Omnipraesentia* vero efficitur ex notione *primae causae:* Quum Deus omnipotenti sua virtute omnia proferat et conservet, omnibus existentibus praesens est «per potentiam» et «per praesentiam» (sc. cognitionis et gubernationis directae) ; et quia in Deo potentia et essentia idem sunt, praesens est etiam «per essentiam». Iterum recte Aug. (Ep. 148, 4, 14) : «Deus totus oculus est, totus manus est, totus pes est. Totus oculus est, quia omnia videt ; totus manus est, quia omnia operatur ; totus pes est, quia ubique est». — Immensitas Dei et omnipraesentia formalis utpote aseitatis consecutio est *incommunicabilis.*

ADDIT. *Natura omnipraesentiae divinae.* — 1. Relate *ad praesentiam creaturarum* non est *a) circumscriptiva,* ut corporum, in quibus pars (voluminis) est in parte (spatii) ; ita inepte somniabantur Dei praesentiam audiani et rabbini talmudistae corpus Deo affingentes. *b)* Non *definitiva* ut spirituum sicuti anima est in corpore, vel lex v. g. gravitationis in molibus :

totum in toto et totum in quavis parte. Deus enim nullo spatio terminis continetur, at spiritus ita ; hic tamen praesentiae modus quadamtenus Dei praesentiam illustrat. Sed *c)* est *repletiva.*

2. *Praesentia repletiva divina est sui generis: a)* Est *intima* omnium. Deus ut causa prima rerum (cf. arg. aetiologicum) intime praesens est et ipsi esse rerum et operationi, ergo etiam intellectui et voluntati. Non tamen hac praesentia continetur, nec limitibus arcetur, nec ullo modo inquinatur. Etenim etiam praesentia divina est relatio Dei et mundi, quae *a* Deo est *mere logica*, nullo tactu Deum contingens. *b)* Est *universalis*, tam late patens, quam esse rerum creatarum. Ubi ergo maiore gradu invenitur esse creatum, Deus quoque magis est praesens; utique non entitative, propter simplicitatem enim in Deo non est magis et minus ; sed effective et terminative. Si ergo Deus adesse dicitur in caelo, in domo sua, in anima iusti *(praesentia specialis)*, in humanitate Christi (praesentia specialissima), significatur duntaxat Deum ibi speciali operandi modo, praesertim supernaturali praesentem esse. Deus «ubique est praesentia divinitatis, non ubique est inhabitatione sanctitatis» (Aug. Ep. 187, 5, 16). Hoc sensu etiam dicitur Deus *recedere* vel *abesse:* «quia est praesentior diligentibus, negligentibus abest» (Ambr. in Lc X 20).

Caput 3. De intellectu divino.

Quaeritur 1. de facto, 2. obiecto, 3. modo intellectionis divinae.

§ 28. Existentia intellectus divini.

Statuitur 1. factum ; 2. argumentum nomologicum.

1. Factum. — THES. 1. **Deus est vita absoluta.** *De fide* ex Vat. 3 cp 1 (§ 25, 1) contra materialistas.

EXPLIC. Vita est motus penitus immanens, seu motus, cuius terminus a quo et ad quem est ipsum ens movens (I 18, 1. 2). Actus vitales sunt intussusceptio et expansio (actio ad extra), secundum quarum gradus ordinantur vita vegetativa, animalis, spiritualis, cuius actiones sunt intelligere et velle. — DEMONSTR. **Scr.** *V. T.* multis effert Deum verum et vivum adversus idola gentium mortua ; et Deus et populus per Deum vivum iurant. In *N. T.* Deus est vita, habet vitam a semetipso (Jn 5. 14) ; ipse dat omnibus vitam et inspirationem et omnia Act 17. Est ergo vita absoluta. **R.** *Aposteriori:* Deus dat omnibus vitam ; atqui nemo potest dare quod non habet. *Apriori:* Vivere est perfectius quid quam contradictorium ; ergo non potest deesse Deo enti perfectissimo. Vitam vero divinam esse omni perfectione absolutam, inde colligitur, quod Deus simplex omnino omne quod habet hoc est ; ergo vivere in Deo idem est atque esse ; esse autem divinum est absolutum ; Deus est a se, ergo est etiam vita a se.

THES. 2. **Deus est intellectu infinitus.** *De fide* ex Vat. 3 cp 1 contra materialistas.

DEMONSTR. **Scr.** Omnes s. Paginae enuntiant Deum omnia sapientia creasse et gubernare ; libris Sapientialibus proponitur sapientia aeterna creatrix, et in Verbo incarnato omnes sapientiae thesauri visibiliter apparuerunt. Ex asse scientia Dei tractatur Ps 138 et Sir 42. Summam perfectionem scientiae divinae Scriptura docet relative: «*Non enim cogitationes meae cogitationes vestrae, neque viae vestrae viae meae, dicit*

Dominus. Quia sicut exaltantur caeli a terra, sic exaltatae sunt viae meae a viis vestris, et cogitationes meae a cogitationibus vestris» Is 55. «*Numquid Deo potest comparari homo, etiam quum perfectae fuerit scientiae?*» Iob 22 ; absolute : «*Magnus Dominus noster et magna virtus eius, et sapientiae eius non est numerus*» Ps. 146. «*Deus scientiarum Dominus est*» 1 Reg 2. **R.** Est conclusio argumenti nomologici.

2. Argumentum nomologicum. — 1. *Nomismus tam late patet, quam esse* rerum ; seu quae fiunt et sunt, sive in mundo externo, in macrocosmo, sive intra hominem, in microcosmo, in omnibus ad normam legum diriguntur. *Lex* est unitas in multitudine, seu multorum (= materiale legis) coniunctio in unum (= formale), sive in iis quae sunt (τὰ ὄντα : leges staticae), sive in iis quae fiunt (τὰ γενόμενα : leges dynamicae), sive in iis quae fieri et esse debent (τὰ δέοντα : leges ethicae sensu latiore). Omnis lex iudicio logico enuntiari potest ; legumque complexio ordinem constituit. Quae si considerantur, patet *propositum.* Quae enim in rerum natura sunt vel fiunt, ad leges metaphysicas et physico-chemicas vel biologicas vel psychicas diriguntur ; novum legum genus sunt leges logicae ac noeticae, quibus cognoscibile et cognitio ad se invicem ordinantur ; deinde leges ethicae et aestheticae, quibus quid agendum vel iudicandum ad exemplaria («idealia») sit, praescribitur. Cuius facti tot sunt argumenta, quot *doctrinae,* sive idiographicae sive nomotheticae ; quarum fundamentum ac conditio sine qua non est : omnia esse intellegibilia, seu certis legibus constringi ; et quarum finis est : leges statuere.

2. *Causa legum solum intellectus legifer potest esse.* Lex enim est multorum in unum coniunctio. Atque multa ut elementa ab invicem discernere ac determinare (v. g. diversorum corporum casus versus tellurem), deinde statuere esse iis aliquid commune (v. g. in exemplo : esse in corporibus gravitationem directe proportionatam molibus, indirecte quadrato distantiae corporum), atque referre illa multa ad unum istud, sunt actus dividentis et coniungentis, seu intellectūs. Ceterum quis sibi persuadebit posse existere ordinem sine ordinante, legem sine legislatore?

Materialistae utique *casu,* fortuito atomorum concursu et solutione sescentena sescenties repetitis ordinem universi enatum esse fingunt. — At *a)* quum possibilitatum fortuitarum infinita sit multitudo, etiam *infinite est improbabile* hunc mundi ordinem casu evenisse ; seu nullo modo est probabile, ut calculo mathematico probabilitatis quoque illustrari potest. Imo *b)* etiam probabilitates et atomi eorumque concursus et dissolutiones *ad leges* diriguntur, et igitur legum suarum auctorem clamant : «mens agitat molem». *c)* Est *metaphysice absurdum* omnino ordinem ex confusione, totum ex partibus, ideam ex materia, perfectum ex imperfecto, lucem e tenebris deducere ; effectus enim non potest excedere causam. Quod tamen conatu inepto contendit materialismus. Quo iure ? Nomine veritatis utique, quam se invenisse gloriatur. At veritas ipsa minime est materiale quid !

3. *Causa nomismi sufficiens non est nisi intellectus absolutus subsistens. a) Non est intellectus humanus,* quasi homo nomismum qua ipse naturaliter imbutus est, in mundum proiicat, uti docent cum *Kant* omnes anthropologistae. Nam et leges logicae et categoriae et criterium veritatis sunt normae, ad quas omnis nostra cognitio indeclinabiliter dirigitur ; ergo sunt supra nos. Deinde cognitione similitudo cogniti in cognoscente gignitur ; ergo mundus et mens nostra ad invicem ordinantur, et igitur harmonia idearum et rerum, cognitionis et cognitorum auctorem clamat, qui super utrumque est et utriusque habet potestatem. — *b) Non potest esse idea absoluta abstracta,* quae sui-determinatione dialectica rerum ordinem pro-

gignat *(Hegel)*. Etenim idea in se spectata non potest esse primum ; est enim eo ipso alicuius idea. Deinde non potest esse causa nomismi ; ordo enim non enascitur, nisi elementa ordinis ad unum disponantur, quod est operatio ; at operari sequitur esse ; idea abstracta non existit, ergo non potest operari, neque ordinem proferre. Denique ordo huius universi non est mere logicus, necessitate dialectica evolutus, sed est ordo liber ; aliae enim possunt esse eius elementa, aliaeve leges. — *c)* Ordinis auctor non potest esse nisi *intellectus absolutus subsistens*. Etenim α) *nomismus* non est rebus accessorius, sed *essentiale quid;* nullum est ens, quin legibus aliquibus constringatur : ens et verum convertuntur ; necessitudo ergo entis ad intellectum est transcendentalis (Verit. 1, 1). Ergo res ad leges dirigere idem est atque esse rerum condere ; ordinator rerum idem est atque auctor rerum (et ita argumentum nomologicum in aetiologicum infunditur). β) Mundi legislator constitutiva legum (elementorum discretionem et unitatis relationem) vel in se habet, vel aliunde mutuat ; at *implicat, ut omnes ab alio* mutuent ; ergo existit legislator habens omnia nomologica in se. Iste

4. *Intellectus absolutus* est *a)* complexio perfecta omnium legum normarumque, est perfecta identitas idearum et rerum, cognitionis et cogniti ; seu est *veritas prima* absoluta, fons cuiusvis veritatis et lumen cuiusvis intellectus, prout imprimis ab Augustino celebratur (Civ. XI 10 ; Vera rel. 39, 72 ; Gen. lit. IV 4, 8 ; cf. Prov tot., imprimis 8 ; Bar 3). *b)* Est *legifer* absolutus, qui omnia in numero et pondere et mensura disposuit ; et igitur omnia eius sapientiam clamant (cf. Ps 18. 103. 148). *c)* Est *artifex* absolutus, qui non arido calculo sed suavissime et pulcherrime omnia expressit atque effinxit.

§ 29. Obiecta scientiae divinae.

Deus novit 1. seipsum, 2. existentia, 3. possibilia, 4. futuribilia.

1. Seipsum. — THES. **Deus perfectissime novit seipsum** et materialiter (seu scit quid sit), quod negant materialistae, et formaliter, i. e. habet sui ipsius conscientiam, quod non admittunt pantheistae. *Certum.*

DEMONSTR. **Scr.** In V. T. Deus frequentissime tamquam de se ipso loquens inducitur : «*Ego sum, qui sum*» Ex 3. N. T. docet unam divinam personam notissimam esse alii : «*Nemo novit Filium, nisi Pater, nec Patrem quis novit, nisi Filius*» Mt 11. «*Quae Dei sunt, nemo novit, nisi Spiritus Dei*» 1 Cor 2. **Tr.** Patres praeeunte s. Augustino (Trin XV 14, 13) ex perfectissima Dei scientia de seipso deducunt processionem Verbi seu Sapientiae personalis. **R.** *a)* Si Deus seipsum non novisset quam perfectissime, quantum ad augendam illam scientiam esset in potentia ; atqui Deus ut actus purus nullo pacto est in potentia ad aliquid. *b)* Si Deus non novisset seipsum totum quantus est, intellectus divinus non haberet obiectum proportionatum ; at omnis potentia ad obiectum proportionatum ordinatur.

2. Existentia. — THES. **Deus perfectissime novit omnia, quae praeter ipsum sunt,** etiam minima et abscondita cordium, eaque antequam existunt, etiam libera futura. *De fide* ex ordinaria propositione Ecclesiae.

DEMONSTR. **Scr.** Teste Scriptura Deus novit minima et remotissima : Ipse arenam maris et guttas pluviae et dies saeculi numeravit, altitudinem caeli et latitudinem terrae et profundum abyssi dimensus est (Iob 28); «*numerat multitudinem stellarum et omnibus eis nomina vocat*» Ps 146 ; imo capillos capitis singulorum hominum numeravit Mt 10. Novit abscondita : «*Non est ulla creatura invisibilis in conspectu eius; omnia autem nuda et aperta sunt oculis eius*» Heb 4 ; nihilque familiarius habent hagiographi, quam Deum scrutatorem renum et cordium appellare. Novit futura : «*Domino antequam creata sunt, omnia sunt agnita*» Sir 23 ; et hōc a falsis diis dignoscitur : «*Annuntiate, quae ventura sunt in futurum, et sciemus, quia dii estis vos!*» Is 41. Et formaliter : «*Ecce Domine, tu cognovisti omnia, novissima et antiqua*» Ps 138. Si Litterae s. quandoque ita Deum futura enuntiantem inducunt, *quasi de eis eventuris haesitaret*, recte monet Aug. (in Jn 37, 3) : «Illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas» ; i. e. non omnes Deum praenuntiantem audient. **Tr.** Patres thesim iam vel eo profitentur, quod maximi faciant argumentum e vaticiniis constructum. Pro omnibus sit unus Tert. (Marc. II 5) : «De praescientia vero quid dicam? Quae tot habet testes, quot fecit prophetas» (cf. Aug. Civ. V 1, 9).

R. *a)* Si Deo non essent nota omnia, quae sunt, quantum ad ea esset in potentia. *b)* Vi argumenti nomologici Deus est auctor non modo existentiae, sed essentiae (formarum) omnium : at formae nisi mente proferri non possunt ; ergo antequam existant, a Deo sciantur oportet.

DIFF. Si Deus infallibiliter scit futura antequam eveniunt, omnia, etiam hominum *actus deliberati necessario fiunt*. — RESP. Distinguo : Quae a Deo praevidentur, fieri necessitate consequenti (quam facit res, quae est necessitas consequentiae, et inducit infallibilitatem eventus) : *C*, necessitate antecedenti (quae facit rem, quae est necessitas consequentis, et inducit necessitatem eventus) : *N* (cf. quae de concursu divino dicenda sunt). Si abstrahatur a voluntate divina (quae re eadem est cum intellectu divino), licet dicere cum Hieronymo : «Non ex eo quod Deus scit futurum aliquid, ideo futurum est ; sed quia futurum est, Deus novit» ; et cum Augustino : praescientiā Dei non magis cogi futura quam memoria nostrā praeterita coguntur ; aeternitati enim omnia temporis momenta praesentia sunt.

3. Possibilia. — THES. **Deus novit omnia possibilia.** *Certum.*

DEMONSTR. **Scr.** Litterae s., quum de obiecto divinae scientiae loquuntur, nihil omnino excludunt, immo simpliciter enuntiant non esse impossibile apud Deum omne verbum ; item Deo omnia esse agnita, antequam sunt ; at res ante existentiam sunt mere possibilia. **Tr.** Patres subtilia de hac Dei scientia proponunt, ubi de ideis Dei creatricibus explicant ; praesertim August. (Civ. XI 10 ; cf. § 40, 2).

R. Intellectus divinus ut est perfectissimus, ad omnia cognoscibilia se extendat oportet ; alioqui enim esset in potentia ad quaedam cognoscibilia. Atqui possibilia sunt vere cognoscibilia ; ergo. Accedit quod Deus perfectissime novit seipsum ; ergo non modo ut est in se, sed etiam ut est imitabilis ad extra ; atqui haec ipsa imitabilitas divinae essentiae ad extra est dicio possibilium.

4. Futuribilia. — THES. **Deus novit futuribilia,** seu libera conditionate futura. *Certum.*

EXPLIC. Futuribile est actus liber, qui nunquam ponetur, poneretur autem, si conditio quaedam incederet, quae tamen nunquam eveniet ; e. c. Caius nefarius homo se converteret, si moribundus sacerdotem haberet praesentem. Eiusmodi non esse mere possibilia facile apparebit, si animum ad ea referamus, quae homines vel nunc vel in futuro existentes in quibusdam conditionibus agerent.

DEMONSTR. **Scr.** «*Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius*» Sap 4. *David* de manibus Sauli Ceilam confugiens ex Deo sciscitabatur, num Saulus descenderet Ceilam et num ceilitae se traditurí essent. Utroque affirmato David aufugit et nihil eorum reapse evenit 1 Reg 23. «*Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida! quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere paenitentiam egissent*» Mt 11. **Tr.** Quum *manichaei* quaererent, quare Deus primum hominem creasset quem peccaturum praeviderit, et *semipelagiani* docerent infantes quosdam ideo baptismum et inde salutem adipisci, quod Deus eos si adoleverint baptisari velle praevidisset, Patres hanc Dei scientiam minime negabant et difficultates exinde allatas alio modo solvere conabantur (cf. Aug. Anima et eius or. I 12, 15 ; Nyss. De infantibus qui praemature abripiuntur). Scientiae divinae futuribilium testes sunt omnes ab initio pii *fideles*, dum a Deo bona temporalia oratione petunt, «si ipsis profuerit». Unanimis est etiam *consensus theologorum* quoad factum ; scholarum disceptationes tunc demum incipiunt, ubi de medio in quo Deus futuribilia noverit, et igitur de ambitu futuribilium quaeritur. **R.** Conditionate futura sunt vere possibilia, ergo mentem infinitam et absolutam latere non possunt. Praeterea homines quoque coniectura saltem multa eiusmodi assequuntur, quanto magis Deus, cui ad mundum gubernandum hac scientia maxime opus est.

ADDIT. *Divisio* scientiae Dei respectu obiectorum :

1. Scientia *contemplationis* (sui ipsius), *visionis* (existentium) et *simplicis intelligentiae* (possibilium).

2. *Necessaria:* sui ipsius et possibilium, et *libera:* rerum creatarum, quippe quae libero creationis decreto existentiam accipiant. Huic divisioni, quam thomistae adaequatam habent, *molinistae inserunt scientiam mediam*, i. e. futuribilium, utpote quae ex eorum sententia non est necessaria, quoniam non potest probari animum divinum necessario ferri in conditiones futuribilium ; at neque libera, quandoquidem nunquam existent, ergo libera Dei voluntate non creantur.

3. *Theoretica* et *practica*, sc. quae cognitum tamquam voluntatis divinae obiectum exhibet.

4. Scientia *approbationis* et *reprobationis*. Eam quam secundo loco posuimus, vult intellegi Christus d. ubi damnandis dicit : «Non novi vos» Mt 25.

§ 30. Perfectio cognitionis divinae.

Statuuntur cognitionis divinae 1. perfectio absoluta ; 2. medium in quo cognoscuntur libera ; 3. corollaria.

1. THES. Perfectio absoluta. — *Cognitio divina est absoluta, seu* **Deus est intellectus subsistens.** *Certum.*

EXPL. Omnis actus cognoscendi *unione cogniti et cognoscentis* absolvitur ; quae unio in intellectu creato est accidentalis : cognitum non secundum suum esse, sed secundum suam ideam tantum, intentionaliter cognoscenti unitur. Intellectus subsistens eo insignitur, quod *a)* in eo cognitum et cognoscens non accidentaliter, sed substantialiter et ontologice est unum ; *b)* quod nonnisi distinctio virtualis minor sit inter eius Esse et intellegere : Deus *est* intellectus.

DEMONSTR. **Scr.** «*Ego sapientia*» Prov 8 ; «*Ego sum veritas*» Jn 14. **Tr.** «*In illius naturae simplicitate mirabili non est aliud sapere, aliud esse, sed quod est sapere, hoc et esse*» (August. Trinit. XV 13, 22). **R.** idem efficit quum ex absoluta Dei simplicitate, vi cuius nulla est in Deo distinctio essentiae et potentiarum vel actionum, tum argumento nomologico, cuius thesis est conclusio formalis.

ADDIT. Absoluta perfectio intellectus divini edicit haec :

1. *Cognitio divina est actus purus,* qui ergo omnem transitum a notitia obscuriore ad clariorem, a subiectis ad praedicata, a praemissis ad conclusiones, a partibus ad totum excludit ; est actus unicus, simplex omnino, virtualiter infinite multiplex (Aug. Civ. XI 10 ; Trin. XV 14).

2. *Cognitio Dei est a se;* i. e. Deus ipse est non modo obiectum primarium et formale (res praeter eum existentes vel possibiles sunt obiecta secundaria et materialia tantum), sed et medium omnis suae cognitionis. *Media cognitionis* a Thoma tria distinguuntur (Quodl. 7, 1) : Unum, *sub quo* intellectus videt, quod disponit eum ad videndum ; et hoc est nobis lumen intellectus agentis. Aliud est, *quo* videt, et hoc est species intellegibilis. Tertium est, *in quo* aliquid videtur, et hoc est res aliqua, per quam in cognitionem alterius devenimus, sicut v. g. in effectu videmus causam. Theologis omnibus exploratum est medium sub quo, et medium quo Deus cognoscit, ipsum solum esse ; item medium in quo cognoscit seipsum.

Sed discordant, ubi *de medio* quaeritur, *in quo Deus res existentes cognoscit. Thomistae* docent res creatas cognosci a Deo solum in decretis divinis creationis ; *scotistae* vero et quidam molinistae (Wirceburg.) contendunt eas cognosci a Deo et in divina essentia, et in sua existentia creata a divinis decretis relative independenti, ita ut intellectum divinum terminent quidem, sed non determinent. Quae scotistarum sententia non commendatur, quia cum perfecta aseitate cognitionis divinae vix componi posse videtur ; et etiam inutilis est : putant enim scotistae sic maiorem perfectionem cognitioni divinae vindicari ; at omnis rerum cognoscibilitas utpote ex eorum esse proveniens a solo Dei decreto creationis originem ducit.

2. Controversia thomistarum et molinistarum multo etiam maior movetur, ubi *de medio, in quo Deus futura libera et futuribilia cognoscat,* quaeritur.

Ex *thomistarum sententia* (quorum auctor habetur Dom. Bannesius in commentariis ad Secundam Thomae) «medium in quo» futurorum et futuribilium liberorum sunt *decreta Dei praedeterminativa.* Etenim concursum Dei generalem, sine quo nulla causa secunda etiam libera operari potest, docent esse praedeterminationem physicam, quae natura (non tempore) actus omnes creaturarum etiam liberos praecedit eosque in omnibus partibus efficaciter ad agendum definit et movet. Quum deinde Deus quod tempore vult in effectum deduci, ab aeterno proposuerit, et igitur praedeterminationes quoque ab aeterno decreverit, haec decreta Dei aeterna praedeterminativa sunt medium aptum omnino, in quo futura et futuribilia libera cognoscantur, ita quidem, ut in decretis Dei praedeterminativis absolutis et positivis sciantur libera bona, in permissivis mala, in conditionatis vero futuribilia (cf. § 41, 2).

Molinistae (quibus nomen dedit Lud. Molina), concursus praevii adversarii et simultanei assertores (§ 41, 2), *scientiam mediam* putant esse medium in quo Deus scit libera et futura et futuribilia. Quorum haec est opinio : Deus scientia necessaria novit omnium hominum possibilium omnes actus liberos possibiles, ergo etiam Caium illum moribundum sacerdote praesente posse vel paenitentiam agere vel non. Scientia dein media scit Deus, quid in certis conditionibus re vera ageretur (Caium illum converti) ; libere decernit se aliquam ex conditionibus possibilibus (se missurum Caio moribundo sacerdotem) effectui mandaturum, ergo (scientia libera) scit, quid reapse libere agetur.

Thomistae his utuntur argumentis: 1. Sententia decretorum praedeterminativorum non est nisi *ipsius d. Thomae doctrina* de relatione causae primae ad operationes causarum secundarum quaestioni huic consequenter applicata. 2. *Omnia sunt cognoscibilia secundum quod habent esse;* at futura et futuribilia libera non habent esse in seipsis, neque in causis proximis, sed tantum in decretis divinis, in quibus si non scirentur, omnino non possent cognosci. 3. *Scientia media molinistarum* est impossibilis, quia nullum potest assignari esse, cuius ea esset cognitio, quum tamen omnia eatenus tantummodo cognoscantur, quatenus sunt. Etenim ex opinione recentiorum molinistarum, qui communiter relinquunt veteres («in supercomprehensione voluntatis»: Mol., vel «in voluntate proxime et perfecte expedita» ; his enim ex eorum sententia libertas periclitatur), actus liberi conditionate futuri cognoscuntur in eorum veritate obiectiva repraesentata a divina essentia : Caius si moribundus sacerdotem praesto haberet, aut converteretur, aut non (tertium non datur) ; et illud unum quod e duobus possibilibus infallibiliter eveniret, ab aeterno verum est, ergo ab aeterno Deo praesens et exinde cognitum est. Thomistae opponunt : Caium converti vel non, esse ex mere possibilibus, si abstrahatur vel a conditione iam posita (et revera abstrahendum est ; agitur enim de non existentibus), vel a decretis divinis conditionem statuentibus (qae nolunt admittere molinistae). Ergo si negantur decreta praedeterminativa, conditionate futura nullum habent esse, unde cognoscantur.

Molinistae referunt : 1. *S. Thomae auctoritatem* hac in materia invocari non posse, immo sibi eum favere (I. Stufler : De Deo operante 1923). 2. Theoriā scientiae mediae *facillime solvuntur gravissimae illae quaestiones* praedestinationis et reprobationis, nec non gratiae efficacis, et integra salvatur libertas arbitrii humani. E contra 3. *thomismus multis difficultatibus*

obstruitur: a) Infinitus decretorum conditionatorum numerus, quem thomismus postulat, est ridiculus vel Deo plane indignus. Respondent thomistae antiquiores (Ledesma, Salmanticenses) : vere futuribilia ea esse duntaxat, quorum conditiones vel in causis secundis vel in decretis creationis sunt determinatae, et ea esse numero finito. Recentiores thomistae «ad hominem» dicunt : eiusmodi decretorum conditionatorum multitudo infinita in eodem numero est habenda cum multitudine infinita conditionatorum obiective verorum, quae a molinistis ponuntur. *b)* Praedeterminatio physica non potest cum libertate arbitrii componi. Solutionem vide § 41, ubi de concursu Dei agetur ; item quid respondeatur ad obiectionem ex thomistarum sententia Deum statui auctorem mali.

DIACRISIS. Utraque sententia in pluribus laudanda est : thomistarum, quod absolutam independentiam scientiae divinae, molinistarum, quod libertatem arbitrii quam maxime vindicet. At utraque difficultatibus haud mediocribus premitur, prout ostensum est ; nec quaestionem praedestinationis omnium gravissimam altera altera facilius solvere potest (cf. § 73). Nihilominus thomistarum opinio praeferenda videtur : *a)* Probabiliter enim est exaedificatio sententiarum a s. Thoma, immo a s. Augustino et Paulo inchoatarum de relatione Dei ad creaturas. *b)* Favere videtur tribunal authenticum Ecclesiae, etsi edictis vetitum sit «ne quis partem sibi oppositam censura quapiam notaret» (Paul. V.) *c)* Scientia media maiorem videtur habere difficultatem, quam praedeterminatio physica, quae sunt quasi tessera istarum scholarum, quarum si neutra accipiatur, desperandum plane est de solvendo nodo medii, in quo Deus cognoscat libera conditionate futura.

3. Corollaria. — 1. *Deus est veritas absoluta.* Veritas etenim est adaequatio rei et intellectus. Quum in Deo esse et intellegere omnino idem sit et utrumque omni perfectione absolutum, Deus est plenissima adaequatio intellectus et essentiae suae, seu absoluta veritas et logica et ontologica : «Ego sum veritas» ; et quidem quum *prima* ceterarum veritatum ab eo derivatarum, tum *summa* veritatum omnium quae cogitari possunt (Verit. 1, 2 ; I 16, 6 ; Gent. I 62).

2. *Deus est sapientia absoluta.* Est enim perfecta identitas intellectus et voluntatis ; a sacris auctoribus Deus non modo omnia in sapientia condidisse docetur, sed ipsa sapientia aeterna praedicatur, imprimis Prov 3 ; Sap 7. 8 ; Sir 24.

3. *Deus est pulchritudo perfectissima.* «Gentes aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem et lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt. Quorum si specie delectati deos putaverunt, sciant, quanto his dominator eorum speciosior est ; speciei enim generator haec omnia constituit» Sap 13. Et re vera constitutiva pulchritudinis obiectiva (perfectio cum claritate) summo gradu in Deo inveniuntur, qui ut pulchritudinis auctor et exemplar multum celebratur a s. August. (Conf. X 6 ; Civ. XI 10) et generatim a patribus, ubi «opus sex dierum», opificium mundi interpretantur.

Caput 4. De voluntate divina.

Quaeritur 1. de existentia, 2. de obiecto, 3. de perfectionibus voluntatis divinae.

§ 31. Existentia voluntatis divinae.

Statuuntur 1. factum ; 2. argumentum teleologicum.

1. Factum. — THES. 1. **Deus est voluntas.** *De fide* ex Vat. 3 cp 1.

DEMONSTR. **Scr.** V. T. a splendidissima manifestatione voluntatis divinae, a creatione exorditur, et postea in omnibus angustiis tum practicis tum theoreticis ad omnipotentem et sanctam Dei voluntatem recurrit. Vitae Salvatoris quasi tessera est : «Fiat voluntas tua». V. T. divinae illius voluntatis vim et maiestatem, N. T. misericordiam salvificam maxime praedicat. **R.** *a)* Voluntas est facultas tendendi ad bonum intellectu apprehensum, seu est ordinatio connaturalis naturae rationalis ad suum bonum, atque ideo non potest deesse Deo, intellectui infinito (I 19, 1). *b)* Thesis est conclusio argumenti teleologici.

THES. 2. **Voluntas divina est absoluta.** *De fide* ex eodem Vat. Ergo 1. voluntas divina est *a se;* seu nullum sive obiectum sive motivum suae voluntatis habet nisi seipsum : «*Universa propter semetipsum operatus est Dominus*» Prov 16 ; alioqui non esset ens primum et omni perfectione absolutum. — 2. Est voluntas *substantialis*. Idem est enim in Deo velle et esse ; «*Deus caritas est*» 1 Jn 4.

3. Est *actus purus*, seu absque ulla potentialitate, unico actu simplici et immutabili complectens cuncta desiderabilia. Inde colligitur inesse in Deo amorem et gaudium, quippe quae possint tendere ad bonum possessum : non autem desiderium, spem, audaciam, tristitiam, fugam, iram, timorem, utpote quae ferantur in bonum non possessum et contineant momentum quoddam passivum. Eiusmodi affectus itaque in Scriptura Deo non formaliter, sed modo «secundum effectum et similitudinem» tribuuntur (Gent I 91).

DIFF. Si voluntas divina est absoluta, infinita esse oportet ; at Deus *multa scit quae non vult*, uti mala, multa possibilia quae nunquam existentiā ornabit ; ergo intellectus divinus superegressus est voluntatem divinam. — RESP. Deus *omnia vult eo gradu quo sunt appetibilia*. Mala non sunt appetibilia (sicut nec impossibilia sunt intellegibilia, quin tamen exinde infinitas intellectus divini deficiat). Si vero Deus quibusdam possibilibus non vult existentiam dare, infinitas suae voluntatis non magis afficitur, quam infinitas perfectionis divinae per non-creationem mundi afficeretur.

COROLL. *Deus est summum bonum*. Bonum enim obiective (bonum quod) est idem atque perfectio ; at Deus est cumulata omnium perfectionum complexio adaequate seipsum et mente et voluntate comprehendens (I 6, 2 ; Aug. Trin. VIII 3). Ideo etiam summe beatus (I 26). Bonum subiective (bonum cui) est, «quod omnia appetunt». Inde Deus est summum bonum creaturis ; etenim cuncta suam bonitatem a Deo accipiunt et pro posse viribus ac facultatibus ad Deum tendunt.

2. Argumentum teleologicum. — 1. *Teleologismus seu finalitatis factum est universale. Finalitas* duobis constituitur : fine et directione efficaci mutationum vel eventuum ad finem. *Finis*, elementum materiale

finalitatis est idea pretio insignita, quae ultima phasi seriei mutationum vel eventuum perficitur, at iam ab initio omnia momenta istius seriei dirigit : finis primus in intentione, ultimus in executione. *Directio efficax in finem*, elementum formale (ideo etiam dicitur finalitas, theologia sensu restrictiore) in eo consistit, quod quaepiam phasis seriei ulterior propius ad finem ipsum accedit quam antecedens ; singula ergo momenta efficaciter ad finem assequendum erant ordinata. Hac ratione finalitas est id cuius gratia aliquid fit, τὸ οὗ ἕνεκα.

Factum finalitatis apparet *a) in non-viventibus*, quae singula ad aequilibrium tendunt, omnia simul autem ad hunc mundum (κόσμος) omnibus fatentibus harmonia nobilissima ornatum consituendum diriguntur. *b) Viventia* singula ex semine exiguo et imperfecto ad perfectionem speciei suae effingendam, omnia simul ad ordinem concinnum (ubi plantae animalibus, inferiora superioribus inserviunt) diriguntur. *c) In homine*, qui ut microcosmos est quasi abbreviatio omnis teleologiae et materiae et viventium, nova finalitas sui generis apparet : α) habet potestatem formaliter profitendi finalitatem, eo quod potest sibi fines praestituere et consilio prosequi ; β) est ipse quoque subditus teleologiae singularis plane et maximi momenti, se superiori, cui firmissime adstringitur : legibus moralibus et destinationi religiosae ; cuius argumentum peremptorium est discrimen insuperabile, quod statuimus inter id quod est et id quod esse debet ; cuius signum est praeter conscientiae vocem inextinguibilem etiam desiderium et studium inexstirpabile beatitudinis (ex quo sumuntur argumenta eudaemonologica).

2. Istud teleologiae *factum non labefactatur difficultatibus* mechanismi et evolutionismi s. 19. : *a)* Finalitas *a nobis in rerum naturam infertur*, ita ut ordinem causalitatis efficientis invertamus : terminum mutationum ad initium seriei anthromorphice referentes et finem putantes (Wundt). — At primum *non quivis terminus* a nobis *simul et finis* ponitur ; v. g. mors est quidem terminus, at non finis, in quem teleologice tendat vita. Deinde *vera finalitas* non potest abnegari, ubi α) ultima phasis eventuum vel mutationum evidenter est praestantior prioribus ; β) ubi ista phasis ultima per seriem momentorum continuo magis magisque ipsi appropinquantium, γ) idque etiam contra impetus contrarios ad effectum perducitur.

b) Finalitas est *proiectio egoismi* humani : quae utilia experimur, nostrā gratiā facta esse iudicamus. — At finalitas quam duce Aristotele et s. Thoma statuimus (fines qui, *entelechiae)* longe alia est ab utilitate (fines cui), independens omnino ab aestimationibus egoismi et utilismi.

c) Doctrina physica recentiore docemur omnia evenire agente *serie continua et non interrupta causarum efficientium mechanicarum;* nullus ergo invenitur hiatus et lacuna, cui implendae finalitas inserviret. Quod finalitas dicitur, est ergo effectus seriei infinitae mutationum minutarum, causis efficientibus mechanicis debitarum (evolutionismus darvinista). — At finalitas non est loco causarum efficientium deficientium ; imo eas postulat, utpote quarum ope fines ad effectum perducit. Causae vero efficientes finalem postulant, utpote dirigentem eas ad finem ; neque architectus sine operariis, neque operarii sine architecto aedificium exstruent. Ideo *evolutionismus* quispiam finalitatem directricem causarum efficientium mechanicarum negans nunquam teleologiam naturae explicabit : Wo rohe Kräfte sinnlos walten, da kann sich kein Gebild gestalten.

3. *Teleologiae causa sufficiens non sunt a) materia et viventia irrationalia*, plantae inquam et animalia. Namque teleologismi causa non potest esse nisi voluntas rationalis. Solus enim intellectus potest fines concipere, et sola voluntas potest fines ab intellectu praestitutos prehendere et appretiare, i. e. eos dignos qui ad effectum ducantur invenire (bonum ut appetibile essentialiter ordinatur ad voluntatem ; I 5, 1) ; et sola voluntas potest

operatione motus et eventus ad fines prosequendos dirigere. *b)* At *neque voluntas humana* est causa sufficiens, utpote quae teleologismum et naturae et suae conscientiae non condidit, sed invenit eique obedit, ergo potentiorem se experitur.

4. *Teleologismi causa sufficiens est sola voluntas absoluta.* Etenim *a) finalitas* non est accessorium quid sed *essentiale* entium : ens et bonum convertuntur ; ergo finalitatis procreatio non potest separari ab entium creatione (et sic argumentum teleologicum in aetiologicum infunditur). *b)* Si voluntas aliqua finalitatis elementa et potestatem non habet in se, ab alio ea accipiat oportet. Impossibile est autem, ut omnia ab alio accipiant; ergo *est* ens habens omnem finalitatem in se et a se, seu voluntas absoluta.

5. *Voluntas absoluta est a) perfecta identitas ispus Esse, intellectus, voluntatis;* non enim posset esse prima causa omnis finalitatis, si cogeretur vel ab alio intellectu mutuare ideas praestitutas seu fines, vel vim finium praestitutorum efficiendorum. *b)* Absoluta *sanctitas personalis.* Etenim tunc demum est auctor absolutus ordinis moralis, si sancta voluntate fines et normas religiosas et morales praescribit, et voluntate firma, ergo personali conscientias obligat, et mundi cursum efficaciter ad fines morales dirigit (§ 46). Ex quo efficitur monismum nullo modo posse finalitatis rationem reddere : non materialismus, quia materia voluntate rationali destituitur ; non pantheismus, quia Absolutum impersonale nec ideas morales appretiare potest, nec conscientiam absolute obligare, nec efficaciter ordinem moralem sancire. Ceterum si omnia unius substantiae essent accidentia, unde demum pugna illa inexorabilis boni et mali, sancti et peccati originem sumeret? *c)* Est *absolute perfecta;* tum quia idem est atque Ens absolutum, cui ergo proportionatur ; tum quia finem omnium perfectissimum universo praestituit (§ 42, 1; 62, 4). *Dysteleologiae,* quae in rerum natura inveniuntur, anthorpomorphice tantum (utilismo) sunt negatio finalitatis ; et ipsae enim entelechiis diriguntur. De unica difficultate gravi, *de malo* cf. § 46, 2.

Argumentum teleologicum etiam Scriptura multis celebratur, imprimis Iob 38-41 ; Gen 1-2 ; Sap, praesertim 13 ; Ps 18. 57. 98. 104-6.

§ 32. Obiectum voluntatis divinae.

Consideratur voluntas Dei circa 1. seipsum, 2. alia, 3. malum.

1. Seipsum. — THES. **Deus amat seipsum** *tamquam obiectum primarium et formale suae voluntatis. De fide* ex ordinaria propositione Ecclesiae.

DEMONSTR. **Scr.** V. T. docet Deum omnia fecisse propter seipsum (Prov. 16, 4). N. T. frequenter loquitur de amore, quo ss. Trinitatis personae se invicem complectuntur. **Tr.** Patres, in primis Augustinus, processionem Spiritus s. ex perfectissimo amore Dei erga seipsum deducunt (cf. § 36).

R. Si Deus non amaret seipsum, voluntas divina non haberet *obiectum adaequatum;* atqui absurdum est dicere aliquam facultatem obiecto adaequato carere. Unde apparet istum Dei amorem erga seipsum *non esse egoismum;* egoista enim ea inordinate sibi vindicat, quae aliis debentur ; Deus vero ea diligit, quae sua sunt nec aliis communicari possunt. Insuper amor Dei erga seipsum est fons, unde alia bona quaecunque proveniunt (§ 40, 2); ergo non est egoismus.

2. Alia. — THES. **Deus diligit omnia quae sunt praeter ipsum.** *De fide*

ex Vat., quod (3 c. 5 Deo) sancivit Deum voluntate libera omnia creasse; ergo voluit, ut sint.

DEMONSTR. **Scr.** «*Diligis omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti*» Sap 11 ; «*Deliciae meae esse cum filiis hominum*» Prov 8 (cf. de providentia § 42). **R.** Quae sunt praeter Deum, eatenus tantum sunt, quatenus perfectionem divinam participant ; Deus ergo primarie et per se amans seipsum, secundarie et materialiter amat etiam suas perfectiones in creaturis splendentes (Gent I 75).

QUAEST. 1. *Natura amoris divini erga diversa sua obiecta* est haec : Deus seipsum amat amore complacentiae (personae ss. Trinitatis inter se amore amicitiae) ; creaturae a Deo diliguntur non amore complacentiae, eo minus concupiscentiae (nullo pacto enim Deus creaturis indiget), sed benevolentiae ; iusti etiam amore amicitiae a Deo diliguntur.

2. *Diligitne Deus omnia eodem gradu?* — Non. Etenim dilectio Dei non est ullo modo causata seu ab aliena bonitate excitata, sed ipsa est causa omnis bonitatis et perfectionis. Quibus ergo Deus plus perfectionis donavit, ea plus quoque diligit ; alioqui omnia eiusdem essent bonitatis et perfectionis (I 20, 2. 3). Et ita effective quidem ; entitative vero, seu in ipso Deo considerata dilectio est unicus actus simplex omnino.

3. *Amatne Deus possibilia?* — Videtur quod non ; nam amor fertur in id quod est. Probabilius tamen dicitur possibilia amari a Deo accurate eatenus quatenus sunt, sc. ut imitabilitas essentiae divinae ad extra; quoad impossibilia vero Deo placet, quod (ut monstra logica) non sunt.

3. Malum. — THES. 1. **Deus nullum malum vult propter se.** *Certum.*

Etenim voluntas per se in bonum solummodo fertur ; in malum tantum propter bonum aliquod ei coniunctum tendit, ergo per accidens, vel vero propter speciem boni, quam malum aliquod praebet. Quandoquidem Deus omniscius nulla boni specie decipi potest nec utpote voluntas ullum malum per se intendere potest, relinquitur, ut malum, quum plurimum, per accidens seu propter bonum ei adnexum velit. Et re vera

Deus mala physica (corruptionem anorganicorum et plantarum) *et physica* (dolores et mortem animalium atque hominum) non vult per se. «*Quoniam Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum. Creavit enim ut essent omnia, et sanabiles fecit nationes orbis terrarum*» Sap 1. Nihilominus *potest Deus ea velle per accidens.* Sunt enim hinc quidem mala non in se, sed relate ad maius bonum, illinc vero possunt habere adiunctum bonum propter quod intendi possunt ; corruptiones e. c. coniunctae sunt cum praesenti rerum ordine, quem quia vult Deus per se, propterea vult etiam quorundam perditionem. Dolores et mors autem possunt esse paena peccatorum vel occasio meritorum ; ergo propterea a Deo iustissimo et sanctissimo intendi possunt (cf. § 42).

THES. 2. **Malum morale seu peccatum Deus neque per se neque per accidens vult, sed permittit modo.** *De fide* contra Calvinum : «*Si qu. d. non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera ita ut bona Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium eius opus non minus proditio Iudae, quam vocatio Pauli, a. s.*» Ita Trid. 6 c. 6.

DEMONSTR. **Scr.** «*Non Deus volens iniquitatem tu es*» Ps 5; «*Abominatio est Domino via impii*» Prov. 15 ; «*Nemini mandavit impie agere et nemini dedit spatium peccandi*» Sir 15 ; «*Deus neminem tentat*» Jac. 1. Quamobrem si in s. Litteris quandoque *Deus dicitur quosdam indurare, excaecare,* immo tentare vel eis mali quid mandare, Scriptura pro suo vividiore loquendi modo id unum tantummodo exprimere nititur, neque peccata actioni causae primae subtrahi ; cuius autem indolis sit ea dependentia, non curat; nec permissionis notionem theologicam inducit. Imprecationes Psalmoum (34. 51. 108 etc.) non Deum habent auctorem, sed homines ; Psalmi illi inspirati sunt ut manifestationes zeli domus Domini. **Tr.** Patrum sensum satis manifestant acerrimae pugnae quas *adversus manichaeos* pugnabant ; deinde ubi interpretantur illud Is 45 : «Faciens pacem et creans malum ; ego Dominus faciens omnia haec»; item ubi cum s. Aug. dicunt latius patere Dei praescientiam quam praedestinationem.

R. *Peccatum est malum in* se ; etenim creaturas rationales avertit a Deo auctore omnium et fine ultimo ; quoniam autem Deus in omnibus seipsum vult, nullo modo potest velle aversionem plenam quorundam a se (1II 79, 1-4). Potest tamen permittere peccatum, ut mox probaverimus, ubi de providentia, deinde ubi de peccato originali, de redemptionis decreto et de damno aeterno agemus.

ADDIT. *Divisio voluntatis divinae* ratione obiectorum :

1. Voluntas *necessaria* (Deus ipse et possibilia) et *libera.*

2. *Simplex* et *ordinata* prout fines tantum, vel etiam media intendit.

3. *Absoluta* et *conditionata* (= quae rationem habet operationis creaturarum liberarum). Eo spectat etiam distinctio illa in doctrina de gratia celeberrima voluntatis *efficacis* et *inefficacis.*

4. *Antecedens* et *consequens* ex thomistarum sententia : considerans res, imprimis creaturas rationales vel abstracte vel vero cum omnibus circumstantiis realibus (I 19, 6 ad 1) ; ex molinistarum mente : voluntas Dei spectata ante vel post praevisa merita.

5. *Voluntas beneplaciti:* considerata in se ; et *signi:* considerata in manifestationibus, in signis, quorum quinque enumerat versiculus : praecipit et prohibet, permittit, consulit, implet. Non omnia signa manifestant plenam Dei voluntatem ; confer mandatum Abrahae datum ad immolandum Isaac ; nec semper adeo facile est, imo veram sapientiam exigit, ex signo eruere plenam voluntatem beneplaciti. At falsa omnino et blasphema est interpretatio *calviniana* istius distinctionis, quasi voluntati signi ut manifestae contraria possit esset voluntas beneplaciti ut arcana ; quasi ergo Deus voluntate manifesta velit omnium salutem, arcanā praedestinatorum tantum. — Non est praetermittendum omnibus his divisionibus voluntatem divinam terminative, non entitative considerari.

§ 33. Perfectiones voluntatis divinae.

Statuuntur 1. perfectiones metaphysicae, 2. morales.

1. Perfectiones metaphysicae. — THES. 1. **Deus libere creavit mundum,** seu potuit etiam non vel aliter creare. *De fide* ex Vat. (3 c. 5 Deo) : «*Si quis . . . Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum, a. s.*». *Adversantur* dogmati Abaelardus, Wicleff, Calvinus, monistae, Günther Deum ne-

cessario creasse putantes ; Leibniz optimismum proferens : potuit Deus non creare ; sed si voluit creare, debuit mundum optimum producere.

DEMONSTR. **Scr.** V. T. libertatem Dei in mundo creando et gubernando enuntiat : «*Omnia quaecunque voluit Dominus, fecit in caelo et in terra, in mari et in omnibus abyssis*» Ps 134. N. T. vero liberam Dei voluntatem in ordine supernaturali statuendo et servando praedicat : «*Spiritus ubi vult, spirat*» Jn 3; «*Haec omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult*» 1 Cor 12. Et Paulus utrumque complectitur : «*Operatur omnia secundum consilium voluntatis suae*» Eph 1. **Tr.** Iam apologetae thesim adversus *fatalismum* paganorum vindicant ; postea contra *arianos* statuebant Patrem necessario produxisse Verbum, at libere procreasse mundum ; Augustinus denique libertatem Dei in praedestinatione acriter adversus *pelagianos* asserit (Gen. Man. I 2, 4 ; Civ. XI 24 ; Enchir. 95). **R.** Deus *alia a se eatenus tantum vult quatenus ordinantur ad finem*, qui est sua bonitas infinita ; atqui quae ad finem sunt, tunc tantum necessario intenduntur, si sine ipsis finis obtineri non potest. At Dei bonitas potest esse sine rebus creatis ; ergo non necessario ab eo intenduntur (I 19, 3 ; Gent I 81-3 ; II 27 ss.).

QUAEST. *Natura libertatis divinae.* — Quoniam Deus est actus purus et simplex omnino, libertas quoque ut est in Deo *(entitative)* est actus aeternus et identicus cum divina essentia, ergo necessarius et immutabilis. Iste tamen actus unus aeternus et necessarius terminatur ad creandum vel non creandum, ad hunc vel alium mundum creandum ; ergo *terminative* et intentionaliter est liber libertate et contradictionis (exercitii) et specificationis ; propter perfectissimam sanctitatem nulla est in Deo libertas contrarietatis seu male operandi ; quae in creaturis quoque est quidem signum, sed non perfectio libertatis.

THES. 2. **Deus est omnipotens.** *De fide* iam ex Apostolico : «*Credo in Deum Patrem omnipotentem*».

DEMONSTR. **Scr.** V. T. Dei omnipotentiam in mundo creando, servando, dirigendo maxime asserit : «*Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt*» Ps 148 ; «*Consilium meum stabit et omnis voluntas mea fiet*» Is 46. N. T. idem quoad ordinem supernaturalem affirmat : «*Non erit impossibile apud Deum omne verbum*» Mt 19 ; ideo Deus est «*solus potens*» 1 Tim 6. Universae Litterae s. Deum fortem (אֵל שַׁדָּי) praedicant. **Tr.** Unus sit pro omnibus Augustinus : «Non dico, da mihi christianum, da mihi iudaeum ; sed da mihi paganum, idolorum cultorem, daemonum servum, qui non dicat Deum esse omnipotentem. Negare Christum potest, negare Deum omnipotentem non potest» (Serm. 140). **R.** *a) Unumquodque ens agit secundum quod est actu;* atqui Deus est actus purus infinitus ; ergo infinitam operandi vim habet (I 25, 1-3 ; Gent II 10 ; Pot. 1, 1. 2). *b)* Terminus proprius operationis divinae est *dare rebus ipsum esse* (essentiare, οὐσιῶσαι), ut argumento aetiologico probatur ; atqui esse a non-esse infinite distat : ergo non nisi infinita virtute procreari potest.

QUAEST. *Natura omnipotentiae.* — 1. Haec Dei perfectio vocatur quidem omnipotentia ; at nulla potentialitate afficitur ille, qui est actus purus ; quamobrem est etiam *incommunicabilis* (Gent. II 21).

2. Est re *idem atque libera voluntas Dei*, a qua terminative tantum distinguitur ; dirigitur enim sicut libertas in creabilia, at formaliter ea parte, prout existentiā donantur.

3. Est re *idem cum sapientia atque sanctitate divina*, a qua virtualiter tantum distinguitur. Exinde efficitur

a) Si a theologis distinguitur *potentia Dei absoluta et ordinata*, non licet cum nominalistis et multis ex novatoribus necnon iansenistis absolutam eam dictitare, quae a Dei sapientia et sanctitate abstrahit, quasi vero Deus absoluta potestate possit peccata rata habere et ordinem logicum ac moralem invertere, quod potentia ordinata utique non potest. Sed potentia Dei est dicenda absoluta, quatenus consideratur ante praesentem rerum ordinem, ordinata vero, si spectatur post hunc ordinem institutum; sic v. g. Deus iam non potest mundum diluvio perdere (propter Gen 9, 15).

b) Omnipotentia divina minime exinde coercetur, quod *impossibilia* (logice impossibilis est v. c. circulus quadratus ; moraliter impossibile est peccatum) peragere non potest. Dei enim omnipotentia extenditur ad ea, quae habent aliquam rationem ipsius esse ; atqui impossibilia sunt nihil ; et ideo convenientius dicitur ea fieri non posse, quam ea a Deo peragi non posse (I 25, 3c). Rectissime monet August. : «Deus omnipotens, et quum sit omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest, et quod ait Apostolus, seipsum negare non potest» (Symb. ad catech. I 1 ; cf. Faust. XXVI 5 ; Civ. V 10). Ideo conatus antidialecticorum, imprimis Petri Damiani: «De divina omnipotentia in reparatione corruptae (de qua cf. Hieron. Ep. 22) et de factis infectis reddendis», qui adversus dialecticos s. 11. principium contradictionis coram Deo non valere asseverabant, a theologis communiter improbantur.

COROLL. *Deus habet dominium plenum* in mundum, quum iurisdictionis, est enim rex regum et dominus dominantium, cui ad nutum obediunt omnia, quae sunt coram eo quasi vasa in manu figuli ; tum proprietatis : eius enim est orbis terrarum et omnia quae in eis sunt, titulo tum creationis tum redemptionis. Omne dominium et potestas praeter ipsum originem ducit ab eo, qui est «*rex magnus super omnes deos*» (Ps 94).

2. Perfectiones morales. — THES. 1. **Deus est absolute sanctus.** *De fide* ex ordinaria propositione Ecclesiae.

DEMONSTR. **Scr.** praeter omnipotentiam maxime Dei sanctitatem laudat et commendat, tam negative : Deum odisse omnem iniquitatem et nullo pacto velle peccatum (§ 32, 3) ; quam positive : Deum esse fontem et normam omnis sanctitatis, esse sanctum sanctorum ; «*Sancti estote, quia ego sanctus sum*» Lev 11. Id quod *Christus* d. confirmat, quum exemplar nobis praestituit : «Perfecti estote sicut Pater vester caelestis perfectus est» Mt 5, et orare nos docet : «Sanctificetur nomen tuum». Sanctitatis Dei praeco disertissimus est *Isaias*, ex quo vocatione sua prophetica audire meruit trisagion : «Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth» Is 6. **Tr.** Patres Dei sanctitatem adversus manichaeos vindicant (Aug. Civ. XI 24) et originem Spiritus s. ex sancto Dei amore deducunt.

R. Sanctitas in creaturis ratione praeditis est conformitas et actualis et habitualis cum lege sanctissima Dei ; in Deo per analogiam est constans voluntas Dei conformiter agendi cum suis perfectionibus. Est ergo amor absolutae veritatis, atque ideo consecutio amoris Dei erga seipsum. Praeterea est conclusio argumenti teleologicae ea parte, quatenus rationes sumit ex facto conscientiae et obligationis moralis.

ADDIT. Sanctitas Dei enuntiat omnem perfectionem moralem Deo convenire gradu infinito. Ergo omnes *virtutes* (significatione utique analoga), quae Dei absolutae aseitati non contradicunt, ei attribuendae sunt, quae apte ad tria capita revocantur : ad benignitatem, iustitiam et veracitatem.

THES. 2. **Deus est benignus.** *De fide* ex ordinaria propositione Ecclesiae.

DEMONSTR. **Scr.** V. T. Deum benignissimum esse in mundo creando et conservando praedicat : «*Diligis omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti*» Sap 11 ; «*Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno; aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione*» Ps 144. N. T. incarnationem ut singulare specimen divinae caritatis celebrat : «*Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*» Jn 3. **Tr.** Patres id adversus manichaeos imprimis ex providentia divina evincunt, et benignitatem divinam etiam in paenis infligendis manifestari docent. **R.** Benignitas est bonitas relativa, seu constans voluntas bona aliis tribuendi; ergo est amor, quo Deus in res ab ipso procreatas fertur, quem in Deo necessario inesse probavimus (§ 32, 2).

ADDIT. Benignitas quae plus necessario vel debito dat, est *liberalitas;* quae minus demerito (seu peccato) punit et miseris sublevandis praecipue incumbit, est *misericordia.*

Dei **misericordiam** omnes fere s. Paginae utriusque Testamenti praedicant ; Deut et Is 40—66 sunt quasi evangelia misericordiae V. Testamenti, et illud Psalmistae (135) : «*Quoniam in aeternum misericordia eius*», est quasi versus intercalaris totius oeconomiae sacrae. Christus d. deinde, qui venit bonus pastor quaerere et salvum facere quod perierat, misericordiam semper in ore habet ; cf. parabolam Samaritani, Mariam Magdalenam, Zacchaeum, latronem ; immo «*debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret et fidelis pontifex apud Deum*» Heb 2. Patribus quoque sollemne est illud Aug. : «Maior est Dei misericordia, quam omnium miseria». Misericordia tamen divina est absque imperfectionibus ; apud homines enim misericordem esse significat «quasi habentem miserum cor». «De misericordia, ait Aug. (Quaest. ad Simpl. II 2, 3), si auferas compassionem, ita ut remaneat tranquilla bonitas salvandi et a miseriis liberandi, insinuatur divinae misericordiae qualiscunque cognitio.

THES. 3. **Deus summe iustus est.** *De fide* ex communi doctrina Ecclesiae.

EXPLIC. *Iustitia commutativa* in Deo nulla esse potest : *Quis prior dedit illi et retribuetur et?* Rom 11. Iustitia *legalis* vero virtualiter seu architectonice tantum est in Deo, ea parte nimirum, quatenus essentia et operatio divina identica est cum legibus divinis, omnium ceterarum fontibus. Proprie inest in Deo iustitia *distributiva,* vel potius retributiva : tam remunerativa quam vindicativa.

DEMONSTR. **Scr.** Pragmatismus V. T.-i (cf. Deut) radicibus iustitiae divinae nititur, cuius praecones assidui sunt prophetae, inexorabile Dei iudicium in omnes gentes nunquam non praedicantes. Psalmista quoque affirmat : «*Iustus es Domine, et rectum iudicium tuum*» Ps 118. A Christo d. sermone montano et parabolis de zizaniis Mt 13, de operariis vineae Mt 20, de caena et veste nuptiali Mt 22, de talentis Mt 25, de villico iniquo Lc 16, de servo nequam Mt 18, de decem virginibus Mt 25 docemur

Deum videre in occulto et iuste retribuere (sermo montanus), deinde in fine mundi severe iudicaturum esse cuncta Mt 23—25. Secundum Paulum Deus est iudex iustus in die iudicii reddens unicuique secundum opera sua (Rom 2 ; 2 Tim 4). **Tr.** Patres adversus marcionitas et gnosticos comprobant Deum misericordem N. T.-i eundem esse atque Deum iustum V. T.-i; et quoad difficultatem: quare tot mali praeclare se habeant, quum iusti multi mala patiantur, ad retributionem aeternam remittunt (cf. § 42, 2). **R.** Iustitia est voluntas constans suum cuique tribuendi, seu animus omnia tanti quanti sunt, aestimandi et secundum valorem suum tractandi. Quum Deus sit fons et norma omnis rerum valoris voluntasque eius eadem sit cum lege sua aeterna, ideo Deus ipse et ponit omnium valorem et tractat omnia secundum valorem ab ipso statutum.

QUAEST. *De natura iustitiae Dei* imprimis vindicativae duo errores alius alio gravior enati sunt :

a) Semirationalistae (Stattler, Hermes,) et rationalistae contendunt iustitiam vindicativam repugnare sanctitati vel bonitati Dei ; omnes nimirum paenas esse medicinales. — At revelatio paenas vindicativas imo aeternas identidem affirmat et simpliciter enuntiat : «Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus» Rom 12. Acclamant omnes patres praeter Origenem et fors Nyssenum. Ratione vero perspicitur perfectissimam Dei sanctitatem aversari omni iniquitati, et istam aversationem etiam manifestari debere, odio non inimicitiae quidem, sed abominationis, seu paenis vindicativis. «Non concupiscit Deus paenam reorum tanquam saturari desiderans ultione, sed quod iustum est, cum tranquillitate decernit et recta voluntate disponit». (August. ap. Prosp. Sent. 12 ; cf. 1II 87, 3).

b) Tournely et Liebermann e contra cum s. Anselmo docebant Deum teneri omnem iniquitatem vindicare («aut poena, aut satisfactio» Anselmi). — At divinae iustitiae et sanctitati paenitentia ac contritione peccatoris quoque satisfit (I 21, 3 ad 2 ; III 1, 2).

DIFF. 1. Deus plagis afflixit *Pharaonem et Abimelech propter Sara*, de qua Abraham non plenam veritatem dixerat (Gen 12, 20). — RESP. Deus fidem servavit Abrahae, cui peregrinanti protectionem promiserat ; nec eius mendacium approbavit.

2. Deus *peccata patrum punit usque in quartam generationem* («Patres comederunt uvam acerbam et dentes filiorum obstupescunt» Ez 18). — RESP. Eiusmodi effatis enuntiatur magna solidaritatis lex, necnon experientia obvia simpliciter exprimitur, cui statim sensus emendatior additur : «Anima quae peccaverit ipsa morietur ; filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii» Ez ib.

3. Deus *bona sua singulis et gentibus mensura inaequali distribuit.* — RESP. Deus nullius debitor est, sed omnia bona eius sunt dona et omnis dilectio praedilectio : nullius ergo iura laeduntur. De cetero qui plus accepit, plus etiam ab eo exigetur. De aerumnis iustorum cf. § 42, 2.

4. *Iustitia et misericordia divina inter se pugnant;* iustitia etenim punit pro merito, misericordia infra meritum. — RESP. Iustitia divina est mens constans Dei tractandi omnia pro valore et dignitate. At creaturae omnem dignitatem et valorem a Deo acceperunt ; sc. ex misericordia et praedilectione ; omnis ergo iustitia radicibus quibusdam nititur misericordiae. Deinde de vero valore et indole creaturarum est etiam miseria, qua Deo indigent ; quam si respicit Deus, eas pro valore seu iuste simul tractat. «*Omnes* ergo *viae Domini misericordia et veritas*» Ps 24. Denique nonnunquam aliquid iustitiae repugnare videtur, si conside-

ratur seorsim seu secundum se; at iustum apparet simulatque spectatur secundum totum rerum ordinem.

THES. 4. **Deus est verax et fidelis.** *De fide* ex communi propositione Ecclesiae.

EXPLIC. Veracitas est veritas in loquendo, fidelitas in agendo; veracitas Dei est fidei, fidelitas spei fundamentum.

DEMONSTR. **Scr.** In V. T. Deus apparet ut Deus foederis et ut talis fidem constanter adhibet: «*Ego Jahve et non mutor*» Mal 3 (heb.); «*Non est Deus quasi homo, ut mentiatur; nec ut filius hominis, ut mutetur*» Num 23. Magnum fidelitatis divinae argumentum est pragmatismus historicus in V. T.-o, et in N. T.-o tot vaticinia messiana ad verum perducta. Verbum homo factum hoc testatur: «*Caelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt*» Lc 21. **Tr.** Patres quid de hac materia senserint, produnt, quum argumentum e vaticiniis construunt et adversus priscillianistas veracitatem Dei acriter defendunt, uti August. De mendacio et Ep. 28.

R. Quandoquidem Deus est veritas ipsa subsistens, nec falli nec fallere potest. Testimonium conscientiae moralis quoque suadet Deum auctorem et custodem ordinis moralis, cuius fundamentum est veritas.

Caput 5. De Deo ss. Trinitate.

1. Proponitur mysterium ss. Trinitatis; 2. probatur mysterii veritas; 3. et 4. consideratur eius natura; 5. operatio ss. Trinitatis ad extra, 6. relatio eius ad rationem naturalem explicatur.

Tractatus de Deo trino. S. *Augustinus* De Trinitate II. 15; *Richardus a s. Victore* LI 6 de Trinitate; *Thom* I 27—45; Gent. IV 1—26; D. *Ruiz* De Trinitate 1625; J. *Kuhn:* Die christliche Lehre von der göttlichen Dreieinigkeit 1857; [6]L. B. *Franzelin:* De Deo trino secundum personas 1885; *Scheeben:* Dogm. I; A. *Janssens:* De Deo trino 1900; A. L. *Lépicier:* Tractatus de ss. Trinitate 1902; J. *Muncunill:* De Deo uno et trino 1918. — J. *Lebreton:* Histoire du dogme de la Trinité: I. Les origines 1929; II. De s. Clément a s. Irénée 1928; Th. *de Régnon:* Études de théologie positive sur la sainte Trinité 4 vol. 1892-8; M. *Schmaus:* Die psychologische Trinitätslehre des h. Augustinus 1927; De Liber propugnatorius des Thomas Angelicus und die Lehrunterschiede zwischen Thomas v. Aquin und Duns Scotus. II. Die trinitarischen Lehrdifferenzen 1930. — H. *Schell:* Das Wirken des dreieinigen Gottes 1886; C. *Manning:* Internal mission of the Holy Gost 1875; P. *Gaitier:* La habitation en nous des trois Personnes 1928.

§ 34. Propositio mysterii ss. Trinitatis.

Proponuntur 1. summa mysterii, 2. haereses, 3. propositio Ecclesiae.

1. Summa mysterii. — Trinitas est summum mysterium christianae fidei, κεφάλαιον τῆς πίστεως (Nyssen.); secundum Augustinum (Trinit. I 3) «nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quaeritur, nec fructuosius aliquid invenitur». *Summa mysterii* haec est: «Deus unus trinitas» (Tolet. XI). Quaeritur ergo, quid sit in Deo unum et quid trinum. Respondet Lateranense IV.: unam esse essentiam, naturam, substantiam; tres esse personas, hypostases, subsistentias.

Essentia hic physica intellegitur, seu ipsum Esse divinum, prout

in praecedentibus illustrabatur. *Natura* idem dicit ac essentia ; at ens ut operans magis considerat, natura etenim est «principium quo remotum operandi» ; quum essentia illud ab esse magis affirmet. *Substantia* quae a philosophis definitur ens existens in se et non in alio tamquam subiecto inhaesionis, hic intellegitur essentia entis existentis (III 2, 6 ad 3 ; Pot. 7, 2). — *Hypostasis* seu *suppositum* est ens existens in se et per se, seu substantia completa incommunicabilis. *Subsistentia* significatione concreta idem est atque suppositum, sensu abstracto autem est modus, quo suppositum existit. *Persona* est suppositum rationale, seu dicente Boethio: «rationalis naturae individua substantia» (I 29, 1).

Hic verborum usus pedetentim invaluit, et praecipue *apud graecos* satis diu incertus fuit. Φύσις semper una in Deo esse docebatur ; at οὐσία saepe cum φύσει, saepius cum hypostasi in eodem numero habebatur. *Latini* diu hypostasium trinitatem renuebant, quia hypostasis verbotenus idem sonat ac substantia, quae tamen in Deo una est. E contra graeci ad tempus de persona dubitabant, quia πρόσωπον larvam actorum ipsamque eorum actionem significat, et sabellianismum sapit. A tempore Basilii demum invalescebat illud : μία οὐσία ἐν τρίσιν ὑποστάσεσιν.

2. Haereses trinitariae praecipuae hae sunt :

1. *Monarchianismus*

a) Dynamicus seu adoptianismus orientalis. — Auctores sunt *Theodotus* coriarius et Theodotus nummularius Romae, et *Paulus Samosatenus* episcopus Antiochenus. Doctrina romanorum haec est : Christus est homo, utique sanctissimus, in quo virtus (δύναμις) divina operabatur ; propter merita eximia deinde filius Dei est adoptatus. Secundum Paulum Deus ab aeterno generat Λόγον et Σοφίαν, quae forsitan in eodem numero sunt habenda, et sunt virtutes divinae impersonales (et hoc sensu Deo consubstantiales : ὁμοούσια Pauli) ; Logos deinde in Christo mero homine operabatur. Theodotum Victor papa a. 190 excommunicavit, Paulum synodus Antiochena a. 269 agente potissimum Malchione sacerdote damnavit simul eum sua ὁμοουσίᾳ.

b) Modalis seu sabellianismus. — Auctores sunt *Praxeas*, *Noëtus*, *Sabellius* Romae cca a. 200 ; *Marcellus Ancyranus* a 335, eiusque discipulus Photinus Syrmiensis. Docebant romani hunc in modum : Christus est quidem Deus, at quandoquidem Deus unus est, ille unus Deus (Pater) est incarnatus, et igitur sui ipsius filius factus, et passus atque mortuus ; inde υἱοπάτορες et patripassiani vocantur ; Spiritum s. neglegunt. Sabelliani asiatae contendebant unum eundemque Deum esse Patrem, quatenus creavit mundum et Legem v. dedit ; esse Filium a Christi conceptione usque ad ascensum tamquam redemptorem ; ut Spiritus s. a die Pentecostes usque hodie tamquam sanctificator operatur. Inde tres sunt in uno Deo oeconomiae, energiae, tria πρόσωπα, quasi actiones (szerepek). Adversus Noëtum Hippolytus, adversus Praxeam Tertullianus scripta ediderunt ; *Sabellium Callixtus papa excommunicavit*, et totum sabellianismum Dionysius papa egregia epistola dogmatica ad Dionysium Alex. data confutavit.

2. *Subordinatianismus.* — Auctor est *Arius* presbyter Alex., qui Luciano Antiocheno inhaerens cca a. 318 docere caepit Filium aliquando non fuisse (ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν), non genitum sed factum esse (γενητός, non γεννήτος), esse facturam (κτίσμα) Patris, dignitate utique omnibus creaturis praecellentem et instrumentum creationis. Damnatus est a Nicaeno I. — Semiarianorum seu homoeorum quidam, *Macedonius* nomine simile

quid de Spiritu asserebat, quem facturam Filii dictitabat. Ex eius sententia Trinitas sic constituitur : Unus Deus, unus diaconus, unus servus ; Pater est infinitus et essentia et potentia, Filius finitus essentia, infinitus potentia, Spiritus s. finitus et essentia et potentia. Hi pneumatomachi damnati sunt synodo Alex. a 362/3, a Damaso papa a. 380, et a Constant. I.

3. *Tritheismus.* — Auctor est *Ioannes Philoponus* monophysita cca a. 550, qui illud Aristotelis : tot naturae quot personae, quod adminiculum dederat monophysitismo suo, Trinitati admovere non dubitavit et ita tres Deos statuit : τρεῖς μερικαὶ οὐσίαι). Medio aevo *Roscellinus* canonicus Compendiensis (†1120) nominalista ut erat, solis individuis realitatem tribuit, et tres divinas personas voluntate et potentia tantum unitas esse voluit. *Ioachim a Flore* abbas et forsitan Gilbertus Porretanus († 1164) realismo plus iusto indulgentes realem distinctionem inter personas et essentiam divinam statuebant et inde quaternitatem personarum asserere cogebantur. Damnati sunt a Lateranensi IV.

4. *Antitrinitarii recentiores.* — Rationalistae inde a humanismi temporibus negant Trinitatis veritatem, quam ii qui nunc sunt, ex evolutione religionum mera naturali originem ducere volunt. *Sociniani* seu unitarii cum arminianis adoptianismum quendam proponunt, Christo ceterum modo supernaturali nato, excellentiam hierarchicam tribuentes et Spiritum s. Dei virtutem habentes. *Protestantes* huius temporis sabellianismum plerumque colunt. Ex catholicis *Günther* e philosophia Hegelii tritheismum quendam dynamicum docuit. Theosophorum doctrina quoque Hegelium sapit (cf. I. Hessen : Hegels Trinitätslehre 1922).

3. **Propositio authentica** *mysterii:*

1. *Symbolum apostolicum* ad ss. Trinitatem est dispositum: Credo in Deum : Patrem omnipotentem . . . et in Iesum Christum, Filium Dei unigenitum . . . et in Spiritum s.

2. Concilium *Nicaenum* profitetur «*Iesum Christum Filium Dei . . . unigenitum . . . Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero, natum non factum, unius substantiae cum Patre, quod graeci dicunt homoousion. Eos autem qui dicunt: erat quando non erat, et antequam nasceretur non erat, et quod de non exstantibus factus est, vel ex alia substantia aut essentia, dicentes convertibilem et demutabilem Deum, hos anathematizat catholica Ecclesia*». Constant. I. addit : «*et in Spiritum s., Dominum et vivificantem, qui ex Patre (Filioque) procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur.*»

3. *Athanasianum* complectitur s. Athanasii doctrinam.

4. *Toletanum* est uberrima et accuratissima mysterii expositio.

5. *Lateranense IV.* contra Ioachim : «*Una quaedam summa res est incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quae veraciter est Pater et Filius et Spiritus s., tres simul personae ac sigillatim quaelibet earundem. Et ideo in Deo solummodo trinitas est et non quaternitas: quia quaelibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia seu natura divina, quae sola est universorum principium, praeter quod aliud inveniri non potest. Et illa res non est generans, neque genita, nec procedens; sed est Pater, qui generat, et Filius qui gignitur, et Spiritus s., qui procedit; ut distinctiones sint in personis et unitas in natura. Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus s., non tamen aliud; sed id quod est Pater, et Filius, et Spiritus s., idem omnino; ut secundum orthodoxam et catholicam fidem consubstantiales esse credantur*».

6. *Lugdunense II.* et *Florentinum* processionem Spiritus Sancti a Patre Filioque tamquam ab uno principio sanxerunt.

§ 35. Veritas mysterii ss. Trinitatis.

Statuuntur 1. testimonium V. T.-i, 2. N. T.-i generale, 3. speciale, 4. traditionis.

1. Testimonium V. T.-i. — Convenit inter theologos Trinitatem ex V. T. *formaliter probari non posse*, sed multipliciter insinuari, ita ut a ratione evangelii luce illuminata certo erui possit. Multi deinde scholastici affirmant Trinitatis mysterium formaliter revelatum fuisse patriarchis, Moysi, magnis prophetis ; quod probabiliter quidem dicitur, sed non evincitur. Exploratum denique est V. T. non esse antitrinitarium, prout iudaei nostri contendunt, necnon Christo d. adveniente animas piorum israelitarum iam ad mysterium recipiendum praeparatas fuisse.

Capita doctrinae veteris T. de ss. Trinitate sunt haec :

1. *Locutiones pluralisticae:* «Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram» Gen 1 ; «Venite descendamus, et confundamus ibi linguam eorum» Gen 11, quae non significant colloquium Dei cum angelis vel plane elementis (Philo) habitum ; neque tamquam merus pluralis maiestaticus sunt accipiendae ; sed probabiliter sunt pluralis grammaticus ad subiectum Elohim (cf. § 23, 2), et ideo pluralitatem quandam divinae essentiae innuunt.

2. *Theophaniae.* Inde a primordiis sacrae oeconomiae patriarchis et ducibus populi Israel frequenter apparet *Malach Jahve*, qui in eodem numero cum ipso Jahve nonnunquam habetur et a prioribus Patribus plerumque Verbum aeternum intellegebatur. Ex quo autem ariani iis locutionibus subordinatianismum suum fulciebant, Patres locos illos de aliquo angelo locum Dei tenenti interpretabantur. At minime neglegendum est Messiam Is 6 dici magni consilii Angelum (heb. malach) et Mal 3 Angelum Testamenti; videtur ergo per Malach Jahve saltem leviter alia a Jahve persona divina significari.

3. *Messias* qui certo ut persona distincta a Jahve exhibetur, quandoque dicitur Deus : Immanuel, Deus fortis Is 7. 9 ; «*Egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis*» Mich 5. Deinde messiana semper habebantur illa Psalmistae : «*Dominus* (Jahve) *dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te*» Ps 2 ; *Dixit Dominus Domino meo: Ex utero ante luciferum genui te*» Ps 109.

4. *Locutionibus hypostaticis Sapientialium* (imprimis Prov 8, Sap 7-10, Sir 24, Iob 28, Bar 3) Sapientia aeterna non modo quasi personam agens inducitur, sed formaliter ut persona exhibetur : «*Nondum erant abyssi et ego (sapientia) iam concepta eram; ante colles ego parturiebar . . . Cum eo (Deo) eram, cuncta componens, et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, et deliciae meae esse cum filiis hominum*» Prov 8. Simile quid saepius de verbo Dei (cf. *memrah* targumim) edicitur Ps 28 ; Sap 18 etc.

5. Multae per totum V. T. obviam sunt *indicationes et locutiones trinitariae*, veluti trisagion apud Is 6, trina benedictio Num 6 ; tria festa principalia, tria prima mandata decalogi, tres partes tabernaculi. Quandoque quasi formaliter Trinitas enuntiatur : «*Deus patrum meorum . . . qui fecisti omnia verbo tuo . . . da mihi sedium tuarum assistricem sapien-*

tiam! . . . Sensum autem tuum quis sciet, nisi miseris spiritum tuum de altissimis?» Sap 9.

2. Testimonium generale N. T.-i *de ss. Trinitate:*

1. Ingrediente Domino mundum angelus nuntiavit Mariae : «*Spiritus s. superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*» Lc 1. Quibus verbis Trinitas clare docetur ; sed non adeo distincte edicitur personalitas Spiritus et consubstantialitas Filii.

2. Ineunte vita publica Christi d. : Post baptisma Iesus confestim ascendit de aqua. Et aperti sunt caeli et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam et venientem super se. Et vox de caelis dicens: «*Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*» Mt 3 ; quod est ergo quasi theophania ss. Trinitatis.

3. Exeunte vita publica Dominus orat : «*Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis... Quum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*» Jn 14. Quibus trium et distincta personalitas et consubstantialitas, ergo etiam divinitas, clare docetur.

4. Egrediens e mundo Dominus mittit apostolos : «*Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus s.*» Mt 28. His verbis et personarum distinctio (etiam Spiritus s. in eodem numero cum Patre et Filio habetur) et divinitas («baptizare»; ergo vitam supernaturalem propria potestate conferunt) et unitas (in nomine, εἰς τὸ ὄνομα) aperte proponitur (de genuinitate cf. § 89, 1).

5. Apostoli : «*Gratia d. n. I. Christi, et caritas Dei et communicatio Spiritus S. sit cum omnibus vobis*» 2 Cor 13. «*Petrus . . . electis secundum praescientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam et aspersionem sanguinis Iesu Christi*» 1 Pet 1.

5. *Comma Ioanneum* 1 Jn 5, 7. — In exordio capitis apostolus dicit : Ille vincit mundum, qui credit Iesum Christum esse Filium Dei, qui venit per aquam et sanguinem ; et Spiritus testificatur Christum esse veritatem ; et prosequitur v. 7. : «*Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in caelo: Pater, Verbum et Spiritus s.; et hi tres unum sunt* (ἕν εἰσιν) ; v. 8. : Et tres sunt, qui testimonium dant in terra : Spiritus et aqua et sanguis, et hi tres unum sunt (εἰς τὸ ἕν εἰσιν)». Cuius commatis quanta sit vis probandi, non est exploratum, quum non constet, utrum in testimonii an essentiae unitate tres illi testes caelestes conveniant. Immo et de authentia vehementer disceptatur. Congregatio Off. a. 1897 ad quaestionem, num authentia commatis tuto in dubium vocari possit, negative respondit. Theologi fere omnes persuasum sibi habent, praesertim ex quo mens Congregationis litteris card. Vaughan palam facta est, solum authentiam dogmaticam (quae analogia biblica et traditione fulcitur) non posse tuto negari ; auctoritatem vero Ioanneam, quam exegetae haud pauci gravibus argumentis impugnant (praesertim : non appellatur a Patribus in pugnis contra arianos ; deest in vetustissimis codicibus Vulgatae ; a Priscilliano cca a. 380 illud insertum putatur), aliis non improbabiliter eam defendentibus (probabiliter invocatur iam a Tert. Prax. 6 et Cypr. Un. ecl. 25), esse

quaestionem peritis relinquendam. Solida probatio biblica, eo minus veritas dogmatis ss. Trinitatis, nullo pacto his periclitatur.

3. Testimonium speciale ss. Litterarum de ss. Trinitate.

1. *Pater.* — Deus in s. Scriptura persaepe pater creaturarum, imprimis hominum et iustificatorum appellatur. Sensu vero trinitario est Pater Iesu Christi, qui ut christologia comprobat, est secunda persona ss. Trinitatis incarnata. Et hoc sensu trinitario Patrem verum esse Deum manifestat Dominus : «*Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum*» Jn 17. Patrem esse personam apparet vel ex ipso nomine, quod ex usu communi est personale, et evincitur attributis et operationibus personalibus, quae passim ei attribuuntur (loquitur, mittit, mandat, diligit etc.) ; esse personam distinctam a Filio, inde efficitur, quod Filius a Patre distinctus esse mox ostendetur.

2. *Filius.* — In s. Litteris saepe homines imprimis iusti filii Dei nominantur : «Dii estis et filii Excelsi omnes» Ps 81. At Christus *sensu* multo excellentiore, *metaphysico* Filius Dei vocatur (§ 52, 2). Hunc *Filium a) esse personam* evincitur primum iam vel e nomine Filii, quod est personale ; deinde eo quod cum aliis personis : Moyse, Baptista, angelis, David et prophetis comparatur ; denique ex eo quod opera personalia edit docendo, mandando, mittendo etc. — *b)* Filium *esse Deum* probatur eo quod est Filius naturalis seu sensu metaphysico ; quum enim divinitas dividi nequeat, Filius divinam essentiam integram possideat oportet. Deinde Filius ut secunda Trinitatis persona idem est atque Iesus Christus; omnia ergo quibus Christus verus Deus esse comprobabitur (§ 52), evincunt Filii deitatem (ibidem etiam difficultates examinabuntur). — *c)* Filius est *persona distincta a Patre.* Etenim ut «ego» se opponit Patri ; dein Pater est mittens, generans, Filius missus, genitus ; postremo id iam vel ipsis nominibus indicatur ; maxime enim ineptum videtur, ut aliquis sui ipsius filius vel pater dicatur, ut υἱοπάτορες somniabant.

3. *Spiritus Sanctus.* — *a)* Spiritus s. *est persona.* Spiritus Dei in V. T. inde ab exordio ut virtus divina creatrix et vivificans exhibetur ; porro ut fons charismatum, imprimis prophetiae ; postremo ut bonum temporis messiani, immo ut cumulata omnium bonorum messianorum complexio (Is 44, 1-3 ; Ioel 2, 28 ; Ez 37, 14 etc.). Ita saepe et in N. T.-o. Nihilominus in N. T.-o exhibetur etiam ut persona : Primum a synopticis et a Ioanne cum articulo determinato ponitur : τὸ πνεῦμα, τό ἅγιον ; quod licet sit nomen generis neutrius, pronominibus generis masculini personam significantibus appellatur : ἐκεῖνος. Deinde παράκλητος, i. e. consolator, advocatus nuncupatur ; quae sunt appellativa personalia. Tum actiones personales eidem tribuuntur : apud synopticos docet, defendit apostolos, loquitur pro eis ; in Actibus (qui aptissime evangelium Spiritus s. vocantur), detegit mendacia, segregat ministros, eligit episcopos ; apud Ioannem et Paulum veritatem testatur, suos consolatur, sanctificat etc. Denique Mt 28 et Jn 14 in eodem numero cum Patre et Filio habetur, qui certo sunt personae.

b) Spiritus s. *est Deus.* Etenim proprietates divinae ei apponuntur ;

omniscientia : omnia enim scrutatur, etiam profunda Dei 1 Cor 2 ; omnem veritatem docet Jn 15 ; omnipotentia : est fons charismatum, auctor incarnationis ; omnipraesentia : ubi vult spirat, iustificatis inhabitat ; absoluta sanctitas : est sicut Christus auctor iustificationis, nec patitur mendacium vel ullum peccatum et cultu divino est honorandus : Spiritus blasphemia non remittetur neque in hoc saeculo, neque in futuro Mt 12. Formaliter Deus dicitur : «*Cur tentavit satanas cor tuum mentiri te Spiritui s. . . ; non es mentitus hominibus, sed Deo*» Act 5. «*Spiritus est Deus*» Jn 4.

c) Est *persona distincta a Patre et Filio.* Etenim in eundem numerum cum Patre et Filio refertur, qui sunt personae distinctae, ergo eiusdem etiam est dignitatis ; deinde iis opponitur ut missus mittentibus et ut datus dantibus, est ergo alius ab eis.

4. *Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt unus Deus.* — Etenim *a)* N. T. licet Trinitatem divinam dilucide proponat, monotheismum tamen V. T.-i asseverare pergit. *b)* Eadem est trium actio : creatio, vivificatio modo Patri, modo Filio, modo Spiritui tribuitur ; inhabitatio in iustorum animis nunc Filio, nunc Spiritui, interdum tribus simul addicitur ; inspiratio prophetarum alias Patri, alias Spiritui vindicatur ; «*non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; quaecunque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit*» Jn 5. At operari sequitur esse : si unica est trium operatio, unica est etiam natura, seu principium quo operandi. Id etiam formaliter enuntiatur : «*Ego et Pater unum sumus*» (ἕν ἐσμεν) Jn 10 ; item in mandato baptismatis : in nomine (εἰς τὸ ὄνομα) Patris et Filii et Spiritus s.

4. Testimonium traditionis.

Qui ex protestantibus liberalibus nunc temporis dogmatum historiam colunt, Patres antenicaenos immo haud paucos postnicaenos vel sabellianismo vel subordinatianismo indulsisse iactant. Quod equidem verum non est ; id unum tantum fatendum, quosdam non satis subtiliter et accurate locutos vel etiam philosophatos esse ; paucissimos, non vere Patres (Hermas, Iustinus, Origenes) etiam defecisse. De cetero *ante oculos habendum est:* 1) locutiones quasdam subordinatianismum sapientes propter originis successionem et propter missiones verum et orthodoxum posse habere sensum ; veluti si Pater ὁ θεός, αὐτόθεος, Filius θεός, vel θεὸς ἐκ θεοῦ, vel vero Deus secundi ordinis, et Spiritus s. Deus tertio loco dicatur ; item si Verbum e Patre in creatione mundi, Spiritus vero in sanctificatione et ad sanctificationem exiisse dicatur. 2) Non est praetermittendum, quod Athanasius ad excusandum Origenem monet : diligenter expendendum esse quid θετικῶς ut traditionis testes, quidve γυμναστικῶς in mysterii rationes altius investigantes dixerint. Si denique 3) sublimitas et novitas mysterii nec non debilitas ingenii humani et linguae respiciatur, difficultates quibus liberales insistunt, evanescunt, et mira apparebit Patrum in mysterio tam grandi asserendo concordia.

1. *A primordiis usque ad sabellianismum* invalentem (cca a. 200). — Ecclesia quum *practice* fidem suam profitebatur : *a)* In nomine Patris et Filii et Spiritus baptizando (Didache 7), symbolum Apostolicum et fidei professiones (Iustin., Theophil., Iren.) ad Trinitatis normam redigendo, doxologiis Trinitatem celebrando, eiusque fidem per martyres etiam publice profitendo ; tum theoretice eam protestabatur : *b)* Ex *Patribus*

apostolicis Clemens Rom. tres personas divinas invocat, easque tamquam obiectum fidei et spei exhibet; Ignatius et Barnabas formulis trinitariis frequenter utuntur. *Hermas* Filii divinitatem asserit quidem, sed eum a Spiritu non satis distinguere videtur. *c)* Apologetae; *Athenagoras:* «Quis non miretur, quum atheos vocari audiat eos qui Deum Patrem et Filium Deum et Spiritum s. asserunt, ac eorum et in unione potentiam et in ordine distinctionem celebrant?» (Legat. 10). *Theophilus* primus verbum trinitatis (τριάς) habet (II 15). *Iustinus* pariter eo atheismi accusationem reicit, quod christiani opificem universi et Iesum Christum veri Dei filium secundo loco et Spiritum propheticum tertio ordine habentes colant (Apol. I 13). Qui quidem una cum Theophilo et Tatiano syro (cca a. 160) fidei christianae sincerus est testis; sed quum hi tres relationem Verbi ad Patrem philosophice tractaturi doceant Verbum ante creationem fuisse in Patre (λόγος ἐνδιάθετος), et ad mundum creandum exiisse (λόγος προφορικός), minus recte sentiunt.

2. *A sabellianismo usque ad Nicaenum.* — Simulatque monarchianismus surrexit, acerrimos et doctissimos impugnatores invenit Tertullianum et Hippolytum. *Tertullianus:* «Nos unicum quidem Deum credimus... *Custodiatur oeconomiae sacramentum, quae unitatem in trinitatem disponit, tres dirigens: Patrem et Filium et Spiritum s. Tres autem non statu sed gradu, nec substantia sed forma, non potestate, sed specie*» (Prax. 2). *Hippolytus* et adversus Noëtum (10. 14) et in Philosophumenis (X 32. 33) fortiter sabellianos impugnat; at probabiliter et ipse in errorem impingit non satis asserendo Filii cum Patre consubstantialitatem, probabiliter ditheismum docens. Deinde et ipse et Tertullianus minus recte putant Verbum esse quidem ab aeterno a Patre conceptum, sed tempore propter creationem genitum. *Origenes:* Iesus Christus «*incarnatus est, quum Deus esset, et homo factus mansit quod erat, Deus . . . Tum deinde honore ac dignitate Patri et Filio sociatum tradiderunt* (apostoli) *Spiritum s.* In hoc iam non manifeste discernitur, utrum natus an innatus (γεννητός vel ἀγεννητός, ita Rufinus; secundum Hieronymum autem Origeni quaesitum erat, num γενητός vel ἀγενητός, i. e. factus, nec ne dicendus sit) vel Filius etiam Dei habendus sit necne» (Princip. praef. 4). Quamvis ergo et hic et in Commentariis nihil maius vel minus esse in Trinitate asseveret, a Hieronymo et aliis nihilominus subordinatianismi est accusatus, excusatus tamen non modo a Rufino, sed etiam ab egregio discipulo *Gregorio Thaumaturgo,* qui et ipse in Expositione fidei (a simplicibus etiam fidelibus recitata, ut Nyssen. narrat de avia sua Macrina) testatur: «Unus Deus Pater Verbi viventis . . . Unus Dominus solus ex solo, Deus ex Deo . . . Unus Spiritus s. ex Deo subsistentiam (ὕπαρξιν) habens. Trinitas perfecta, quae gloria et aeternitate et regno non dividitur, nec alienatur». *Dionysius papa* in epistula dogmatica (cca a. 260) data ad Dionysium Alexandrinum (qui minus caute Filium ποίημα et γενητόν dixerat, sed a papa edoctus hanc suam sententiam retractavit) non modo sabellianismum repellit, sed etiam arianismum et tritheismum praedamnat.

3. *Post Nicaenum.* — Nihil igitur mirum, quod quum ineunte s. 4. magna de consubstantialitate Filii cum Patre quaestio moveretur, Patres Nicaeni cum s. *Athanasio* ad unanimem Patrum praecedentium doctrinam adversus Arium provocarunt. Ὁμουσία Filii cum Patre, quam Nicaenum definivit, secundum Athanasium est ἑνότης τῆς οὐσίας. Nec aliter sentiunt *Cappadoces*, qui a multis liberalibus homoeusianismi insimulantur. Etenim Basilius eum qui tres deos asserat anathematizat, immo nec christianum vult habere (Epist. 189) ; Nazianzeni est illud : «*vix dum unum nominavi, tribus circumfulgeor*» (Or. 40) ; Nyssenus tractatum composuit, qui inscribitur : «Quod non sint tres dii».

Eodem tempore *dogma Spiritus Sancti* quoque definitum est. Quum enim Macedonius arianorum placita ad Spiritum s. extenderet, Athanasius omnibus magnis Patribus acclamantibus Spiritus s. divinitatem et consubstantialitatem tribus epistulis ad Serapionem Thmuitanum strenue asseruit, quod Constant. I. confirmavit. Totam doctrinam dogmaticam Trinitatis complectitur Athanasianum ; eruditionem vero Patrum ad perfectum ducit mirum Augustini opus de Trinitate, cui egregiis monographiis accedunt Novatianus, Didymus et Hilarius «De Trinitate», et Cappadoces «Contra Eunomium» sublimiter disserentes.

§ 36. Processiones trinitariae.

Statuuntur 1. existentia, 2. natura processionum, 3. corollaria.

1. Existentia. — THES. **In Deo sunt duae processiones aeternae, substantiales, immanentes : alia generatio, qua Filius a Patre procedit, et alia spiratio seu simpliciter processio, qua Spiritus s. a Patre et Filio ut ab uno principio unica spiratione procedit.** *De fide.*

Athanasianum habet haec : «*Pater a nullo est factus nec creatus, nec genitus. Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus s. a Patre et Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*». Florentinum adversus graecos schismaticos pertinaciter negantes Spiritum s. procedere a Patre *et* Filio, innovat doctrinam Lugdunensis II. : «*Spiritus s. aeternaliter ex Patre et Filio, non tamquam ex duobus principiis, sed tamquam ex uno principio, non duabus spirationibus sed unica spiratione procedit*».

DEMONSTR. **Scr.** et **Tr.** 1. *Pater est «ingenitus*, principium sine principio» Florent. Scriptura id materialiter (aequivalenter) docet Patri nusquam ullum principium tribuendo. Patres vero Deum Patrem aeternum ἀγέν(ν)ητον, ἄναρχον, ἀναίτιον identidem affirmant.

2. *Filius a Patre per generationem procedit.* Scriptura hoc omnibus comprobatur, quibus secunda persona filius Dei naturalis, filius sensu metaphysico evincitur. Formaliter proponitur, ubi allegatur et authentice exponitur illud Psalmistae: «*Ego hodie genui te*»; et: «*Ex utero ante luciferum genui te*» (cf. Heb 1). Confirmatur eo, quod sicut Pater archetypus praedicatur omnis paternitatis («Flecto genua mea ad Patrem d. n. I. Ch., ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur» Eph 3), ita et Filius prototypus omnis filietatis habetur : «*Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus*

in multis fratribus» Rom 8. Unanime traditionis testimonium complectitur s. Augustinus : «Ideo quippe Filius, quia genitus» (Trinit. V 6). Adversus arianos vero Patres probant generationem illam esse aeternam, necessariam, spiritualem (cf. I 42, 2).

3. *Spiritus s. a Patre Filioque procedit.* Spiritum s. procedere a Patre a nemine unquam in dubium vocatum est, et expressis verbis Scriptura docetur : «*Quum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*» Jn 15.

Scriptura (contra graecorum schismaticorum sententiam) docet Spiritum a Filio quoque procedere : *a)* Tertia persona ss. Trinitatis frequenter *Spiritus Filii* dicitur. Atqui tam constans relatio in divinis non potest habere fundamentum nisi in processione ; alioqui esset praedicatio identitatis substantialis, et posset converti et dici : Filius Spiritus Sancti. Accedit quod in formulis trinitariis Spiritus s. constanter tertio loco habetur. *b) Spiritus s. saepe dicitur mitti a Filio* et nunquam contra. Atqui mittere ille solum potest, qui in mittentem habet aliquam potestatem. Quia autem Spiritus est Deus verus, nulla potest Filii potestas in Spiritum cogitari, praeter eam, quae in origine fundatur ; Pater recte ideo non mittitur, quia est absque origine (§ 38, 3). *c)* Spiritus s. *a Filio docetur:* «*Quum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. . . De meo accipiet et annuntiabit vobis. Omnia, quaecunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: Quia de meo accipiet et annuntiabit vobis*». Jn 16. Quum enim Deus sit actus purus simplex omnino, doceri et accipere in divinis non potest alio modo intellegi atque habere per processionem immanentem et aeternam. Iisdem Domini verbis id quoque indicatur Patrem et Filium unum esse principium Spiritus Sancti («quaecunque habet Pater, mea sunt»; cf. «ego et Pater unum sumus»). His enim indicatur Patri et Filio omnia communia esse praeter ipsam paternitatem et filietatem ; ergo etiam spirationem, qua Spiritus procedit.

Latini inde a Tertulliano unanimiter docent Spiritum a Patre Filioque procedere (Tert. Prax. 4 ; Hilar. Trin. II 29 ; Aug. Trin. IV 20 ; in Jn 99, 6 ss.). Ad graecos quod attinet, rem iam *Origenes* docet (in Jn 2, 6) et distincte proponit *Athanasius:* Quaecunque habet Spiritus, a Verbo habet (Arian. 3, 24) ; Christus est fons Spiritus Sancti (Incarn. c. Arian. 9). *Basilius* divulgat illam formulam : ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ (De Spiritu s. 18, 45), eamque multis commendat *Nazianzenus*, qui maxime praedicandam iudicat illam catenam auream, quae unam personam alii coniungit, multumque ab eo celebratur κίνησις τῆς μονάδος εἰς τριάδα (Or. 42, 15) ; *Nyssenus* vero Trinitatem tribus facibus comparat, quae altera ab altera accenduntur Maced. 6). Idem et *Didymus, Epiphanius, Cyrillus Alex.* profitentur. Quum ergo occidentales primum in Hispania et Gallia (post a. 510) verbum Filioque insererent symbolo Nicaeno, adversus cautionem Ephesini de symbolo non mutando quidem egerunt, propterea a Leone III. correpti, sed fidem nullo pacto novari volebant, imo veterem exprimebant.

R. Revelatione docente in uno Deo sunt tres personae consubstantiales inter se distinctae. Quum autem tres illae personae sunt una eademque substantia divina, non possunt distingui nisi eo quod *unam eandemque hanc substantiam divinam diversis modis possideant.* Qui diversi modi in eo sunt quaerendi, utrum divina natura seu substantia possideatur a se vel vero ab alio. Ex quo efficitur, ut *una* tantum persona divina naturam divinam habeat a se, seu sit absque principio (si alia quoque eam haberet a se, non distingueretur a prima) ; duae vero ab alio eam possideant oportet, idque modis iterum diversis ; alioquin, si eodem modo ab alia eam haberent, non distinguerentur ab invicem. At habere substantiam ab alio, idem audit quod procedere ; est enim processio origo unius ab alio. Ergo in Deo necessario sunt processiones, eaeque duae. — Processiones illas esse *aeternas, immanentes* seu quarum terminus manet in principio a quo, et *substantiales* seu quarum et actio et terminus processionis idem est atque divina substantia, ex eo colligitur, quod in Deo, actu puro simplici omnino nulla est distinctio realis actionis et essentiae.

DIFF. Si duae personae divinae procedunt, tunc *sunt ab alio*, quum Deus sit ens a se ; ergo non sunt divinae. — RESP. Singulae personae Trinitatis unam eandemque substantiam divinam possident quae est «una quaedam summa res» a se ; et reduplicative duntaxat, ut personae, sunt ab alio. At esse ab alio non eo ipso significat produci ab alio. Personae etenim originantes sunt quidem principium personarum originatarum, sed non causa ; sicuti et punctum est lineae principium, non tamen causa (Gent. IV 15 ad 9).

2. Natura. — THES. **Generatio est actus intellectionis, spiratio actus voluntatis divinae.** *Conclusio theologica certa.*

EXPLIC. Ponitur hic quaestio de «principio quo» proximo processionum. Non est dubium, quin *principium quod* processionum sint personae originantes ; seu principium quod generationis est Pater, principium quod spirationis Pater et Filius tanquam unus spirator ; actiones enim sunt suppositorum. *Principium quo remotum* processionum ex communi theologorum sententia est natura divina ; accurate autem, ut thomistae recte docent : principium quo remotum generationis est natura divina ut possessa a Patre, spirationis, ut possessa a Patre et Filio simul. *Principium quo proximum* processionis divinae est ea facultas divina, cuius terminus formalis est persona divina procedens (I 41, 5).

DEMONSTR. **Scr.** et **Tr.** *Filius* in fontibus revelationis nominatur *Verbum*, Λόγος ; verbum autem ut signum mentis manifestativum proprie productum intellectus asserit. Deinde vocatur *Sapientia:* «Ego Sapientia ex ore Altissimi prodivi» Sir 24 ; at sapientia ab omnibus perfectio intellectus habetur. Denique dicitur *Imago* et Splendor Patris ; at rerum imaginem, similitudinem internam rei producere intellectūs est. Ex quo iam Tertullianus infert : «Pater generat Verbum, quum seipsum dicit». — *Tertia Trinitatis persona* nomen proprium habet *Spiritum;* spiratio autem e vita animali ad spiritualem analogice translata voluntatis et affectuum manifestationem proprie praedicat : amorem, odium, furorem spirare etc. Deinde est spiritus *Sanctus;* sanctitas autem est excellentia voluntatis. Tum *Donum* dicitur ; at donare est voluntatis. Denique est *Amor* (osculum) Filii et Patris ; amor vero est effectus formalis voluntatis (I 37).

R. *Ratione theologica* natura processionum praelucente s. Augustino (Trin. praesert. IX 12, 18) et Thoma (Gent I 27-43 ; IV 11. 19) hunc in modum illustratur : Processiones sunt actus vitales. *In Deo Spiritu puro actus vitales sunt intellegere et velle.* At intellectus quando cognoscit, producit verbum mentis internum, quod ad extra saepe manifestatur imagine exhibenti terminum cognitionis ; voluntas vero quando agit, amorem inde conceptum (qui est effectus formalis cuiusvis voluntatis) suspirio interno exprimit, et nonnunquam pignore dato ad extra manifestat. Productum et mentis et voluntatis in creaturis est accidens intelligentis et volentis ; imago et pignus vero sunt separata (producta non immanentia, sed transeuntia). In Deo autem si existit intellectio et voluntas productiva (quod ex revelatione dogmatis ss. Trinitatis constat), verbum internum, quo Pater edicit perfectissimam illam sui cognitionem, et suspirium, in quod Pater et Filius suum castissimum inspirant amorem, necessario sunt substantiales et immanentes ; etenim in Deo nullum potest inveniri accidens. Et quia in omni processione originatum re distinguitur ab originante, Verbum re distinguitur a Patre dicenti et Spiritus a Patre Filioque spiranti ; sunt ergo producta communem cum producente habentes substantiam, eam tamen possidentes ut communicatam per intellectum Patris et per voluntatem Patris Filiique ; seu sunt personae distinctae in eadem divina substantia. Sic ergo ex dogmate duarum processionum ration deducitur trinitas personarum, sicut ex dogmate trium personarum ratione deducitur dogma duarum processionum (supra n. 1).

3. Corollaria. 1. Distinguantur oportet in Deo *cognitio et ovoliti notionalis* a cognitione et volitione essentiali. Intellectio notionalis est, qua Pater sui cognitionem perfectam Verbo aeterno adaequate enuntiat ; volitio notionalis vero est, qua Pater et Filius mutuum suum amorem in Spiritum inspirant ; intellectio et volitio *essentialis* autem ea est quam ut tribus communem capite 3 et 4. tractavimus.

QUAEST. Si quaeritur, quid sit *obiectum intellectionis et volitionis notionalis?* Respondemus cum s. Thoma (I 34, 1 ad 3 ; Verit. 4, 4) : divina essentia una cum omnibus attributis divinis, nec non et possibilia (quod omnes largiuntur), item tres personae (quod Scotus negat) ; tria haec primarie et necessario. Deinde probabilius (contra satis multos) secundarie et libere et concomitanter etiam ideae creatrices et decretum creationis sunt obiectum actuum notionalium. Etenim hoc tantum modo videtur severe ad verum perduci Deum essentialiter et necessario esse Trinitatem : «Nec recte dici potest, ut in uno Deo sit Trinitas, sed : unus Deus Trinitas» (Tolet.). Neque obfuscari debet illud Nazianzeni : Vixdum unum nominavi, tribus circumfulgeor.

2. *In Deo necessario duae tantum sunt processiones* et tres personae. Etenim duae tantummodo sunt facultates spirituales, vis nimirum cognoscendi et volendi ; duo proinde producta adaequata, Verbum sc. et Spiritus, et unum producens non-productum (I 27, 4 ; Pot. 10, 2).

3. *Sola prima processio trinitaria est generatio,* non vero secunda. Generatio etenim est origo viventis e vivente coniuncto in similitudinem naturae ex vi ipsius productionis. Atqui Verbi processio huic origini analoga est. Nam est actus intellectus ; actus vero intellectus per se et proprie tendit ad producendum simile obiecti cogniti, sicuti generatio tendit ad producendum simile generantis. Quod de processione Spiritus iam non potest praedicari : est quidem et ipse similis Patri Filioque propter

consubstantialitatem, sed non vi originis, non ex formali intentione processionis; namque amor est quidem inter similes (amicitia pares aut invenit aut facit); sed per se non tendit ad producendum simile, sicut actus intellectus ad similitudinem rerum mentalem procreandam tendit (I 27, 2. 4).

§ 37. Relationes trinitariae.

Statuuntur 1. existentia, 2. natura, 3. corollaria.

1. Existentia. — THES. **In Deo sunt quattuor relationes reales.** *Certum.*

EXPLIC. *Relatio* est modus se habendi ad aliud, τὸ πρός τι. Elementa materialia sunt subiectum, terminus, fundamentum relationis. Si fundamentum est res quaedam, relatio est realis, v. g. patris et filii, oneris et baiulantis; si relatio in sola ratione radicatur, relatio est logica, v. c. generis et differentiae specificae; si ex alterutra parte est realis, ex altera logica, mixta nuncupatur, sicuti relatio cognoscentis et rei cognitae. Relationi hoc est proprium, quod est esse relativum; seu ex ratione formali sui generis nihil perfectionis in termino et subiecto ponit. Formaliter considerata est enim «*esse ad*», non vero «esse in»; licet in relationibus realibus fundamentum relationis sit aliquod «esse in», quod in creaturis est simul «inesse»; v. c. paternitas terrena in actu generandi fundatur, qui est accidens illius suppositi, quod est pater. Relationum doctrina non est revelata, sed tamen est revelationis expressio ab Ecclesia exhibita in Florent. (cf. infra n. 3), ab Aug., Boeth., Damasc., theologis m. aevi (I 28) expolita, quae sine haeresis suspicione negari nequit.

DEMONSTR. In ss. Trinitate sunt *duae processiones reales*; siquidem earum termini, personae sc. trinitariae realiter inter se distinguuntur. Atqui his duabus processionibus realibus quattuor relationes reales statuuntur: generatione *paternitas* et *filietas* (seu generatio activa et passiva ut relationes) et *spiratio activa* et *passiva* (ut relationes, non vero ut processiones consideratae). Quae quidem a processionibus non distinguuntur nisi virtualiter inadaequate; etenim eadem vita trinitaria si dynamice consideratur, processionum, si statice, relationum faciem ostendit.

2. Natura relationum trinitariarum.

1. *Relationes trinitariae oppositae inter se realiter distinguuntur.* Sunt enim relationes reales, seu habentes fundamentum reale in subiecto et termino relationis; atqui in omnibus relationibus realibus subiectum et terminus re opponuntur; ergo etiam in divinis. De cetero in divinitate Pater a paternitate, Filius a filietate, Spiritus a spiratione passiva dicitur; quae si re non distinguerentur, nec personae divinae re inter se differrent; quod est contra dogma fundamentale Trinitatis (I 28, 3). Spiratio tamen activa non opponitur paternitati et filietati, atque ideo neque realiter ab iis distinguitur; alioqui a spiratione activa quoque posset propria persona divina nuncupari, quod quaternitatem in Deum induceret.

2. *Relationes trinitariae sunt cum divina essentia identicae, a qua virtualiter inadaequate distinguuntur.* Deus enim est simplex omnino; ergo in divina essentia nulla potest admitti distinctio realis, neque meta-

physica ; si relationes re ab essentia divina distinguerentur, actum esset de Deo ente perfectissime simplici. Ex quo efficitur : si relationes trinitariae re idem sunt atque divina substantia, *sunt relationes subsistentes*, non per modum accidentium inhaerentes (I 39, 1 ; Gent. IV 14 ; Pot. 8, 12).

DIFF. *a) Relatio subsistens est contradictio.* Relatio etenim est accidens ; accidens vero est ens existens non in se, sed in alio tamquam subiecto inhaesionis. Ens subsistens vero est ens existens in se et pro se. Ergo relatio subsistens est ens existens et in se et in alio, quod formaliter repugnat. — RESP. Essentia formalis relationis non est «esse *in*», seu non involvit perfectionem alicuius generis, sicut essentia formalis ceterarum categoriarum, sed est «esse *ad*». Relatio realis postulat quidem aliquod «esse in» tanquam fundamentum relationis, sed illud «esse in» non pertinet ad rationem formalem relationis. Porro illud «esse in» in creatis est quidem accidens (vel qualitas vel quantitas) ; nihil tamen prohibet, quominus in Deo, in quo nulla sunt accidentia, relationis fundamentum sit ipsa substantia divina, et ideo *relatio totum esse divinum complectatur*. Hoc quidem notionibus propriis non percipitur, sed in Deo ente infinito non repugnare suspicari licet. Nulla substantia, dicit Thom. (Pot. 8, 2 ad 1), quae est in genere, potest esse relatio, quia est definita ad unum genus, et per consequens excluditur ab alio genere. Sed *essentia divina non est in genere substantiae*, sed est supra omne genus, comprehendens in se omnium generum perfectiones. Unde nihil prohibet, id quod est relationis, in ea inveniri.

b) Quae uni tertio conveniunt, etiam inter se conveniunt. Si ergo paternitas est divina essentia, item et filietas, tunc paternitas est filietas. — RESP. Ea valent, si identitas omni numero absoluta habetur. At ubi adest distinctio saltem virtualis, nihil prohibet contraria de eodem enuntiari ; paternitas et filietas materialiter est quidem identica cum essentia divina, sed non formaliter reduplicative, ut paternitas, ut filietas.

3. *Relationes trinitariae oppositae constituunt personas divinas*, quae ergo sunt relationes oppositae subsistentes. Etenim personae constitutivum ultimum est incommunicabilitas. Atqui divina substantia non est incommunicabilis, ut videre licet ex dogmate processionum divinarum ; relationes oppositae autem ex rei natura sunt incommunicabiles, ergo constituunt personas divinas. Quia deinde relationes divinae sunt non inhaerentes, sed subsistentes, relationes divinae oppositae habent omnia propria, quae hac definitione personae continentur : *substantia rationalis subsistens*. — Ex quo inferes : Si Spiritus s. non procederet a Filio, non esset in relatione opposita ad Filium, atque ideo neque persona distincta a Filio. E contrario spiratio activa si esset opposita ad Patrem et Filium, seu si Pater et Filius non essent unum principium spirans, distinctam quoque personam constitueret, et in Deo quaternitas esset affirmanda, non vero trinitas.

3. Corollaria. — 1. *Personae divinae sunt personae relativae;* seu personalitas Patris eo absolvitur, quod est «ad» Filium et Spiritum s., Filii eo quod est «ad» Patrem et Spiritum, Spiritus Sancti eo quod est «ad» Patrem et Filium. Hae tres personae divinae ergo *sunt modus, quo divina essentia subsistit*, ita ut Deus unus sit Trinitas, seu trina subsistentia relativa sit modus necessarius unitatis ac subsistentiae divinae.

Non ergo licet dicere in Deo tres esse personas relativas, quae constituant unam personam absolutam (error Güntheri). Tribus vero subsistentiis relativis *unam subsistentiam absolutam* constitui licitum est asserere cum plerisque thomistis, si subsistentia in primo loco pro existendi modo suppositi, secundo loco vero pro existendi modo substantiae supponatur. — Ex quo colliges : quando Deus naturali rationis lumine personalis cognoscitur, personalitas Dei indeterminate et in confuso tantum apprehenditur, quandoquidem determinata personalitatis divinae ratio captum naturalem superat.

2. THES. **Personae divinae perfectissime insunt alia in alia** *per circuminsessionem seu circumincessionem (perichoresim). De fide.* Florentinum docet : «*Omnia in Deo unum sunt, ubi non obviat relationum oppositio. Propter hanc unitatem Pater est totus in Filio, totus in Spiritu s.; Filius totus in Patre, totus in Spiritu s.; Spiritus s. totus est in Patre, totus in Filio*» (Decr. pro Iacobitis).

DEMONSTR. **Scr.** Christus d. dicit : «*Ego et Pater unum sumus. Pater in me et ego in Patre*» Jn 10. Inexistentia Spiritus quoque indicatur : «*Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei . . . Quae Dei sunt, nemo novit, nisi Spiritus Dei, qui in ipso est*» 1 Cor 2. **Tr.** Patres inprimis *graeci* adversus arianos similitudinibus rem illustrant : divinae personae se invicem sicut plures scientiae in eadem mente pervadunt, sicut odor unguenti vel lumen aerem penetrat ; Damascenus deinde nomen περιχώρησις veritati istae imposuit.

Notabene : *Graecis* doctrina perichoresis (latine *circumincessio)* ideo quoque fuit alicuius momenti, quod in Trinitate exponenda a Patre «principio absque principio» incipientes, «motum monadis in trinitatem» cum Naz. statuebant ; ut ergo consubstantialitas perfecta Filii et Spiritus sarta tectaque maneat, perichoresis personarum erat efferenda. *Latini* vero praeeunte s. Augustino in Trinitate exponenda initium sumebant ab ubertate divinae essentiae, quae docente Thoma utpote genera infinite excedens trina relatio opposita quoque potest esse ; iis ergo consubstantialitas personarum quasi per se intellegebatur, tamquam *circuminsessio* trium in substantia una. **R.** Personae divinae sunt relationes reales subsistentes, quarum «esse in» est una eademque divina substantia ; seu dici potest : personarum divinarum trinitas eo constituitur, quod eadam divina substantia tribus modis diversis possidetur ; ex quo immediate videtur ταὐτουσία-m personarum esse consecutionem necessariam processionum.

Sequitur : *Personae divinae in omnibus sunt aequales*, prout multis exponit Athanasianum.

DIFF. Patri deest filietas, Filio paternitas et spiratio passiva etc. ; *ergo non omnia habet una persona atque altera.* — RESP. Relationes oppositae, quae solae sunt non communes, secundum Thomam formaliter sunt «esse ad», atque ideo ex ratione sui generis nihil perfectionis addunt enti; secundum Suaresium vero statuunt quidem differentiam aliquam in personis trinitariis, sed quum sint eiusdem dignitatis atque valoris, nullam inferunt inaequalitatem.

3. *Relationes trinitariae sunt fundamentum proprietatum et notionum trinitariarum. Proprietas*, idioma etenim est dignitas non omnibus tribus communis ; *notio* vero est propria ratio cognoscendi personam. Proprietates et notiones personarum enumerantur quinque : quattuor relationes

et innascibilitas, quae Patri est propria. Infecunditas Spiritus s. non est proprietas, neque notio ; quia est quidem propria, sed non ut dignitas accipitur. Ex his paternitas, filietas et spiratio passiva sunt proprietates et notiones personales, quia singulae uni tantum personae competunt et personam constituunt.

Sunt igitur in ss. Trinitate : *una* substantia (natura, essentia), *duae* processiones, *tres* personae (hypostases, supposita, subsistentiae), *quattuor* relationes, *quinque* proprietates et notiones.

§ 38. Operatio ss. Trinitatis ad extra.

Statuuntur 1. communitas operationis trinitariae ad extra, 2. appropriationes, 3. missiones.

1. Communitas. — THES. **Omnia opera ss. Trinitatis ad extra sunt communia.** *De fide: «Non tria principia creaturae, sed unum principium»* Florent. (Decr. pro Iac.).

DEMONSTR. **Scr.** *«Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; quaecunque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit»* Jn 5. *«Pater autem in me manens ipse facit opera»* Jn 14. Eadem deinde opera divina creationis et sanctificationis nunc uni, nunc alteri personae tribuuntur (cf. quae supra § 35, 3 de unitate trium personarum dicta sunt). **Tr.** *Augustinus* (De Trinit. II 5, 7) fuse ostendit huius unitatis et necessitatem et dignitatem.

R. Operari sequitur esse ; atqui *principium quo* Trinitas ad extra agit, est divina natura, eaque una (I 45, 6). Licet ergo actiones sint suppositorum, tria supposita divina quum sint relativa, ut tria distincta non operantur nisi praecise ut relationes oppositae ; ergo Pater praecise ut Pater tantum operatur aliquid non omnibus tribus commune, generando nimirum Filium ; et ita etiam Filius et Spiritus. Seu Trinitas ut Trinitas ad intra solum manifestatur, non vero ad extra ; ita ut «incarnationem quoque tota Trinitas operasse dicenda sit» (Tolet. XI). Personae divinae, ut relationis oppositae subsistentis constitutivum est «ad» ; personae trinitariae ergo ut personae sunt ad invicem, non ad extra.

2. Appropriatio *est: perfectionem communem uni personae attribuere habita ratione proprietatis personalis;* appropriare enim nihil aliud est, quam commune trahere ad proprium (Verit. 7, 3).

Appropriationes, si fiunt conscientiā appropriationem non esse proprietatem, et habita ratione proprietatum personarum, *licite, imo maxima cum utilitate fiunt,* ut frequentes Scripturae et Patrum appropriationes luculenter testantur. Etenim hoc modo quam maxime *personarum notitia* illustratur et commendatur ; immo recte monet Leo M. : «Trinitas cum sit inseparabilis, nunquam intellegeretur esse Trinitas, si semper inseparabiliter diceretur» (Sermo de Pentec. 2). *Opera divina* ipsa quoque uberiore splendore fulgent, si personae eorum excellentiam repraesentanti tribuuntur (I 39, 7. 8 ; Gent. IV 21. 22).

Appropriationes praecipuae sunt hae :

1) Ratione *essentiae* divinae aeternitas in Patre, species in Imagine,

usus (= communitas) in Munere (Aug. Trin. VI 10); in Patre unitas, in Filio aequalitas, in Spiritu s. unitatis aequalitatisque concordia apparet (Aug. Doct. chr. I 5). Etenim Pater est principium absque principio, Filius imago Patris et Spiritus vinculum utriusque.

2) Ratione *operationis:* Patri potentia, Filio sapientia et veritas, Spiritui bonitas et sanctitas tribuitur.

3) Ratione *operum* praeludente Paulo: «Ex ipso et per ipsum et in ipso (εἰς αὐτόν) omnia» Rom 11, Patri causalitas efficiens, Filio exemplaris, Spiritui finalis tribuitur. Item: Pater est Deus, Filius Dominus, Spiritus minister; Pater creat, Filius gubernat, Spiritus vivificat; Pater inchoat, Filius effectui mandat, Spiritus absolvit, ut «digitus paternae dexterae».

3. Missiones. — THES. **In ss. Trinitate sunt missiones ad extra.** *De fide* ex ordinario Ecclesiae magisterio.

DEMONSTR. **Scr.** expressis verbis missionem Filii et Spiritus docet: «*Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere*» Gal 4. «*Quum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre . . .*» Jn 15; et multa alia. **Tr.** Patribus quoque inde ab exordio familiare est de missionibus, potissimum de missione Spiritus s. disserere; subtilia exhibet iam Aug. (Trin. IV 20).

R. *Natura missionum divinarum.* — Missio *definitur:* Exitus unius ab alio ex auctoritate, quam terminus a quo habet in terminum ad quem. Quae mittentis auctoritas est vel secundum imperium vel secundum consilium vel vero secundum originem; veluti si dominus mittit servum, medicus principem aegrotum, fons emittit aquae flumen. In Trinitate unicus auctoritatis titulus est origo; atque ideo Pater non mittitur, sed mittit Filium et Spiritum; Filius mittitur a Patre et mittit Spiritum; Spiritus non mittit, sed mittitur a Patre et Filio. Deinde distingue missionem internam, quae eadem est atque origo trinitaria, et externam, de qua sola nobis est sermo, quaeque definitur: *Origo aeterna personae divinae cum connotatione novae praesentiae temporalis* (I 43, 2 ad 3). Missioni correlativus est *adventus,* qui tamen latius patet quam missio; etenim venire quis potest etiam non missus, ut habet Christus d.: «Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum; et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus» Jn 14.

Ratione termini ad quem missio divina externa non potest quidem esse adventus personae missae simpliciter, idque propter omnipraesentiam divinam, sed *novus praesentiae divinae modus* adsit oportet, qui utique etiam novum operandi modum personae missae in se continet et nova praesentia substantiali personae missae absolvitur; alioqui non est missio vera, sed mera appropriatio.

DIFF. Opera Trinitatis ad extra sunt communia, ergo impossibile est, ut una Trinitatis persona praesens fiat novo modo absque ceteris. — RESP. Una cum misso etiam mittens praesens fit, sed servato ordine originis trinitariae: mittens ut aeternaliter originans et temporaliter mittens, missus vero ut ab aeterno procedens et tempore missus, ac originem aeternam quasi in creaturam exsequens et extendens.

Divisio missionum (I 43). — Missio alia est *visibilis,* alia invisibilis. Visibilium alia *substantialis,* quae est unica, sc. incarnatio; alia *symbolica*

seu repraesentativa, Spiritus Sancti nimirum adventus specie columbae in baptismo Christi, nubis lucidae in Transfiguratione Mt 17, halitus, quum Christus d. post resurrectionem ianuis clausis apparens insufflavit apostolis et dixit : Accipite Spiritum s. Jn 20 ; specie linguarum ignis dispertitarum et turbae venti in Pentecoste. Omnes missiones *ad personas diriguntur;* ergo Verbum non ad humanitatem assumendam, sed ad homines redimendos, Spiritus vero ad Christum, ad apostolos et fideles mittitur.

Finis missionis etiam visibilis est *invisibilis,* quae est inchoative per gratiam disponentem, completive per gratiam sanctificantem, consummative per visionem beatificam, et omnis tendit ad similitudinem ss. Trinitatis creaturae rationali imprimendam. Missionibus totum salutis opus et continetur et absolvitur.

Haec enim est *finis et ratio totius ordinis supernaturalis* (§ 3, 1) : elevatio creaturae naturalis ad consortium vitae intimae divinae, quae ad effectum perducitur *per gratiam sanctificantem;* gratia sanctificans autem est conformitas cum ss. Trinitate *per inhabitationem* (§ 74, 2). Inhabitatio vero nihil est aliud atque adventus Patris et missio Filii et s. Spiritus Jn 14. Ita fit, ut cognitionis et dilectionis humanae, quibus vita rationalis absolvitur, et obiectum et vis sit ipsius divinae vitae notionalis et obiectum et vis, Verbum et Spiritus s., prout indicat *Apostolus:* Ut virtute corroborati «per Spiritum eius in interiorem hominem» Christus habitet «per fidem in cordibus vestris, in caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum ; scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei» Eph 3. «Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba (Pater !)» Rom 8. Quod per gratiam inceptum visione beatifica ad perfectionis culmen adducitur (§ 117).

§ 39. Mysterium ss. Trinitatis et ratio.

Trinitas est 1. supra, 2. non contra rationem.

1. Supra rationem. — THES. **Trinitas est mysterium proprie dictum.** *Fidei proximum.*

Etenim Vatic. (3 c. 1 fid.) anathematizat eos qui dixerint in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri ; atqui ex communi Ecclesiae sensu et omnium opinione saltem Trinitas est mysterium. Günther et Rosmini Trinitatem ad rationis captum trahere studentes reiecti sunt a Pio IX. et Leone XIII. *(D* 1665. 1915).

DEMONSTR. **Scr.** Litterae s. id indicant : «*Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius et cui voluerit Filius revelare*» Jn 11. «*Quae Dei sunt, nemo novit, nisi Spiritus Dei*» 1 Cor 2. **Tr.** Patribus de Trinitate loquentibus quasi tessera est illud Hieronymi : De mysterio Trinitatis recta confessio est ignoratio scientiae (in Is 18 prooem.). In pugnis contra arianos haec fuit eorum defensio efficacissima, recursus ad mysterii rationem; operis Aug. de Trinitate hic est tenor. **R.** 1) Intellectus naturalis per ea quae facta sunt ad Deum cognoscendum evehitur. At quia opera Trinitatis ad extra sunt communia, nullo huius creationis facto ad Deum

trinum aposteriori statuendum inducimur. 2) Neque apriori, ex consideratione essentiae divinae colligi potest vitam divinam duabus processionibus productivis absolvi, neque naturali rationis lumine videre licet, quomodo in Deo ente omnino simplici relationes subsistentes realiter ab invicem distinctae esse possint (I 32, 1 ; 45, 7 ; in Boeth. 1, 4).

Ss. Trinitas ergo est *mysterium strictum*, cuius nec factum, nec modus rationi naturali sunt pervia. Quae veritas catholica egregie *confirmatur* eo, quod contentiones, quibus vel religionis historiographi et psychologistae factum Trinitatis, vel philosophi modum ratione derivare conabantur, operam et oleum perdidere.

Derivationes religioni-historicae insigniores sunt hae :

1. *Ex biblicis: a)* Fons doctrinae Ioanneae de Verbo (prol. Jn) fuerit Philo iudaeus († cca a. 50), qui quandam virtutem divinam νοῦς, λόγος appellat, et illam personalem, imo Deum quandoque habet. At *Logos Philonis*, ceterum e stoicorum philosophia mutuatus, est mera virtus divina confuse personalis, entitative medius inter Deum et mundum (sicut apud arianos), cui praeter nomen nihil est cum Logo Ioanneo commune (Harnack). — *b)* Ex sententia *Harnackii* iudaeis *Jahve et lex* per Moysem data erat quasi tessera, cui christiani simile quid opponere coacti Patrem et Christum profiteri incipiebant ; isti *formulae dualisticae* deinde paulatim adiunctus est Spiritus, ut firmissimum argumentum Christi in Ecclesia praesentis. At perperam asseritur a iudaeis legem vel Moysem in eodem numero cum Jahve esse unquam positum ; vel eos de lege et Moyse id affirmasse, quod Christus de se dicit, recte in formulis «dualisticis» : hanc esse vitam aeternam, ut in se credant Jn 17. Gratis quoque asseritur apud priscam societatem christianam formulas dualisticas tantum in usu fuisse ; eiusdem antiquitatis sunt trinitariae (M 28, 14 ; cf. § 89, 1).

2. *Ex religionibus paganis: a)* Multae hic appellantur «*trinitates*»: trimurti: Brahma, Vishnu, Shiva vel Rudra *indorum;* Amon, Rah, Ptah *aegyptiorum;* Ea, Marduc (filius), Gibil (ignis) *babyloniorum;* Ormuzd, Mithra, Agni *persarum;* Mithra, Cautes, Cautopates mysteriorum *Mithrae;* Bonum seu Unum, Medium inde progenitum (logos), Tertium ex medio procedens (spiritus mundi) *Plotini* (at istam doctrinam vel ideo neglegere licet, quia demum s. 3. inter christianos orta sit) ; imo *Tao* (cp 42) : «unum gignit duo, duo dignunt tria». *b) Ex legibus*, quae historicae religionis dicuntur, *Usener* statuit priscos terna tantum numerare quivisse ; proinde numerus trinarius tam altis radicibus in natura humana infixa haesit, ut ideis et exercitiis religiosis quoque in posterum leges ac normam praescripserit ; inde derivantur non modo monstra mythologica tricapita, sed etiam Trinitas christianorum, utpote quibus ad trinam baptisandorum immersionem trina Dei invocatio erat necessaria (utique falsum est trinam fuisse priscam baptisandorum immersionem ; § 89, 2). *Söderblom:* In omnibus religionibus a persona insigni oriundis necessario tria fundamentalia inveniuntur, sc. fundator, eius doctrina, communitas ; uti est triratna buddhistarum : Buddha, dhamma, sangha ; apud iudaeos : Jahve, thora, synagoge ; ita apud christianos quoque trinitas orta est.

At non est difficile videre istis omnibus minime Trinitatem revelationis attingi, imo nec eius analogiam : *a)* Plerumque sunt istae trinitates tres dei ex pantheon *pro lubitu* historiographorum deprompti, qui in ista religione ipsa minime in trinitatem iunguntur, uti babyloniorum, aegyptiorum, persarum ; plerumque etiam sunt *tria nomina* eiusdem dei, uti indorum, mithraistarum ; vel plane sunt solummodo *tres phases* nominibus distinctae evolutionis cuiusdam vel monistici deitatis (Tao, neoplatonici ; cf. etiam illud, quod *Hermetis Trismegisti* esse dicebatur et scholasticis

magnae sollicitudini fuit, uti I 32, 1 : «Monas gignit monadem et in se suum reflectit ardorem») vel evolutionis religiosae, utique fictae (Usener, Söderblom). *b)* Omnes istae religiones *monismo* inhaerent, et iam vel ideo non possunt profiteri Trinitatem unius Dei absoluti, transcendentis, personalis.

Istis ergo omnibus cum mysterio ss. Trinitatis vix aliud est commune atque numerus trinus. Et illud numeri *ternarii* imperium universale satis mirabile quid est. *Causa* minus recte ab apologetis saeculi elapsi in prisca revelatione ponitur ; tunc enim non intellegitur, quomodo religio biblica, vel etiam religio pygmaeorum (§ 1, 3) eum non servaverit. Probabilius sunt ista ternaria umbrae et vestigia Dei trini mundum ad imitationem essentiae suae creantis («natura perficit omnia ternario numero»), quae solum ad revelationis lumen patent (In Arist. De caelo et mundo 1, 1, 2 lect. 2 n. 5).

Contentiones theologorum rationalistarum et *semirationalistarum*, qui Trinitatis mysterio (e revelatione cognito) comprobando et ad rationis captum commodando insudant. — In quibus est *Hegel*, e cuius doctrina Absolutum thesi, antithesi et synthesi evolvitur et ubi ad sui conscientiam pervenit, Deus fit, et sic Deus in trinitatem disponitur. Ergo crudo pantheismo evolutionistico qui idealis dicitur, indulget. *Günther* catholicus vero essentiam divinam in sui-cognitione absoluta ponens docuit ad plenam cognitionem absolvendam requiri subiectum cognitionis, deinde obiectum ab eo distinctum et utriusque identitatem, quae in Deo nisi substantialia esse non possunt (simile quid asseruit Rosmini). At gratis omnino asseritur in ente absoluto subiectum et obiectum realiter distingui oportere. Güntheri doctrina insuper in tritheismum abit. In eodem numero censenda est opinio quorumdam protestantium orthodoxorum recentiorum affirmantium Dei essentiam esse caritatem, quae postulet trinitatem diligentis, dilecti, condilecti. — *Richardus a s. Victore*, *Abaelardus* et imprimis *Raymundus Lullus*, qui Trinitatem «rationibus necessariis» illustrare incumbunt, possunt forsitan orthodoxe intellegi ; etenim admittunt revelationis necessitatem, et rationes eorum «necessariae» revera sunt analogiae.

2. Non contra rationem. — THES. 1. *Mysterium ss. Trinitatis* **non est contra rationem.** *Certum.* 1) Efficitur ex eo, quod Trinitas est veritas revelata ; idem autem Deus prima et summa veritas est fons revelatorum et veritatum naturalium. 2) Si Trinitas ratione non potest attingi ad probandum, tunc neque ad refellendum ; haec enim sunt correlativa. 3) Difficultates rationis nomine motae adversus Trinitatem ratione diluuntur ; cf. quae de processionibus relationibus trinitariis dicta sunt.

THES. 2. *Trinitatis mysterium* **est secundum rationem.** Etenim

1.) Si ex revelatione quaecunque veritas trinitaria nota accipitur, ceterae exinde deduci possunt ; sic si notum ponatur esse in Deo processiones productivas, ratione iam tota Trinitas *construi* potest, prout August. et Thomas ex relationibus mysterium deducunt (§ 37. 38).

2. Mysterium potest *aptis terminis* concipi et enuntiari. In quo dicendi modo curandum est, ut *a)* numero singulari praedicentur ea quae naturam, et plurali quae personas significant. Ergo unus aeternus dicatur, si «aeternus» substantive, tres aeterni, si adiective supponat. *b)* Vitandae sunt locutiones novae vel unitatem naturae vel personarum trinitatem obnubilantes, quales sunt : Deus triplex (at etiam usu verba valent ; nam dreifältig, threefold sunt nomina orthodoxa) ; Deus in tribus personis distinctus (recte : distinctis) ; divinitas generat etc.

3. *Potest analogiis illustrari.* Graeci analogias externas imprimis colebant, uti sunt : ignis, lumen, radius ; radix, truncus, flos ; flos, fructus,

odor ; fons, flumen, ostium ; homo, vox, halitus. Augustinus deinde analogiam omnium nobilissimam verbi interni mentis et aspirationis voluntatis inducit (Trin. IX 12, 18). Haud paucae insuper umbrae et vestigia etsi levia Trinitatis nobis occurrunt : omne ens est unum, verum, bonum ; in omnibus invenitur esse, forma, finis ; exordium, continuatio, terminus ; tres sunt dimensiones spatii et analogice etiam temporis (praeteritum, praesens et futurum).

4. *Vis et utilitas* mysterii quum philosophica tum theologica tum religiosa potest ostendi.

Philosophica: a) Mysterium ss. Trinitatis efficacissime monet, quam arctis limitibus ratio naturalis contineatur ; *b)* multa et subtilia nos docet de entis constitutione metaphysica, imprimis de relationibus, de persona, subsistentia, earumque cum natura et essentia necessitudine ; *c)* complet et ad veritatis tramitem reducit ea quae philosophi etiam optimi de Deo satis ieiune et aride attingunt (cf. ideam revelatam Dei § 22, 2). — *Theologica: a)* Theologo pandit et fundamentum atque radicem, et exemplar atque rationem ordinis supernaturalis (cf. de missionibus). *b)* Doctrina et exercitium appropriationum est exemplar et norma, ad quam naturalia et supernaturalia, ea quae sunt et ea quae fiunt atque facienda sunt, miro ordine ac concentu diriguntur. — *Religiosa:* Revelatio mysterii ss. Trinitatis est pignus inaestimabile amicitiae Dei, qui iam non dicit nos servos, sed filios, quia omnia nobis revelavit Jn 15. Missiones vero sunt culmen, quem attingunt nobilissima hominis desideria (§ 13). Neque mirum, si omnis liturgia ad ss. Trinitatis normam dirigitur : Trinitatis invocatione incipit et clauditur omnis nostra oratio ; Trinitatis nomine et ad vitam gratiae baptizamur et ad vitam aeternam ingrediendam in articulo mortis commendamur. In ss. Trinitate et per eam regnum Dei ad perfectum ducitur, ut pulchre dicit Augustinus (Trin. XI 24) : «Inde est civitatis sanctae et origo et informatio et beatitudo. Nam si quaeratur, unde sit, Deus eam condidit ; si, unde sit sapiens, a Deo illuminatur ; si, unde sit felix, Deo fruitur : subsistens modificatur, contemplans illustratur, inhaerens iucundatur. Est, videt, amat ; in aeternitate Dei viget, in veritate Dei lucet, in bonitate Dei gaudet».

TRACTATUS TERTIUS DE CREATIONE.

Tractatur 1. de creatione generatim, 2. de creaturis spiritualibus, 3. de homine.

Caput 1. De creatione generatim.

Quaeritur 1. de actu creationis, 2. de conservatione, 3. gubernatione mundi.

Tractatus de creatione. *Petavius* De sex primorum dierum mundi opificio ; P. *Heinisch:* Das Buch Genesis übersetzt u. erklärt 1930 ; G. *van Noort:* De Deo creatore [2]1912 ; B. *Beraza:* De Deo creante 1921 ; A. L. *Lépicier:* Tractatus de pertinentibus ad operationem divinam 1909 ; De aeternitate mundi diatribe 1882 ; A. *Rohner:* Die Schöpfungslehre bei Moses Maimonides, Albertus M. u. Thomas v. Aquin 1913 ; G. *Gutberlet:* Der Kosmos [2]1908 ; E. *Dubois:* De exemplarismo divino 4 vol. 1898 ss. — A. M. *Dummermuth* OP : S. Thomas et doctrina praemotionis physicae 1886 ; Defensio 1895 ; J. B. *Stufler* SJ : Num s. Thomas praedeterminationem physicam docuerit? 1921 ; I. *Jeiler:* S. Bonaventurae principia de concursu Dei generali ad actiones causarum secundarum collecta et s. Thomae doctrina confirmata 1895 ; E. *Hugon* OP : La causalité instrumentale en théologie 1907 ; N. *del Prado* OP: De gratia et libero arbitrio II 1907. — D. *Ruiz:* De providentia ; *Schütz* A.: Isten a történelemben 1933 ; *Thomas Molina:* Das Leiden im göttlichen Weltplan. Innsbruck 1929.

§ 40. Actus creationis.

Statuuntur 1. factum creationis, 2. natura actus creandi.

1. Factum. — THES. **Deus creavit mundum.** *De fide.*

EXPLIC. *Creatio* (I 63, 3) est productio rei secundum totam suam substantiam, seu «ex nihilo sui et subiecti», i. e. et secundum formam (= ex nihilo sui) et secundum materiam (= ex nihilo subiecti seu τοῦ ὑποκειμένου) ; et sensu quidem restrictiore est productio ipsius esse in primo instanti, et ita distinguitur a sustentatione, quae est productio ipsius esse rerum in ulterioribus instantibus seu secundum durationem ; ut creatio *prima* vero distinguitur a creatione secunda, quae est formatio rerum ex materia praeiacenti. — *Adversantur* monistae, imprimis pantheistae necnon dualistae: gnostici potissimum et manichaei. Definivit Lateran. IV. contra Amalrich de Bena et David de Dinanto : «Unum universorum principium . . . *sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam; ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam*» (Firmiter). Vat. (3 c. 5 Deo) eum anathematizat qui non confiteatur mundum resque omnes quae in eo continentur et spirituales et materiales *secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas;* aut Deum dixerit non *voluntate ab omni necessitate libera,* sed tam

necessario creasse, quam necessario amat seipsum ; *aut mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit.*

DEMONSTR. **Scr.** Litteris sacris creatio non formaliter, sed tamen aequivalenter proponitur. V. T. : «*In principio creavit Deus caelum et terram*» Gen 1. Verbum «creavit», בָּרָא in qal semper actionem divinam sine connotatione materiae significat ; deinde si Deus in principio, i. e. antequam aliquid esset, procreavit caelum et terram, seu omnia, procreatio secundum totam substantiam satis indicatur. Quod multis confirmatur: «*Creavit enim, ut essent omnia*» Sap 1. «*Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt*» Ps 148 ; Deus est primus, qui solus habet esse per se, cetera quasi non sint, sic sunt coram eo (Is 40) ; imo dogma quasi formaliter proponitur a matre Macchabaeorum: «*Peto nate, ut aspicias ad caelum et ad terram* et *ad omnia, quae in eis sunt, et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus*» 2 Mach 7. N. T. non adeo de creatione, quam ponit, sed de providentia eaque supernaturali explicat ; nihilominus clare docet dogma creationis : Deum Dominum caeli et terrae appellat ; deinde α et ω, principium et finem Ap 1 ; «*omnia ex ipso et per ipsum et in ipsum* (graec.)» Rom 11 ; «*Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est*» Jn 1. **Tr.** Patres veritatem creationis adversus paganos et gnosticos non modo asserunt, sed multis comprobant v. g. «Dicet Deus : Ego primus. Et quomodo primus, cui materia coaetanea est?» (Tert. Hermog. 6).

R. Licet non sit de fide creationis factum naturali rationis lumine certo cognosci posse, neque iis, qui a revelationis luce aberrarunt, unquam satis compertum fuerit, recte tamen a theologis communiter tenetur creationem *ex argumento aetiologico* erui posse ; eo enim probatur Deum eumque solum esse ens a se, ex quo statuitur cetera cuncta esse ab alio (§ 24, 2 ; cf. I 44, 1-4 ; 45, 2 ; 61, 1 ; Gent. II 15 s. 6).

DIFF. 1. «*Creavit orbem terrarum ex materia invisa*» Sap 1. — At hic agitur de creatione secunda, ut patet ex textu graeco : ἐξ ἀμόρφου ὕλης.

2. «*Aptata sunt saecula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent*» Heb 11. — At hoc intellegendum est vel de creatione secunda, vel probabilius de idea aeterna creatrici, quae tantummodo tempore quo propositum creationis ad effectum perducebatur, visibilis facta est.

3. *Ex nihilo nihil fit.* — RESP. Ex nihilo tamquam causa materiali, item ex nihilo tamquam termino a quo per causas secundarias : *C;* post nihil, tamquam terminum a quo idque a causa prima : *N.* Etenim mundus non ex nihilo est, sed ex Deo.

4. *Distantia inter nihil et aliquid est infinita;* ergo transgressio unius ad alterum nunquam poterit absolvi. — RESP. Res ita se haberet, si de nihilo per gradus infinite minutos ad existentiam esset perveniendum ; at creatio non ita fit ; sed ens absolutum in instanti, ergo absque ulla mutatione (mutatio enim materiam praeiacentem in qua fiat, postulat) procreat entia relativa. Quod conceptibus propriis utique non percipitur, tamen fit (I 45, 2 ad 4).

2. Natura. — THES. 1. **Creatio est actio proprie divina.** *De fide* ex Lateran. IV : «*Unum universorum principium*».

DEMONSTR. **Scr.** «*Ego sum Dominus faciens omnia, extendens*

caelos solus, stabiliens terram, et nullus mecum» Is 44. «*Omnia per ipsum facta sunt*» Jn 1. **Tr.** Patres adversus arianos divinitatem ex eo colligunt, quod mundum creavit ; et Augustinus (Civ. XII 24 ; Trin. III 8, 13 ; Gen. litt. IX 15, 26-8) reicit sententiam Philonis Deo creanti angelos praesto fuisse. **R.** Creatio *potestatem infinitam* poscit, ergo nisi a Deo fieri non potest. Etenim *a)* distantia inter non-esse et esse est infinita, quae nisi virtute infinita superari non potest ; *b)* creatio ponit ipsum esse rerum, quod est effectus maxime universalis, ergo causam omnium maxime universalem exigit ; *c)* creatione progignitur esse absque materia praeiacenti, determinanti, limitanti ; qui ergo potest creare, entia infinite varia potest procreare (I 45, 5 ; Gent. II 20, 21 ; Pot. 3, 4).

COROLL. 1. *Potestas creandi nulli creaturae quantumvis excellenti potest communicari*, neque supernaturaliter : etenim creatura finita virtutis infinitae recipiendae est omnino incapax. Ita communiter adversus Durandum, Ripalda, Frohschammer.

2. *Creatura neque causa instrumentalis creationis potest fieri* (ut voluerunt Lomb. et Suarez). Causae enim instrumentalis est materiam ad actionem causae principalis recipiendam disponere vimque eius ad materiam transferre. At creationis nulla est materia praeiacens, ad quam vis causae principalis transferatur; nec ulla creatura capax est vim creandi infinitam suscipere et transferre.

3. *Actus creationis est* entitative et subiective *aeternus*, licet sit terminative et obiective temporalis. Insuper est actus *essentialis* et non notionalis, seu est tribus personis divinis communis ; quae enim apologetae s. 2. de Verbo ad creationis actum perficiendum necessario e sinu Patris procedenti philosophabantur, sunt errata.

THES. 2. **Deus mundum secundum ideas aeternas exemplares creavit.** *Certum.* Significatur a Vat. (3 cp 1), quum Deus mundum liberrimo «consilio» creasse dicit.

DEMONSTR. **Ser.** «*Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*» Gen 1 ; «*Domino antequam crearentur, omnia sunt agnita*» Sir 23. «*Sapientia omnium artifex*» Sir 7 ut assistrix creationis inducitur. **Tr.** E Patribus praecipue *Augustinus* (Div. quaest. 83, 46 ; Trin. IV 1, 3 ; Civ. XI 7. 10) Platonis sententiam de mundo intellegibili, idearum complexione (κόσμος νοητός) ita correxit, ut rerum omnium, non tantum generum ideas esse doceret, et eas ab aeterno in mente divina poneret. **R.** Deus nihil absque sapientissimo consilio agit ; ergo neque mundum sine causa exemplari creare potuit. Quae causa exemplaris non est extra Deum cum Platone ponenda ; ens absolutum enim nisi ex seipso ideas non haurit ; est ergo scientia (practica) ipsius Dei de creandis, quae recte *idea creatrix* vocatur, et est entitative et formaliter una, terminative vero et virtualiter multiplex (I 15, 1—3 ; Verit. 3, 1 ss.).

Idea creatrix mundi a Patribus *Verbo appropriatur*, imprimis a s. Augustino, qui prologum Ioannis ita legendum censuit : Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita (= idea mundi in mente sua ab aeterno existens) erat ; «foris corpora sunt, in arte vita sunt»; sc. ut ideae exemplares vitaliter continentur in mente artificis (in Jn 16, 17).

THES. 3. **Deus libere creavit** libertate et contradictionis et specificationis. *De fide* ex Vat. (Supra n. 1).

Adversantur monistae ; Wicleff libertatem Dei omnino negans ; Hermes et Günther, docentes Deum bonitate sua ad creandum cogi ; hi tres ergo libertatem contradictionis Dei in creando negant. Abaelardus, Malebranche et Leibniz contendebant, Deum si creare velit, debuisse mundum omnium optimum procreare ; negant ergo libertatem specificationis. — *Demonstratum* est § 33, 1.

Adversus Hermesium et Güntherum insuper considera : Dei bonitas habet obiectum plane adaequatum, seipsum nimirum, et igitur non potest cogi, ut aliud extra se existens quaerat. Si vero dicatur «bonum esse diffusivum sui», seu tendere ad communicandum seipsum, non est praetermittendum bonitatem divinam adaequate et abundanter se diffundere et communicare in processionibus trinitariis. — *Adversus optimismum* nota : Mundus optimus repugnat. Est enim mundus optimus, quo melior cogitari non potest ; at quovis mundo potest cogitari melior, nisi ponatur mundus omni ex parte infinitus, seu ens absolutum, quod autem iam non mundus, sed Deus est. Ad impossibilia vero non convenit extendi potestatem divinam. Mundus existens utique est optimus, si consideretur respectu actus procreantis, quia ratione causae efficientis, exemplaris, finalis est optimus ; at non ita, si ratione termini spectetur.

QUAEST. Si Deus libere mundum creavit, quid eum ad mundum creandum movit, seu *quis est finis cui* (finis operantis) *creationis?* — Respondendum est cum s. Augustino : «Qui dicit : quare fecit Deus caelum et terram? respondendum est ei : quia voluit. Qui autem dicit : quare voluit facere caelum et terram? maius aliquid quaerit quam est voluntas Dei : nihil autem maius inveniri potest. Compescat ergo se humana temeritas, et id quod non est, non quaerat, ne id quod est, non inveniat» (Gen. Man. I 2). Nullo modo voluntas Dei causam habet (I 19, 5). «Deus meus es tu, bonorum meorum non eges» Ps 15.

THES. 4. **Deus mundum in tempore, vel potius cum tempore creavit.** *De fide* ex Lateran. IV. : «*simul ab initio temporis*». Adversarii sunt dualistae et demiurgistae opinantes materiam aeternam esse.

DEMONSTR. **Scr.** «*In principio creavit Deus caelum et terram*» Gen 1 ; «*Initio tu Domine terram fundasti*» Ps 101 ; «*Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio*» Prov 8. **Tr.** Patrum quidam illud «In principio» de Verbo aeterno intellegi volebant ad normam prologi Ioannis (ita etiam Aug. Gen. Man I 2, 3); omnes tamen Athanasio duce adversus arianos fatentur : creaturam adeo esse temporalem, ut Verbum iam vel ideo non possit esse creatura, quia est ab aeterno. Ipse Origenes qui placitis graecorum imbutus seriem infinitam mundorum se excipientium somniabat, mundi huius temporalitatem ad communem praedicationem ecclesiasticam pertinere testatur (Princip. praef. 7). **R.** Ratio 1) colligit ex aeternitate actionis creatricis non necessario consequi aeternitatem ipsius operis, quum Deus plena polleat libertate tam creationis consilium quam executionis momentum decernendi. 2) Probabiliter ostendi potest hunc mundum reapse tempore exortum esse. Etenim haud pauca sunt indicia mundi consenescentis, uti entropia assidue augescens, stellae emorientes (cf. Schütz : A világ vége, Ige szolg. n. 25) ; at quidquid veterascit, aliquando esse incepit.

Num mundi temporalitas ratione demonstrari quoque possit, ex eo pendet, utrum mundus aeternus sit omnino impossibilis nec ne. Id Albertus M., Bonaventura et plerique molinistae affirmant, Thomas vero, cuius vestigiis hac in re Scotus, Suarez etc. inhaerent, statuit non posse demonstrari mundum aeternum esse impossibilem : neque a creatura, cuius essentia postulat quidem fieri ab alio, at non involvit temporis momentum ; neque a Deo, cuius causalitas creatrix poscit quidem, ut causa et causatum ordine se excipiant, at non postulat, ut ordo ille sit temporis (Op. 23 De aeternitate mundi contra murmurantes ; cf. § 27, 2).

QUAEST. *Quanto temporis spatio mundus est creatus?* — Creatio prima utpote actus exclusive divinus non habet tempus. Creationem secundam vero Gen 1—2, 3 tamquam opus sex dierum describit : *Hexaemeron.* De quo hodie communis est theologorum sententia, *non necessario ad litteram* esse accipiendum eo sensu, quod creatio secunda sexies vicenis et quaternis horis sit absoluta. Licet enim *patres* plerique ita Hexaemeron intellegant, *a)* non est unanimis eorum consensus. Post Athan., Nyssen., Procopium († 528 Gazae in Palestina) *Augustinus* (Gen. litt. IV 22, 39 ; Civ. XI 7) docuit mundum in instanti esse creatum ; ita enim interpretabatur illud Sir 18 (Vulg.) : «creavit omnia *simul»;* Hexaemeron vero esse ordinem, quo Deus angelis mundum creatum ostendit («cognitio vespertina» angelorum ; quum «matutina» sit cognitio mundi in Verbo aeterno, seu in idea creatrici) ; quam interpretationem Thom (I 74, 2 ; Pot. 4, 2) laudat utpote dignitati Scripturae optime consulentem. *b)* Neque exploratum est patres Hexaemeron ad litteram interpretantes ut testes traditionis loqui. Ergo licet ex gravibus causis ab interpretatione eorum recedere (cf. Com. bibl. 1909 *D* 2124). Quis autem sit enumerationis sex dierum verus sensus, usque hodie multum inter doctos disceptatur ; quae omnia doctrinae biblicae sunt (cf. Heinisch : Das Buch Genesis).

§ 41. Conservatio mundi.

Statuuntur 1. sustentatio mundi, 2. concursus Dei naturalis.

1. Sustentatio. — THES. **Mundus a Deo virtute omnipotenti sustentatur.** *Certum* adversus deismum asserentem mundum a Deo semel creatum propria virtute iam subsistere. Proponitur Catechismo Rom. (I 2, 21).

DEMONSTR. **Scr.** V. T. de sustentatione mundi eodem modo atque de creatione loquitur : «*Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut quod a te vocatum non esset, conservaretur?*» Sap 11. Extenditur ad totum esse rerum : «*Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate; avertente autem te faciem tuam turbabuntur. Auferes spiritum eorum et deficient, et in pulverem suum revertentur*» Ps 103. Modum indicat N. T. : «*Portans omnia verbo virtutis suae*» Heb 1 ; «*Omnia per ipsum et in ipso creata sunt . . . et omnia in ipso constant*» Col 1. **Tr.** Patres mentem suam manifestant, dum exponunt ista verba ss. Litterarum. Secundum Chrysostomum non est minus opus continere quam creasse mundum (In Heb 2.) ; Augustinus vero docet etiam spiritibus malis a Deo communicari vitam et vim (Enchir. 27 ; cf Gen. litt. IV 12, 23 ; Civ. XII 25). **R.** Creatura utpote ens ab alio non est causa suae existentiae in primo instanti, ergo neque in sequentibus ; *omnis ceratura penitus ex Deo pendet in primo instanti, ergo etiam in sequentibus;* etenim omnis effectus ea

parte ex sua causa pendet, quatenus ab ea causatur. Opus humani artificis recte ideo sine eius sustentatione permanet, quia ab ipso non esse simpliciter, sed sic esse habet, non materiam, sed formam (cf. argumentum aetiologicum § 24, 2; I 104, 1 2; Pot. 5, 1. 2).

QUAEST. *Natura actionis divinae sustentatricis.* — Sustentatio divina non est mere negativa seu non-annihilatio, sed *positiva*, eaque non indirecta tantum, vires noxias nimirum arcens, sed *directa;* eaque non mediata tantum, quae sc. est per causas secundas, sed *immediata* potissimum, quae tactu physico pertingit ad ipsum totum esse rerum.

COROLL. 1. *Sustentatio est actio creationi* (eique continuatae, non iteratae) *aequivalens*, distincta a creatione sensu restricto sumpta non entitative sed terminative; creatio enim sensu restricto terminatur ad primum esse, sustentatio ad esse continuatum; utrumque simul creationem sensu pleno efficit.

2. *Ad mundum annihilandum satis esset, si Deus creaturis sustentationem substraheret.* Quod tamen non fiet. «*Creavit enim ut essent omnia, et sanabiles fecit nationes orbis terrarum, et non est in illis medicamentum exterminii*» Sap 1. Creaturae enim rationales habent finem interminabilem: participationem vitae divinae; sed et irrationales utpote imitationes quaedam essentiae divinae dignae prorsus sunt quae saltem in speciebus, etsi non in individuis permaneant.

2. Concursus. — THES. **Deus immediate et physice ad quodcunque opus creaturae concurrit.** *Sententia communis.*

Adversantur deistae negantes omnem omnino appulsum Dei in mundum semel creatum. Econtra occasionalistae omnem veram actionem creaturae infitiantur. Thesim e theologis solus Durandus reicit.

DEMONSTR. **Scr.** Litteris s. familiare est quodcunque opus creaturae modo Deo soli, modo soli creaturae tribuere; v. c. «*Domine dabis pacem nobis; omnia enim opera nostra operatus es nobis*» Is 26. «*Divisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus*» 1 Cor 12; «*quum ipse det omnibus vitam et inspirationem et omnia . . . in ipso enim vivimus, movemur et sumus*» Act 17. Huc referendum est etiam illud Domini: «*Pater meus usquemodo operatur, et ego operor*» Jn 5. **Tr.** Patrum mens tunc maxime manifestabatur, quum *Pelagius* concursum Dei ad facultatum procreationem restringeret (concursus mediatus); omnes enim cum Augustino fatentur Deum operari in nobis voluntatemque nostram magis habere in sua potestate, quam nos ipsi (Correpl. et gratia 45; cf. Ctra Pel. I 3; Soliloqu. I 12; Ep. 205, 3, 17); quae de appulsu Dei supernaturali gratiae dicta tamen universim intellegi volebant.

R. *a)* Omne ens, quod quocunque modo est, a Deo est (I 44, 1). Atqui actus secundus relate ad actum primum, seu applicatio facultatis relate ad facultatem est *novum ens. b)* Creatura non potest esse magis independens a causa prima in actione quam in existentia; operari enim in omnibus sequitur esse. Atqui creatura in existentia radicaliter *pendet ex Deo;* ergo etiam in actione. *c)* Si *Deus* non esset *causa prima* etiam actionum, non esset causa ipsius esse simpliciter, sed secundum quid; ergo non esset creator rerum sensu pleno et vero (I 105, 1-5; Gent. IV. 67; Pot. 3, 7; Mal. 3, 1; cf. argum. aetiol. § 24, 2).

QUAEST. *Natura concursus.* — 1. Concursus est *generalis* seu naturalis, ut distinguatur a supernaturali, qui est specialis seu ad actus salutares tantum concurrens ; et igitur se extendit ad omnem actionem creaturarum, etiam ad actus malos, immo ad peccata quoad actum physicum. — 2. Est *immediatus;* seu non restringitur ad potentias agendi procreandas et conservandas, prout pelagiani volebant, sed immediate ipsas potentias creatas tangit et ad actiones applicat. — 3. Est actio *creatrix;* quae ergo actiones creaturarum non supprimit, neque supervacaneas atque inutiles reddit, sed possibiles plane facit. Falsus est ergo occasionalismus. — 4. Est *physicus,* qui non mere suasionibus, mandatis, delectationibus et eiusmodi operationibus moralibus facultates creatas allicit stimulatque, sed potentias ab intrinseco pervadit et tangit et ad actus applicat.

De his eadem est omnium theologorum sententia. Dissentiunt autem **thomistae et molinistae,** ubi de natura concursus physici accuratius determinanda agitur.

Secundum *thomistas* et s. Thomam «quantumcunque natura aliqua corporalis vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur a Deo» (III 109, 1) ; quae quidem motio est praevia : praemotio seu concursus praevius, i. e. natura et causalitate (non vero eo ipso etiam tempore) praecedit actionem creaturae, et actionem creaturae in omnibus praedeterminat : praedeterminatio ; «omnes enim effectus secundi ex Dei praedefinitione proveniunt» (Verit. 3, 7). Habitudo creaturae motae ad Deum moventem est relatio instrumenti ad causam principalem, ubi «idem effectus totus tribuitur instrumento, et principali agenti etiam totus» (Mal. 3, 2), diversa utique ratione. Praedeterminatio ut est actio Dei creatrix, omnia movet secundum propriam naturam : libera ut libere, minus perfecta ut minus perfecte agant. Elementum morale peccati (defectus debitae ordinationis ad finem moralem) utpote defectus non indiget concursu divino ; defectus enim habet causam non efficientem, sed deficientem.

E sententia *molinistarum* nullus existit concursus praevius determinans, sed actiones potissimum liberas, de quibus imprimis disceptatur, praecedit : concursus Dei oblatus, qui est multiplex, indifferens, hypotheticus. Quo movente si voluntas se ad aliquam operam determinat, statim accedit concursus collatus, naturā simultaneus ; tempore, collatione, re tamen subsequens creaturae actionem.

DIACRISIS. *Thomismo* a molinistis obicitur : *Si voluntas ad agendum physice praedeterminatur, non est libera,* sed cogitur id agere ad quod praedeterminatur. Respondent antiquiores thomistae cum Bannesio : Deus utpote causa prima potens est ita praedeterminare causas secundas liberas, ut ipsae quoque libere se ad idem agendum decernant monente Thoma : «Quum voluntas Dei sit efficacissima, non solum sequitur, quod fiant quae Deus vult fieri, sed et quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem quaedam fieri Deus necessario, quaedam contingenter, ut sit ordo in rebus ad complementum universi» (I 19, 8). Causae secundae ergo praemotae a Deo tam libere agunt, quasi non praedeterminentur. Quod

qui non intellegit, credat, sicut neque Trinitatem capit, tamen credit. Quae solutio minime ridicula apparebit consideranti, quantum mysterium sit relatio creaturae ad Deum generatim, et quot difficultatibus obstructus sit ipsius liberi arbitrii intellectus. Utrumque certum est : et Dei voluntate omnia infallibiliter moveri, et hominem liberum esse ; quomodo autem haec componantur, non videtur. Ad idipsum redit nisi fallor solutio recentiorum thomistarum dicentium voluntatem praedeterminatam iam non esse quidem liberam sensu composito, manere tamen liberam sensu diviso ; propter praedeterminationem adesse quidem necessitatem consequentiae, sed non necessitatem consequentis ; quae distinctiones non adeo solutiones sunt, quam dialectice factum enuntiant a Deo causa prima non opprimi causas secundas neque praederminatione libertatem.

Econtra thomistae *molinismo* obiciunt : *Voluntas creata ex se est in indifferentia passiva;* transitus in actum est ens, quod si voluntas virtute propria praestat, erit procreans entitatem ; quod est falsum. Reponunt antiquiores molinistae : accedit voluntati concursus simultaneus moraliter trahens et iuvans ad actum ponendum. Quum tamen ita causalitas prima Dei non salvetur, quidam recentiores statuunt moveri voluntatem a Deo generatim (indeterminate) ad bonum faciendum. Secundum thomistas neque hoc recte dicitur, tum quia sic quoque voluntas creata ponitur causa entitatis (huius determinati actus liberi), tum quia inconveniens est ponere a Deo causā prima absoluta quaedam in generali tantum determinari.

E sententia molinistarum a thomistis *Deus ponitur causa peccati;* etenim praedeterminat actum physicum peccati etiam in particulari, puta actum homicidae ; qui ab actu morali reapse non potest separari. Respondent thomistae : Etiam molinista admittit concursum Dei particularem simultaneum ad actum peccati physicum, qui si non est cooperatio Dei cum peccato, tunc neque praedeterminatio actus physici erit peccati ipsius participatio. Ergo etiam molinistae coguntur saltem distinctionem virtualem inter elementum physicum et morale peccati concedere.

Si rationes in utramque partem disputantes diligenter expendantur, sententia thomistarum cum notione revelata causae primae et mente s. Thomae magis congruere videtur (cf. § 30, 2 ; 71 ; 73, 3).

§ 42. Gubernatio mundi.

Gubernatio est ordinatio rerum ad debitum finem per media apta (I 22, 1). Inde gubernatio duo complectitur, 1. finem, 2. ordinationem ad finem, quae est providentia.

1. Finis. — THES. **Finis primarius creationis est manifestatio gloriae Dei** *de fide;* **finis secundarius est beatitudo creaturarum rationalium.** *Certum.*

Adversarii sunt Descartes, Bayle, Kant finem unicum creationis, et Hermes cum Günther finem primarium creationis beatitudinem entium rationalium esse asserentes. Vat. docet (3 cp 1). *Deum* non ad augendam suam beatitudinem nec ad acquirendam, sed *ad manifestandam perfectionem suam per bona quae creaturis impertitur*, liberrimo consilio utramque de nihilo condidisse creaturam ; et definit (c. 5. Deo) : «*Si quis mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit, a. s.*»

DEMONSTR. **Scr.** *a)* Quoad finem primarium : In fine Hexaemeri «*vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona*» Gen 1 ; at bonum

est, quod fini suo convenit. «*Universa propter semetipsum operatus est Dominus*» Prov 16 ; «*Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia; ipsi gloria in saecula*» Rom 11. Et mundus reapse talis est, ut Psalmista dicere possit : «*Caeli enarrant gloriam Dei et opera manuum eius annuntiat firmamentum*» Ps 18. — *b)* Quoad finem secundarium : Iam Hexaemeron docet omnia ut homini serviant esse creata. Est deinde doctrina identidem repetita V. T.-i : Deus diligit hominem, nec laetatur in morte viventium ; deliciae sunt Sapientiae aeternae esse cum filiis hominum. Christus d. multis proponit bona naturalia ad hominem sustinendum, supernaturalia ad hominem salvandum esse a Deo data ; immo : «*Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*» Jn 3. — *c)* Sed hōc quoque Deus gloriam suam intendit : «*Praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in laudem gloriae gratiae eius*» Eph 1 ; «*Omnia enim vestra sunt . . . sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura; omnia vestra sunt; vos autem Christi, Christus autem Dei*» 1 Cor 3 ; Idem proloquitur canticum angelorum in nativitate Domini : «*Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis*» Lc 2. **Tr.** Patres unanimi consensu doctrinam Litterarum s. repetunt (Aug. Conf. XIII 2 ; Enchir. 9, 3 ; Nyssen. Hom. opif. 16 etc.). Concinne *Lactantius* (Instit. VII 6, 1): «Idcirco mundus factus est, ut nascamur ; ideo nascimur, ut agnoscamus factorem mundi ac nostri Deum ; ideo agnoscimus, ut colamus ; ideo colimus, ut immortalitatem pro laborum mercede capiamus ; ideo praemio immortalitatis afficimur, ut similes angelis effecti summo Patri ac Domino in perpetuum serviamus et simus aeternum Deo regnum. Haec summa rerum est, hoc arcanum Dei, hoc mysterium mundi».

R. *a) Apriori* concluditur : *Deus sapientissimus* sapientissime omnia ordinat ; ergo minus perfecta perfectioribus, et ea perfectissimis subdit. At quum ipse sit perfectus omnino, omnia necessario ad seipsum ordinat ; et quia primo agenti non convenit agere propter acquisitionem alicuius finis, Deus id unum intendit, ut communicet suam perfectionem ; et unaquaeque creatura intendit consequi suam perfectionem, quae est similitudo perfectionis et bonitatis divinae (I 47, 1 ; Comp. 102). Recte ideo Deus innumerabili entium et graduum varietate mundum ornavit, ut infinitatis suae aliqua adumbratio sit (I 44, 4 ; Gent. I 93). — Ex quo colligere licet, quam falso quidam cum Kant et Hermes Deum *egoismi* accusent, quod seipsum in creatione intendat ; quasi vero Deus ad bonum aliquod sibi non debitum vel plane iniustum acquirendum creationi incumbat ! «Nobis expedit Deum nosse, non illi» (Aug. in Jn 58, 3 ; 2II 132, 1 ad 1). — Neque *ambitionis* arguendus est Deus ideo, quod mundum ad suam gloriam manifestandam creavit. Etenim Deus est cumulata omnium perfectionum complexio, et igitur quidquid praeter ipsum est vel concipitur perfectionis, de eius perfectione participat ; prorsus impossibile est, ut ens praeter Deum existens non Dei perfectionem imitetur, atque ideo Dei gloriam manifestet. — *b) Aposteriori* argumentum *nomologicum et teleologicum* concludunt mundum iesse sapientissimi et sanctissimi auctoris. At vero quodvis opus laudat artifics artem ; ergo mundus gloriam Dei manifestat.

QUAEST. *Habitudo finis secundarii creationis ad primarium.* — Finis *primarius est universalis et absolutus; secundarius vero est subordinatus et hypotheticus.* Est *subordinatus :* creaturae enim rationales eo ipso, quod

ad beatitudinem suam tendunt, gloriam Dei talia creantis manifestant. Creaturae enim rationales ad id vocatae sunt, ut Deum auctorem mundi cognoscant et adoratione in spiritu et veritate agnoscant, seu gloriam Dei formalem procurent; quum entia irrationalia gloriae Dei materiali seu obiectivae manifestandae inserviant. Est *hypotheticus:* creaturae rationales tunc demum beatitudinem consequuntur, si et ipsae eam adnitantur. Sed si quaedam creaturae rationales ab hoc proposito aberrent, non ideo finis primarius mundi frustratur: Infelices quoque utpote propria voluntate a fine suo subiectivo, a beatitudine aeterna deficientes iustitiam Dei experientur, et hoc deinde modo gloriam Dei annuntiabunt: «Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum» Prov 16.

COROLL. **Mundus est bonus.** *De fide* adversus manichaeos, priscillianistas et pessimistas tam asiatas quam recentiores occidentales. Praeter alia Lateran. IV. solenniter declaravit omnes creaturas, etiam diabolos factos esse bonos (cf. § 43, 1). — DEMONSTR. **Scr.** Teste Hexaemero vidit Deus cuncta quae creaverat et erant valde bona Gen 1; «*Dei perfecta sunt opera*» Sir 39; «*Omnis creatura Dei bona est*» 1 Tim 4 etc. **Tr.** Patres abundanter comprobant nullam esse substantiam malam; malum esse defectum, atque ideo accidens in substantiis per se bonis existens. Ita imprimis August. in operibus *adversus Manichaeos* (Civ. XI 22). — **R.** *a) Apriori:* Deus utpote sapientia et sanctitate et potentia perfectissimus, omnibus rebus creandis fines eosque dignos proponit, et omnia efficaciter ad fines praestitutos consequenda movet ac dirigit; at quod fini suo convenit, bonum dicitur. *b) Aposteriori:* Si mundus considerationi nomologicae et teleologicae talem se praestat, ut Deum optimum maximum auctorem clamet, non potest esse malus.

Falsus est ergo **pessimismus** et veterum indorum (vedantistarum) et recentiorum (Carducci, Schopenhauer, Hartmann), qui imprimis tormenta, aegritudines, labores, calamitates innumerabiles quum animalium tum hominum ut mundi pessimi argumenta invocant, imo rationes philosophicas quoque subiungunt: Natura humana proclivior est ad tormenta quam ad delicias, quae non sunt nisi cessationes tormentorum, omniumque *malorum radix* est *metaphysica:* latius patet hominis appetitus quam potentia (Hartmann), ita ut neque progressus cultus humanitatisque malis mederi possit; imo eruditionis profectu etiam illusiones illae destruentur, quae remedia saltem palliativa malorum erant, uti spes vitae futurae. — At *a) Animae spiritualitas atque immortalitas,* quae minime illusiones esse sanā philosophia probantur (cf. § 47), pares nos reddunt ut tormenta, aegritudines, calamitates tamquam peccatorum paenam et virtutis exercitium feramus, bonisque perviis (imperviis sapienter sepositis) fruamur, et retributionem aeternam speremus. Quod vero ad *tormenta animalium* attinet, ea primum minime tanta sunt, quanta hominum; animalia enim ut vegetiora, nec praeteritorum memora nec futurorum provida, facilius ea ferunt; deinde habent ista finem cavendi pericula maiora; denique sunt inseparabilia ab hoc rerum ordine, ubi inferiora superioribus inserviunt. Nec iniuria animalibus inde infertur, utpote non personis sui iuris ac aeternae destinationis. *b)* Pessimismus *consideratione manca* nimis et curta solummodo viventia spectat eaque mere biologice, ita ut animalibus humana subponat, hominibus humana (imprimis vero immortalitatem) subtrahat; non ergo consideratione totius universi nititur, sed neglegit et non-viventia, et futura.

2. Providentia. — THES. **Deus omnia efficaciter ad fines praestitutos dirigit, seu mundi curam gerit.** *De fide.*

EXPLIC. *Providentia* sensu restrictiore est ordinatio rerum ab aeterno in intellectu divino existens ; effectus ordinationis aeternae in tempore est *gubernatio* sensu restrictiore ; utrumque simul intellegitur providentia sensu latiore. Adversantur materialistae (epicurei inprimis), rationalistae (deistae), fatalistae (stoici) et gnostici. Vaticanum (3 cp 1) statuit, quod ordinario magisterio ab initio proponitur : «Universa vero quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat».

DEMONSTR. **Scr.** V. T. providentiam Dei specialem in populum electum potissimum praedicat eximio modo psalmis 22. 26. 30. 36. 90. 103. Nihilominus saepe affirmat omnia perfectissime ad nutum Deo obedire : «Qui emittit lumen et vadit ; et vocavit illud et obedit illi in tremore. Stellae autem dederunt lumen in custodiis suis et laetatae sunt ; *vocatae sunt et dixerunt: adsumus; et luxerunt ei cum iucunditate,* qui fecit illas» Bar 3. «*Consilium meum stabit et omnis voluntas mea fiet, dicit Dominus*» Is 46. «*Pusillum et magnum ipse fecit et aequaliter cura est illi de omnibus*» Sap 6. Christus d. tenerrimis verbis paternam Dei providentiam commendat in sermone montano, imprimis Mt 6 ; Paulus ex ea paganos convincit Act 17, et Petrus corollarium quasi deducit practicum : «*Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis; omnem sollicitudinem vestram proicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis*» 1 Pet 5. **Tr.** Patres erroribus suo tempore scatentibus epicureorum, stoicorum, gnosticorum specialia *scripta* opponebant ; ita Eusebius : Praeparatio evangelica, Nazianzenus, Chrysostomus, Theodoretus, Synesius : De providentia, Salvianus : De gubernatione Dei, Augustinus : De civitate Dei et sermones multos etc. **R.** Quum Deus sit sapientissimus et *sanctissimus*, ab aeterno omnia aptissime ad debitos fines prosequendos ordinat ; et quum sit *immutabilis* atque omnipotens, consilia sua adamussim ad verum perducit (I 22, 1. 2 ; 103, 1 ; Gent. III 64).

QUAEST. **Natura providentiae.**

1. Providentia entitative est actus Dei immanens et aeternus, executive est momentum *complementarium actionis creatricis*, sustentationi et concursui addens infallibilem directionem rerum ad fines. Ex quo colliges : providentia Dei quoad ordinis rationem immediate omnia et singula tangit et complectitur, quoad ordinis executionem vero ad effectum perducitur per res et leges viresque creatas (I 22, 3. 4). *Praeter hanc providentiam ordinariam* teste revelatione existit etiam providentia *extraordinaria*, miraculis quoque finibus suis (potissimum supernaturalibus) providens, quae tamen in particulari non facile vel plane temere praesumenda est.

2. *Providentia est immutabilis et infallibilis.* Sequitur ex iis, quae de immutabilitate Dei sunt dicta (§ 27, 1). Inde inferes, quid de fato tenendum sit. Si quis *fatum* = praefatum i. e. praestitutum a Deo intellegat, «sententiam teneat, linguam corrigat» (Aug. Civ. V 1-8) ; si vero fatum pro ordine rerum immutabili et inscrutabili accipiat, cui Deus ipse subiciatur, quodque hominibus necessitatem agendi in omnibus imponat, graviter impingit in Deum, voluntatem absolutam. — Quomodo *immutabilitas providentiae cum efficacitate orationis* impetratoriae componatur, Thomas docet : Ex divina providentia non solum disponitur, qui effectus fiant, sed etiam quibus ex causis et quo ordine. In quibus causis inveniuntur

etiam quaedam actiones humanae liberae. Ergo non propter hoc oramus, ut divinam dispositionem immutemus, sed ut id impetremus, quod Deus disposuit per orationes esse implendum (2II 83, 2).

3. *Providentia est universalis*, seu omnia et singula omniaque rerum momenta complectitur. Ratione obiectorum et effectuum licet tamen distinguere inter providentiam *generalem*, quae omnibus, *specialem*, quae entibus rationalibus obtingit (ex qua ergo animalia bruta excluduntur, atque exinde Paulus potuit interrogare : «numquid de bobus cura est Deo?» 1 Cor 9 ; cf. I 23, 7) et *specialissimam*, quam alii praedestinatis, alii toti ordini supernaturali obvenire putant. Ratione Dei ergo nullus est casus fortuitumque nullum : «Sortes mittuntur in sinum, sed a Deo temperantur» Prov 16.

Neque **malum** *providentiae divinae subtrahitur.*

a) Mala physica, uti catastrophae cosmologicae et telluricae, mortes et strages plantarum, per se peculiari modo Dei potentiam atque adeo gloriam manifestant (Ps 17), et ea parte tantum providentiae quaestionem movent, quatenus hominibus et animalibus tormenta infligunt, seu quatenus sunt causa malorum psychicorum.

b) At nec *malum psychicum* providentia caret. Quod de tormentis animalium probatum est, in refutatione pessimismi. Quod vero ad *tormenta, labores, calamitates hominum* attinet, *α)* iam philosophia probat ea esse fomitem et exercitium virtutum, uti patientiae, constantiae, pietatis, misericordiae, quae sine malis istis laterent ; insuper ea transire cum hac vita, iustisque in altera retributionem imminere. *β)* Fides vero docet mala ista esse paenam peccati, exercitium meriti, praesertim autem esse *participationem crucis et spei Christi:* «Nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius quod est Ecclesia» Col 1 ; «Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam . . . si tamen compatimur, et conglorificabimur» Rom 8. Hoc *etiam de iustis* valet, quorum passiones sapientibus V. T.-i tantam curam parabant : Ps 72, Iob. — Quae omnia efficacius quia verius ad mala psychica ferenda iuvant, quam vel *ataraxia* stoicorum veterum, vel *euphoria* etiam pharmacis procuranda sadducaeorum nostrorum ; utraque enim mendax est et in magnis calamitatibus deficit.

c) Malum morale est quaestio ardua nimis providentiae. At *philosophice* cum Thoma (I 63, 1 ; cf. Gent. III 109) probatur *repugnare creaturam, cui impossibile sit peccare;* etenim creaturae, utpote cui norma recte agendi (divina voluntas) non sit natura et essentia, semper manet facultas deficiendi a norma. Ergo possibilitas peccati necessario coniungitur creationi. *Gratiae ope* utique «praestatur ei, ut peccare non possit» (Aug. Maxim. II 12, 2) ; et omnis quaestio in eam resolvitur : *Quare noluit Deus omne peccatum gratiis efficacibus praecavere?* Est hoc magnum mysterium divininorum consiliorum, ad quod illustrandum duo sunt consideranda : Primum, quod ipse August. (Civ. XI 18 ; cf. Gen. litt. XI 6 ; Lib. arb. III 5, 9) monet : «Neque Deus ullum, non dico angelum, sed vel hominem crearet, quem malum futurum praescivisset, nisi pariter nosset, quibus eos bonorum usibus commodaret, atque ita *ordinem saeculorum tamquam pulcherrimum quoddam carmen etiam ex aliquibus antithetis honestaret*». Alterum : Non licet mysterium peccati in abstracto considerare, sed ita tantum, ut praesenti salutis oeconomiae insertum est : *una cum mysterio redemptionis* per Verbum incarnatum absolutae. Cf. § 85, 4 ; 62, 4 ; 115, 1.

4. *Consilia providentiae* in particulari concreto sunt plerumque abscondita a cognitione humana : «*O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius!*» Rom 11. Strenue ergo abstinendum est a iudiciis praeposteris et a calculis

ineptis fingendis (cf. Aug. Gen. Man. I 16, 25) ; in omnibus autem adversis standum illi Augustini : «Dei consilium occultum esse potest, iniquum esse non potest» (Civ. IV 17).

Caput 2. Angelologia.

Quaeritur de 1. creatione, 2. elevatione, 3. lapsu angelorum.

Tractatus de angelis. *Ps. Dionysius:* De caelesti hierarchia ; *Thom* I 50—64 ; 106—114 ; Gent. II 46—56 ; Opusc. de substantiis separatis ; *Suarez:* De angelis (omnium amplissimus) ; G. *Kurze:* Der Engels- u. Teufelsglaube des Apostels Paulus 1915 ; F. *Andres:* Die Engellehre der griechischen Apologeten des 2. Jahrhunderts 1914 ; K. *Pelz:* Die Engellehre des h. Augustinus 1915 ; D. *Palmieri:* De ordine supernaturali et de lapsu angelorum 1910 ; J. *Smit:* De daemoniacis in historia evangelica 1912 ; F. A. *Hauck:* The angels 1925.

§ 43. Creatio angelorum.

Statuitur 1. origo, 2. natura, 3. diversitas angelorum.

1. Origo. — THES. 1. **Existunt angeli seu entia spiritualia homine superiora.** *De fide:*

Negant sadducaei, materialistae, rationalistae cuiuscunque furfuris, etiam protestantes liberales. Lateran. IV. definivit : Deus «*sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam. Diabolus enim et alii daemones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali. Homo vero diaboli suggestione peccavit*».

DEMONSTR. **Scr.** «*Angelos esse omnes paene sacri eloquii Paginae testantur*» (Greg. M.). Et re vera historia patriarcharum, imprimis celebris visio Jacobi intuentis angelos in scala ad caelum pertingenti ascendentes et descendentes Gen 18, exitus populi electi ex Aegypto, eiusque historia ulterior, vocatio et vita prophetarum angelophaniis abundant (Is 6, Ez 1, Dan 7 etc. ; cf. Tob); item vita Domini ab annuntiatione per tentationem in deserto usque ad resurrectionem. Insuper Dominus in sermonibus frequenter angelos in ore habet. Ioannes in evangelio pauca, in Apocalypsi multa, Petrus parum, Paulus frequenter de angelis loquitur, uti Phil 2, Col 1, 15 ss. ; Heb 4 etc **Tr.** Traditionis sensum optime *Origenes* exhibet : «De diabolo et angelis eius contrariisque virtutibus ecclesiastica praedicatio docuit, quoniam sunt quidem haec ; quae autem sint, aut quomodo sint, non satis clare exposuit» (Princip. praef. 6). Primam monographiam Ps. Dionysius conscripsit, praeter eum angelologi Patrum sunt Augustinus (Civ. XI 9. 32 ; Gen. litt. III 4, 11), Gregorius M. et Damascenus.

R. Ratione maxime probabile redditur existere angelos : 1) S. Thomas (I 50, 1 ; Gent. II 46) *e perfectione mundi* ita arguit : Deus ideo mundum creavit, ut suam perfectionem imitetur et ad extra manifestet ; infinitam vero Dei perfectionem mundus eo eminentius manifestabit, quo maiore entium varietate excellit. Convenit itaque quam maxime, ut praeter entia materialia et composita e materia et spiritu existant etiam quam plurima

mere spiritualia, quibus Dei, spiritus puri perfectio formalius quam per cetera exprimitur. 2) Ulteriores theologi addunt *argumentum teleologicum;* gloria Dei formalis per solas creaturas rationales procuratur; si vero hominibus genus rationale creaturarum absolveretur, tot mundi et tot secreta naturae praeconibus facundis carerent. 3) Recentiores adiciunt *argumentum empiricum:* Ingens multitudo et immanitas facinorum nefariorum ac flagitiorum in vita et historia hominum, praesertim in cultu paganorum obvia vix ac ne vix quidem nisi existentia spirituum malignorum explicari potest.

DIFF. Historiographi rationalistae religionis asseverant *angelologiam biblicam e parsismo esse mutuatam,* quasi ante captivitatem babylonicam solus Malach Jahve, virtus divina personificata appareret, et demum apud Dan et Mach angelologia explicita exhiberetur. — RESP. *a)* Populus Israel *parsismi contactum* demum exeunte captivitate babylonica experiebatur. At expertum est angelos, et non modo Malach Jahve (de quo cf. § 35, 1) iam aera patriarchica et mosaica apparere, prout patet ex locis supra appellatis. *b) Fontes* parsismi probabiliter non ante aeram christianam in formam quam nunc habent, redacti sunt (§ 1, 3); ergo minus apti sunt quibus origines historicae perimantur. *c)* Deest vera *analogia* inter angelologiam biblicam et persam: *Ameshae-spentae* sunt virtutes divinae personificatae, quibus quandoque et ipse Ahura-mazda annumeratur; *jazatae* sunt dii vetustioris religionis popularis degradati a Zarathustra; *fravasii* sunt genii custodes universales (etiam Ahura-mazda habet suum genium); denique *devae* sunt vires naturales noxiae personificatae, seu sunt daemones et non angeli.

THES. 2. **Angeli sunt creaturae.** *De fide* ex Lateran. IV. contra gnosticos, qui angelos Dei emanationes, et contra paganos, qui eosdem a diis progenitos esse volunt.

DEMONSTR. **Scr.** Sacrae litterae angelos semper ut creaturas tractant; immo Paulus explicite enuntiat: *In Christo «condita sunt universa in caelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum et in ipso creata sunt»* Col 1. **Tr.** Patres, imprimis August. (Faust. XV 5 s.) adversus gnosticos id asserunt et synodus Bracarensis (a. 561) adversus priscillianistas sanxit. **R.** Angeli utpote *spiritus meri* non possunt procedere per generationem, quae nunquam absque seminis decisione fit; sed neque per emanationem e Deo, qui ut ens absolute simplex et infinitum non potest dividi. Quum autem non sint entia absoluta, ab alio procedant necesse est; quod ergo non potest fieri nisi per creationem (I 61, 1).

THES. 3. **Angeli in et cum tempore creati sunt.** *De fide* ex Later.

DEMONSTR. **Scr.** Scriptura s. eo thesim nostram proponit, quod universam creationem, cuius pars sunt angeli, tempore factam esse firmiter asserat. **Tr.** Patres vero haud temere illud Genesis: «in principio creavit Deus caelum et terram» de mundo invisibili seu angelis et de visibili accipiunt; Athanasianum: «creatorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium».

QUAEST. Theologi in instans creationis angelorum diligentius inquirentes probabilius statuunt *angelos eodem tempore ac mundum materialem creatos esse.* Etsi enim illud Lateran. «simul ab initio temporis» prouti etiam illud Sapientis: «Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul» (κοινῇ Sir 18) probabilius non de simultate temporis, sed de coordinatione rerum sit accipiendum, plurimi Patrum caelum et terram, seu mundum visibilem et invisibilem eodem ipso tempore creata esse censent, et Thomas (Opusc.

19, 2) concludit : Angeli sunt pars mundi creati ; quum Dei opera ratione operantis sint perfecta, pars autem in se absque ceteris, quibuscum in unum totum coalescit, sit imperfecta, non est probabile angelos ut partem mundi ante cetera esse creatos.

2. Natura. — THES. 1. **Angeli sunt puri spiritus.**

Seu ad vivendum et agendum nullo organismo corporeo indigent. Angelos esse spiritus est *de fide;* esse spiritus puros sensu exposito *certum* est. Indicatur a Lateran. IV. ; si enim homo est commune quid ex materia et spiritu compositum, angelus vero unum extremum et materia alterum, sequitur angelos non esse compositos ex utroque.

DEMONSTR. **Scr.** identidem angelos spiritus appellat etiam in oppositione ad homines, v. g. : «*Quum immundus spiritus exierit ex homine*» Lc 11. «*Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed . . . contra spiritualia nequitiae*» Eph. 6 ; «*In resurrectione neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut angeli Dei in caelo*» Mt 22 ; et ipse Dominus universim enuntiat spiritum non habere corpus, sicut homo habet Lc 24. Inde *angelophaniae* tam frequentes in s. Litteris corpus apparens tantum angelis addunt, prout testatur Raphael : «Videbar quidem vobiscum manducare et bibere ; sed ego cibo invisibili et potu qui ab hominibus videri non potest, utor» Tob 12.

Tr. Patres multi, praecipue Iustinus, Clemens Alex., Basilius, Ambrosius, Fulgentius, Gennadius, scholastici non pauci a Bonaventura usque ad Caietanum angelis *corpus quoddam spiritale* attribuunt, quali s. Paulo 1 Cor 15 docente beati post resurrectionem induentur ; aliis cum Nazianzeno, Nysseno, Chrysostomo, Gregorio M. et maiore parte scholasticorum praeeunte Thoma id negantibus ; Augustinus (Civ. XV 23) anceps haeret. Ad quam opinionem capiendam quum placito stoicorum materiam quandam omnibus entibus ad subsistendum necessarium esse asserentium, tum maxime effatis quibusdam Scripturae idipsum insinuantibus adigebantur : «Videntes filii Dei (in multis codicibus Sept. : οἱ ἄγγελοι τοῦ θεοῦ) filias hominum quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores ex omnibus» Gen 6 (de quo I 51, 3 ad 6) ; «qui facis angelos tuos spiritus et ministros tuos ignem urentem» Ps 103. Scholastici vero corpus angelis tribuentes nihil nisi angelos non esse actus puros sed potentialitate (= materia universali scotistarum) affectos significare volebant. **R.** Ratio possibilitatem spirituum purorum *ex immortalitate animae humanae* utpote ante resurrectionem sine corpore existentis colligit.

ADDIT. *Angeli quamquam sunt spiritus puri, non tamen ideo expertes omnino sunt categoriarum mundi materialis.*

1. *Sunt in loco:* Scriptura teste ad agendum resque necessarias cognoscendas magna itinera suscipiunt ; ergo quodam modo spatio alligantur ; utique non circumscriptive sicut corpora, sed definitive ; praesentes sunt loco suo «per contactum virtutis» (I 51, 1 ; Quodl. I 4 c) omnisque eorum praesentia ad sphaeram activitatis suae limitatur.

2. *Sunt in tempore et ideo mutabiles.* Etenim Scriptura docente inter se non raro in consilium eunt, ergo non semper omnem suam scientiam actu praesto habent ; proposita immutant ; sed iam vel ideo quod initio temporis sunt creati, temporis vim subeunt, seu mutationibus sunt obnoxii. Ut spiritus puri tamen altiores sunt mutationibus rerum materialium : utpote e partibus physicis non compositi substantialiter non mutantur et a corruptione sunt alienissimi ; deinde praeterita et futura mente firmiore

et ampliore complectuntur ; quare eorum duratio quasi medium inter aeternitatem Dei et temporalitatem hominum tenens aevum a scholasticis nuncupatur (cf. § 27, 2).

THES. 2. **Angeli intellectu et voluntate et potestate agendi sunt praediti, iisque altioribus quam homines.** *Certum* ex propositone clara s. Scripturae : «*Minuisti eum* (hominem) *paulo minus ab angelis*» Ps 8 ; «*tentationem meam in carne non sprevistis neque respuistis, sed sicut angelum Dei excepistis me*» Gal 4. Sequitur etiam ex eo, quod angeli sunt spiritus puri. Exponitur per partes.

1. *Intellectus* angelorum est multo *eximior* quam hominum. Mulier Thecuitis ita alloquitur David : «*Tu domine mi rex, sapiens es, sicut sapientiam habet angelus Dei, ut intellegas omnia quae sunt super terram*» 2 Reg 14 ; Domino dicente diem iudiciii «neque» angeli norunt Mc 13. Licet autem angeli scientia longe praestent hominibus, tamen futura libera, secreta cordium, mysteria Dei ignorant.

De modo et gradu cognitionis angelicae theologumena tantum proponuntur. Ex opinione s. Thomae (I 55 ss. ; Gent. II 96 ss. ; Verit. 8, 6 ss.) obiectum specificum immediatum cognitionis angelicae est universale in se (non in sensibili sicut apud homines), cuius ideae angelis sunt congenitae. His *ideis innatis* angeli immediate cognoscunt mundum antequam esset, quae est «cognitio matutina» secundum Augustinum (Gen. litt. II 8, 16 ; IV 24, 22 ; V 4), cui opponitur cognitio vespertina : cognitio mundi, potissimum rerum individualium in ipsa earum existentia, terminanti (non determinanti) cognitionem angelicam ; mediate, concludendo cognoscunt Deum. Propriae substantiae notitiam immediate ex sua actione comparant.

2. *Voluntas angelorum est libera.* Quod apriori ex eorum natura spirituali, aposteriori ex quorundam lapsu et paena eruitur. Certum est deinde ex Litteris divinis voluntatem angelicam deliberationibus, immo etiam lapsui, nec non affectibus esse obviam ; etenim angeli quoque tristantur, laetantur, angustiantur.

E sententia s. Thomae, Halensis, plurimorum thomistarum voluntas angelorum in naturalibus non deficit ; non quasi impeccabilis sit, sed propterea quod in naturalibus mens angelica est inerrabilis : quarum rerum ideam innatam habet, eas perfectissima cognitione amplectitur, quarum idea caret, in iis a iudicio formando abstinet. Ergo in solis supernaturalibus est ei peccatum possibile. Contrarium sentiunt Scotus, multi molinistae et quidam thomistae.

3. *Potestas angelorum extenditur a) in alios angelos.* Possunt moraliter agere in alios angelos, ergo cum iisdem etiam colloqui. Natura linguae angelicae a s. Litteris quoque multum laudatae e sententia Thomae (I 107, 1) haec est : angelus loquens voluntatis suae imperio ideam communicandam angelo appellato praesentat, quo fit, ut angelo appellato ultima conditio ponatur ad sui ipsius ideam de eadem re revocandam. *b) In corpora,* quae movere et ad certos fines dirigere possunt, idque multo maiore vi quam homines ; sunt enim spiritus puri ; at vero mens agitat molem. Deinde uti possunt materia aëris potissimum ad corpus apparans induendum, cuius utique non informatores, sed motores duntaxat sunt (I 51, 2. 3). *c) In homines,* quorum quidem mentem vel voluntatem directe et immediate dirigere nequeunt, sed indirecte utique, phantasmata nimirum et affectus sensuales excitando (I 111, 1-3 ; 106, 2).

3. Diversitas. — THES. 1. **Angelorum magna existit multitudo.** *Certum.*

DEMONSTR. **Scr.** «*Currus Dei decem millibus multiplex, millia laetantium*» Ps 67 ; «*Millies millia ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei*» Dan 7 ; «*Numquid numerus est militum eius?*» Job 25 ; angelorum lapsorum multitudo quoque est legio. **Tr.** Patres hunc permagnum *angelorum numerum* quandoque accuratius determinare contendunt, et ex parabola de decem drachmatis vel de centum ovibus inferunt novies vel plane nonagies novies tot esse angelos quot sunt homines. **R.** colligit conveniens esse sapientiae divinae, ut Deus fecundam *ubertatem* mentis suae creatricis in magna multitudine creaturarum praecipuarum proferenda manifestet (I 50, 3 ; Pot. 6, 6 ; Gent. II 92).

THES. 2. **Angeli in varias species separantur.** Fere *certum* contra Albertum M. et quosdam alios, qui angelos numero tantum et non specie distinctos esse volunt.

DEMONSTR. **Scr.** Angelos diversis *nominibus* appellat, quae etsi ex parte nomina muneris et officii sint habenda, tamen etiam naturae distinctionem indicant, quum *lapsis* (ergo e muneribus eiectis) quoque attribuantur, et angeli *diversis rebus* variis uti stellis, gemmis, lampadibus diversae claritatis comparentur. Idem omnino sentiunt Patres. **R.** varietatem specificam angelorum possibilem esse colligit ex eo, quod angelos ratione facultatum (et intensive et extensive), necnon dependentiae tam ab invicem quam a mundo multum inter se differre posse cognoscat.

Si quaeratur, *quotnam angeli ad unamquamque speciem angelicam pertineant*, respondet Thomas (Opusc. subst. separ.) : unicus, eo quod desit in mundo angelico principium individuationis, materia sc. signata ; aliis contradicentibus.

ADDIT. Medio aevo theologi ex auctoritate Ps. Dionysii communiter docebant omnes angelos in novem choros dividi, et *novem choros in tres hierarchias* dispertiri, quae ab inferioribus sunt : angeli, archangeli, principatus (prima hierarchia) ; virtutes, potestates, dominationes (secunda hierarchia) ; throni, cherubim, seraphim (tertia hierarchia). Quorum munera e mente Ps. Dionysii ita distribuuntur, ut inferiores a superioribus purgentur, illuminentur, ad Deum uniantur ; ex opinione scholasticorum suprema hierarchia Deum contemplatur, media decreta quaedam mundum spectantia mente concipit, infima eadem executioni mandat. Quae sententiae neque certae neque dogmatice obligatoriae sunt.

Novem tantum esse choros angelorum parum est probabile. Etenim Patres septem plerumque numerant (throni, dominationes, principatus, potestates ex Col 1 ; virtutes ex Eph 1 ; angeli et archangeli) ; alios quoque ordines angelorum existere Scriptura satis indicat, ubi de quattuor viventibus, de septem spiritibus, de viginti quattuor senioribus etc. loquitur. Chrysostomus multos angelorum ordines nobis prorsus ignotos existere censet (De incomprehensibili 4, 2).

Probabilius dicitur angelos in tres hierarchias esse distributos; quod suadet Pauli in tertium caelum elevatio 2 Cor 12, et commendat creaturae visibilis in tria regna (mineralium, plantarum, animalium) divisio. Ordo tamen a Ps. Dionysio statutus probabilissime non in omnibus valet ; v. c.

archangeli, ad quos Michael et verisimiliter etiam Gabriel et Raphael pertinent, non medium locum in hierarchia infima occupant, sed sunt in numero angelorum principum.

§ 44. Elevatio angelorum.

Statuuntur 1. elevatio, 2. probatio angelorum, 3. angeli boni considerantur.

1. Elevatio. — THES. **Omnes angeli ad visionem Dei beatificam erant vocati et ad hunc finem viribus supernaturalibus convenienter instructi.** *Certum* adversus Baium, cuius sententiam : bonis angelis felicitatem esse mercedem et non gratiam, Pius V. damnavit.

DEMONSTR. **Scr.** De angelis bonis s. Litterae dicunt eos videre faciem Dei, esse apud Deum ; de angelis vero lapsis : eos non stetisse in veritate, non servasse suum principatum ; et de omnibos : eos fuisse filios Dei (Iob 38). Imprimis Paulus docet eos esse cives eiusdem regni Dei supernaturalis cum hominibus : Christus «*est imago Dei invisibilis*, primogenitus omnis creaturae ; *quoniam in ipso condita sunt universa in caelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates; omnia per ipsum et in ipso creata sunt; et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium*, primogenitus ex mortuis, *ut sit in omnibus ipse primatum tenens. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in terris sive quae in caelis sunt*» Col 1. **Tr.** Secundum s. *Augustinum* Deus angelos creavit «simul eis condens naturam et largiens gratiam» (Civ. XII 9) ; e sententia *Cappadocum* angeli per communicationem acceperunt eam sanctitatem, quam Spiritus s. a se ipso habet ; communis denique est eorum opinio hominem creatum esse ad explendam lacunam per angelorum lapsum ortam.

R. *a) Possibile* erat, ut angeli ad statum supernaturalem elevarentur. Nam hinc quidem sunt spiritus et igitur capaces ad Deum videndum eoque beate fruendum ; inde vero ut merae creaturae e propriis viribus Deo videndo sunt prorsus impares. *b) Conveniens* erat, ut angeli ad statum supernaturalem elevarentur. Si enim existit ordo supernaturalis, decet creaturas excellentissimas ab eo non excludi ; et si homo ad vitam gratiae est vocatus, convenit, ut angelus homine tanto sublimior non relinquatur vacuus (I 62, 2).

QUAEST. 1. *Quoad amplitudinem instructionis supernaturalis angelorum* constat eos accepisse revelationem et gratia fuisse praeditos ; utrumque enim ad ordinem supernaturalem efficiendum prorsus est necessarium. Num angelis mysterium Trinitatis et incarnationis revelatum fuerit, quod Suarez haud improbabiliter affirmat (cf. Col 1 ; Eph 3, 10), disputatur.

2. Multum disceptatur inter theologos, *utrum angeli in statu gratiae sanctificantis creati sint nec ne.* Lombardus, Victorini et schola franciscana tam vetustior quam recentior asserunt omnes angelos post creationem accepisse gratiam actualem, cuius adiutorio probationem subire poterant ;

qui deinde fideles inveniebantur, gratia sanctificanti sunt donati. Lapsi ergo ex hac sententia numquam in statu gratiae sanctificantis erant. Ementhomistarum omnes angeli in instanti creationis viribus supernaturalibus dotati ad gratiam sanctificantem se disponebant et in eodem adhuc temporis instanti (re tamen momento secundo) omnibus gratia sanctificans infundebatur ; quem statum deinde probatio secuta est. Quae sententia propter consensum Patrum et indicationes Scripturae tenenda est.

2. Probatio. — THES. **Angeli ante statum ultimum occupandum probationem subibant.**

Est conclusio theologica certa quoad angelos lapsos. Etenim de fide est ex Lateran IV. omnes angelos creatos esse bonos, quosdam vero ex sua propria voluntate factos esse malos ; ergo tale eis officium erat propositum, a quo proprio arbitrio deficere poterant ; et hoc sane probatio moralis audit. Est *sententia communis quoad angelos bonos.* Ita enim plerique Patres sentiunt, etiam Augustinus post a. 420 (Enchir. 28 ; Correpl. gr. 11, 32), quum antea angelos bonos nunquam probatos esse putaverit (Civ. XI 19 ; XII 9, 2). Idem deinde ex analogia hominum pariter probationi subiectorum, nec non ex effato s. Pauli colligitur : «*Qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit*» 2 Tim 2 ; quod lex quaedam fundamentalis oeconomiae salutis esse videtur.

QUAEST. 1. De *materia probationis* non constat. Ex communiore sententia ad analogiam probationis protoparentum datum erat mandatum nobis penitus celatum.

2. *Quoad durationem probationis* Thomas (I 62, 5) censet eam absolutam esse in instanti, ita ut tria momenta vitae angelicae : creatio cum instructione supernaturali, probatio cum consilio definitivo capto, finis ultimi consecutio, re et natura, non autem tempore differant. At Scriptura quum de pugna angelorum nonnunquam loquatur, uti Ap 12, quae vix non de probatione intellegi potest, probationis cursum lentiorem fuisse satis indicat ; neque improbabile est a superioribus celerius eam quam ab inferioribus absolutam esse, et quosdam saltem inferiores ab illis in lapsum abreptos esse. Suadetar hoc eo, quod etiam puri spiritus societate iunguntur, nec sunt quasi monades Leibnizianae.

3. Angeli boni. — THES. 1. **Angeli fideles statim et definitive ad visionem Dei sunt admissi.** *Certum* adversus Origenem.

DEMONSTR. Scriptura multum loquitur de Ierusalem caelesti eiusque civibus beatis, de angelis assistentibus maiestati divinae, qui semper vident faciem Patris : Ps 96, 7 ; 102, 20 ; Dan 3, 58 ; Heb 1, 6 ; 12, 22 ; Ap 4, 8 ; 5, 11 ; Mt 18, 10. Quod Patres repetunt, et idem ratio ex analogia hominum colligit (I 62, 5).

THES. 2. **Angeli boni usque ad iudicium in mundo gubernando partes habent.** *De fide* ex ordinaria Ecclesiae propositione.

DEMONSTR. Hanc veritatem multis docet Scriptura : Angeli nuntios hominibus ferunt ; proposita divina, imprimis iudicia Dei executioni mandant ; orationes hominum Deo offerunt, homines custodiunt eorumque animas post mortem ad Deum comitantur ; denique Christo summo iudici in ultimo die assistent. Et quidem «*omnes sunt administratorii spiri-*

tus in ministerium missi propter eos qui hereditatem capient salutis» Heb 1 ; non tantum quattuor vel quinque inferiores (Ps. Dionys.).

Hoc ministerio angeli minime a visione Dei beatifica arcentur, immo beatitudo accidentalis eis ex ministerio accedit : laetantur de peccatoribus conversis, de Ecclesiae profectu. Pars ministerii huius universalis est angelorum custodia :

THES. 3. **Singuli fideles, immo omnes homines habent angelum custodem.** *Fidei proximum* pro fidelibus ; *commune* pro omnibus. Ecclesia quid in hac re sentiat, clare manifestat magisterio ordinario, liturgiis, orationibus ad angelum custodem fusis, altaribus et festo eidem consecratis.

DEMONSTR. **Scr.** Huius veritatis radices satis alte infixas iam in V.T. invenies, ut testatur Tob, et indicant fideles hierosolymitani, qui Petrum e carcere reducem ex inopinato conspicientes exclamant : «*Angelus eius est*» Act 12. Christus d. dicit : «*Videte, ne contemnatis unum de his pusillis; dico enim vobis, quia angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est*» Mt 18. **Tr.** Patres iam inde ab Origene unanimi consensu ista effata divina de angelis custodibus pro omnibus hominibus constitutis interpretabantur : «*Magna dignitas animarum*, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum» (Hieron. in Mt 18). **R.** Rationem suavissime proponit Catechismus R. (IV 9): Ut parentes, si infestā et *periculosa via filiis iter faciendum* sit, custodes adhibent et periculorum adiutores, sic caelestis Pater in hoc itinere, quo ad caelestem patriam contendimus, singulis nobis praeposuit angelos. — Quod angelorum custodia experientiam nostram plerumque fugit, nihil mirum ; etenim s. Thoma dicente angelorum custodia est quaedam executio divinae providentiae (I 113, 2) ; at providentia ordinaria ordinario cursu mundi perficitur, cui ergo angelorum custodia quoque inseritur.

ADDIT. 1. Probabilis est sententia s. Thomae (I 113, 5-7) *cuivis homini unicum esse angelum assignatum a nativitate usque ad mortem*, qui clientem nunquam penitus deserit ; at omni fundamento destituitur opinio quorundam medii aevi theologorum singulis angelum malum infestantem quoque adiunctum esse ; quae opinio placitum paganorum de genio albo et nigro sapit. Porro probabile est *singulis gentibus, caetibus, ecclesiis et universae Ecclesiae quoque praeesse angelum custodem* (cf. Dan 10, 12 ; 12, 1); nec temere tenetur s. Michaelem esse Ecclesiae ducem caelestem.

2. **Angelis bonis cultus duliae debetur.** *Fidei proximum* ex Nicaeno II. (*D* 302). — DEMONSTR. *Litterae s.* narrant angelis apparentibus semper cultum debitum exhibitum fuisse : «*In conspectu angelorum psallam tibi.*» Ps 137 (Gen 48, 16) ; immo iam abusus quidam cultus angelorum reprehenduntur Col 2 etc. Ex *Patribus* iam Iustinus (I 6) fatetur : «Bonorum angelorum exercitum . . . colimus et adoramus» (cf. Aug. Vera rel. 55, 110) ; testis est etiam liturgia antiquissima : festum et templa in honorem angelorum, imprimis Michaelis iam e s. 4. existentia. *Ratio* pia quaerens, quid angelo custodi debeamus, cum s. Bernardo hoc inveniet : «Reverentiam pro praesentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia».

§ 45. Angeli lapsi.

Statuuntur 1. lapsus, 2. paena, 3. potestas angelorum malorum.

1. Lapsus. — THES. **Pars angelorum in probatione non stetit, sed definitive a Deo se avertit.** *De fide* ex Lateran. IV.

DEMONSTR. **Scr.** Iam in tentatione protoparentum apparet «*serpens antiquus, qui vocatur diabolus*» (Gen 3 coll. c. Ap 12). «*Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum*» Sap 2. Libri historici et psalmi multum repetunt illud Psalmistae : «*Omnes dii gentium daemonia*» Ps 95. Christus d. licet nihil de daemonum origine dicat, multum de eorum regno, malitia, infestationibus, de strenua sua cum eis pugna narrat. Item et apostoli. Nec dubium est daemones non semper fuisse malos : «*Videbam satanam sicut fulgur de caelo* (ubi ergo ante erat) *cadentem*», dicit Dominus Lc 10 ; et : «*In veritate non stetit*» Jn 8. **Tr.** Patres non modo Scripturae doctrinam profitentur, sed sicut V. T. cultum ethnicorum daemoniis exhiberi existimant ; Ecclesia orans vero exorcismis frequenter adhibitis quid de re sentiat, satis manifestat. **R.** infra n. 3.

QUAEST. 1. *De numero* lapsorum non constat. Est doctrina satis communis Patrum et theologorum multo pauciores esse lapsos quam fideles inventos. Revelatione teste angeli mali *in lapsu ducem* quendam sequebantur, qui fuit unus ex praestantissimis, et inde a Iob satanas = ἀντίδικος vocatur, deinde diabolus = calumniator, tum princeps huius mundi, denique ex Is 14 mystice explicato : Lucifer.

2. *Peccatum* angelorum malorum erat *superbia:* «Initium omnis peccati superbia» Sir 10. 3. Reicienda omnino est *opinio Tertulliani, Clementis Alex.* et quorundam aliorum iudaicae traditioni inhaerentium eos lapsos esse peccato carnali cum filiabus hominum commisso (Gen 6) ; penitus enim repugnat naturae spiritus puri.

3. *Tentatio* vero fuit ambitio aequalitatis cum Deo. Quod colligitur ex suggestione, qua satanas protoparentes seduxit : «*Eritis sicut dii*» Gen 3 ; dein ex verbis quibus Dominum tentavit : «*Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*» Mt 4 ; tum ex agendi ratione Antichristi : «*in templo Dei sedet ostendens se tamquam sit Deus*» 2 Thes 2 ; denique ex nomine ducis angelorum bonorum מִיכָאֵל = quis est sicut Deus? — *Qualem accuratius aequalitatem cum Deo* angeli lapsi ambierint, disceptatur. *Scotus* sentit : secundum essentiam Deum fieri, si possibile esset ; *Thomas* (I 63, 2. 3) : aspernari vocationem supernaturalem et sibi soli confidere, vel vero illam ut excellentiae naturali angelicae debitam petere ; *Bonaventura:* nulli subesse, omnibus praeesse ; *Suarez:* non agnoscere Filium hominis tamquam caput creaturae ; vel etiam : satanas ipse unionem hypostaticam cum Verbo affectavit. Bonaventurae sententia videtur esse praeferenda.

2. Paena. — THES. **Angeli mali post lapsum confestim paena aeterna affecti sunt.** *Certum* adversus Origenistas (cf. *D* 211).

DEMONSTR. **Scr.** «*Deus angelis peccantibus non pepercit,* sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reservari» 2 Pet 2. «*Angelos vero qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservavit*» Iud. Angelis lapsis iam nullum paenitentiae aditum

patere Scriptura diserte non dicit, tamen aequivalenter adversus Origenem docet: nunquam de angelorum malorum conversione loquitur, immo: «*Deus eis non pepercit*» 2 Pet 2; «*Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius*» Mt 25; eosque semper ut damnatos tractat. **Tr.** Sensum Patrum complectitur Damasc. (fid. orth. II 4) docens id fuisse angelis lapsum, quod mortem homini.

R. ab *August.* (Iulian imperf. VI 22) sic proponitur: Natura rationalis quanto est ipsa superior, tanto ruina eius peior, et peccatum eius quanto incredibilius, tanto est damnabilius. Ideo angelus irreparabiliter cecidit, quoniam cui plus datur, plus exigitur ab eo. Tanto itaque plus debebat obedientiae voluntariae, quanto plus habebat in bonitate naturae; unde sic punitus est non faciendo quod debuit, ut nec velle iam possit, aeternis etiam cruciatibus destinatus.

Puniuntur angeli lapsi debilitate mentis, deinde contumacia voluntatis, quae ex sententia Thomae (I 64, 2; Mal. 16, 5; Ver. 24, 10) procedit ex subtractione gratiae nec non ex naturali angeli immutabilitate; imprimis autem paenā damni et etiam sensus; etenim ipsis quoque est paratus ignis aeternus. *Usque ad iudicium ultimum* tamen non sunt omnino ad inferni locum ligati, sed «in caelestibus» commorantur Eph 6, circumeunt terram Iob 1-3, hominum sedes 1 Pet 5; quibus tamen eorum paenae non mitigantur.

3. Potestas. — THES. **Satanas eiusque exercitus per peccatum protoparentum imperium quoddam in homines obtinuerunt.** *De fide* ex Tridentino 5 c. 1 (§ 49, 1).

DEMONSTR. Scriptura diabolum principem huius saeculi appellat, multumque de eius regno loquitur, imprimis Christus d. apud Jn. Patribus familiare est in hoc ipso sequelam praecipuam peccati protoparentum videre (cf. § 50, 2). Indolem huius imperii optime describit s. Bernardus (Ep. 190): est ius non iure acquisitum, sed nequiter usurpatum, iuste tamen permissum.

Imperium suum diabolus cum satellitibus ita exercet, ut *a) iustitiam rigidam et immisericordem* in homines peccatores a Deo postulet (cf. Iob 1-3); et quantum ex se est, omnibus viribus procurat, ut homo peccator omnes consecutiones aversionis a Deo omnemque peccati tyrannidem experiatur, mortem imprimis quae est stipendium peccati, et aerumnas quae sunt praecursores mortis. *b)* Moram atque *impedimentum regno Dei* propagando omni quo potest modo, potissimum idololatriam promovendo infert. *c)* Singulis hominibus obest tam *infestationibus*, sicuti Paulo datus est stimulus carnis ut eum colaphizet 2 Cor 12; quam *tentationibus*, immo seductionibus, prout docemur exemplo Domini Mt 4, parabolā de zizaniis Mt 13 et illo Petri: «Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret; cui resistite fortes in fide» 1 Pet 5 (non tamen ideo omnes tentationes immediate a diabolo veniunt Iac 1, 14; cf. I 114, 3 c); deinde *obsessionibus*, quarum testes sunt omnes evangeliorum paginae (cf. § 11, 2) et exorcismi Ecclesiae; denique *operationibus magicis*, praesagiis et praestigiis diaboli ope factis. Artem vero magicam, seu mira opera diabolo assistente ex consulto et ordine edita, esse possibilem parum est probabile.

Imperium satanae, utut evidenter validissimum, efficaciter tamen Dei sapientia et sanctitate in legibus ac viribus tam naturae quam ordinis supernaturalis se manifestanti, praesertim vero virtute et gratia Christi,

in sacramentis et sacramentalibus Ecclesiae usquemodo operantibus, *cohibetur*. In casu singulari immediatus diabolicae virtutis tactus facile praesumendus non est, sed solide probandus.

Caput 3. Anthropologia.

Quaeritur de 1. origine, 2. natura, 3. elevatione, 4. lapsu hominis; 5. de peccato originali.

Tractatus de anthropologia. S. *Augustinus* De Genesi ad litteram; *Thom.* Summa I 75—88; J. *Feldmann:* Paradies und Sündenfall 1913; W. *Schmidt:* Die Uroffenbarung 1913; E. *Wasmann:* Die moderne Biologie und die Entwickelungstheorie [3]1906; C. *Gutberlet:* Der Mensch [3]1911; Der Kampf um die Seele [2]1903; *Schütz* A.: Az örökkévalóság 1936; A. M. *Lépicier:* De prima hominis fundatione 1910; M. J. *McKnough:* The meaning of the rationes seminales in S. Augustine 1926; L. *Grimal:* L'homme; son origine, sa condition présente, sa vie future 1923. — *De Rubeis:* De peccato originali 1625; D. *Palmieri:* De peccato originali et de immaculato B. V. conceptu [2]1904; X. le *Bachelet:* Le péché original 1904; J. *Turmel:* Histoire du dogme du péché original 1904; J. *Naulaerts:* De peccato originali 1916.

§ 46. Origo hominis.

Statuuntur 1. creatio, 2. singularitas protoparentum, 3. origo animarum singularum.

1. Creatio. — THES. 1. **Protoparentes secundum animam et corpus a Deo sunt creati.** De fide. *Adversatur* monismus, qui hominem vel materialistice vel pantheistice absque Dei interventu e natura inferiore evolutione proficisci docet. *Definitum* a Lateran. IV. (§ 43, 1).

DEMONSTR. **Scr.** Narratio creationis tam prima quam secunda, Gen 1 et 2, formaliter describit et Adae et Evae creationem ab ipso Deo factam. **Tr.** Idem Patres unanimiter profitentur, quum Genesim in homiliis de opificio mundi et potissimum de hominis opificio interpretantur. **R.** Homo si conferatur cum aliis creaturis praecedentibus, est novi quid certo quoad animam et compositum ex anima et corpore (§ 47); ergo nisi ex actione creatrici originem ducere non potuit. — Quod ad modum creationis protoparentum accuratius determinandum attinet, statuitur

THES. 2. **Protoparentes etiam quoad corpus immediate a Deo creati sunt.** Paene *certum*.

Ex responso enim Com. Bibl. (a. 1909 dato *D* 2123) patet non posse in dubium vocari sensum litteralem historicum, ubi in tribus prioribus capitibus Genesis de peculiari creatione hominis et de formatione primae mulieris ex primo homine agitur. Non est ergo tuta quorundam etiam catholicorum sententia docentium hominem saltem secundum corpus via evolutionis e rerum natura genitum esse.

DEMONSTR. **Scr.** Narratur Gen 2: «*Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem*». Quod ad sensum obvium, litteralem est accipiendum, ita ut primus homo quoad corpus quoque immediate e Dei manu prodierit. Etenim *a)* primus homo tunc demum factus est in animam viventem, quum Deus ei spiraculum vitae inspiraverat; ergo

antea non erat vivens, seu vitam nescio qualem animalem agens. *b)* Confirmatur authentica s. Pauli interpretatione : «*Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem . . . Primus homo de terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis*» 1 Cor 15. *c)* Fulcitur analogia Evae immediate ex latere Adae procreatae, prout Adam ipse inspiratus testatur : «*Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea; haec vocabitur virago, quia de viro sumpta est*» Gen 2 ; et comprobat Paulus : *Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro*» 1 Cor 11. **Tr.** Doctrina Patrum unanimis est. Etiam *Augustinus*, qui iunior (Gen. Man. II 12, 17) anceps haesit, an ista de muliere ex Adae costula formata figurate dicta vel figurate etiam facta sint, senior (Gen. litt. IX 15, 26 ss.) ferrum recepit.

R. *Transformismus plantarum et animalium*, ille praesertim qui dicitur polyphyleticus quique philosophice valde probabilis a plerisque peritis habetur, omnibus qui nunc sunt theologis fatentibus nec s. Litteris nec fidei repugnat. Etenim ipsa Genesis quum Deum ita loquentem inducit : «Germinet terra herbam virentem . . . producat terra animam viventem in genere suo» (Gen 1), satis significare videtur productionem generum viventium non absque opera causarum secundarum factam esse ; patres vero Alexandrini, Cappadoces et imprimis Augustinus (Gen. litt. V 23, 45 ; VII 28, 41) rationes seminales, causales, primordiales tantum in terra et aqua a Deo positas esse asserunt. Eiusmodi *transformismum autem ab homine omnino arcendum esse* non modo quoad animam (quod iam vel spiritualitas animae postulat), sed etiam quoad corpus rationibus quoque commendatur: *a)* Propter singularitatem protoparentum fide tenendam evolutio *ad unicum par animalium* fuisset coercenda, ad illud nimirum ex quo protoparentes progignendi erant ; quod absque miraculorum cumulo fieri non potuit, multo maiorum, quam est immediata corporis primi creatio. *b)* Ex hac sententia ponendum est animalia quaedam ad tempus vitam *in corpore humano absque anima humana* egisse ; at brutum tale utpote ad pugnam vitae pugnandam inepte paratum sine miraculis ingentibus conservari non potuit. Non est tamen tacendum aliquem transformismum individualem, talem utique, qui animae immediatum ex Deo originem servat, non esse penitus alienam a mente s. Thomae (I 118, 2 ; Gent. II 89).

ADDIT. 1. Licet homo etiam quoad corpus immediate sit creatus, *modus* tamen quo productus est, *Deo dignus* fuit. Narratio Litterarum divinarum monentibus Patribus graecis θεοπρεπῶς est accipienda. «Quod enim manibus corporalibus Deus de limo finxerit hominem, nimium puerilis cogitatio est» (August. Gen. litt. VI 20). Scholastici insuper ponunt corpus et animam primi hominis uno atque eodem tempore esse creata (I 94, 4).

2. Protoparentes neque asexuales, neque bisexuales, neque propter praevisum lapsum sexuales creati sunt, ut quidam antiquiores putabant, sed «*creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos*» Gen 1 (Aug. Gen. litt. III 22, 34).

3. Etsi *de muliere* non dicatur animam eius a Deo esse creatam, tamen implicite docetur : Ipsa quoque est ad imaginem Dei facta, quum imago divina in anima ponatur (§ 47, 1) ; Adam, cui inter bestias non inveniebatur adiutor similis, statim eam similem sibi agnovit Gen 2.

2. Singularitas. — THES. **Universum genus humanum ab uno protoparente Adam ortum est.** *Fidei proximum* ex schemate praeparato pro concilio Vaticano.

DEMONSTR. **Scr.** «*Homo non erat, qui operaretur terram*» Gen 2 ; «*Adae vero non inveniebatur adiutor similis eius*» Gen 2 ; «*Vocavit Adam nomen uxoris suae Heva; eo quod mater esset cunctorum viventium*» Gen 3. Ipse Dominus docet : «*Qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos*» Mt 19 ; et apostolus : «ἐποίησέν τε ἐξ ἑνος πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων» Act 17. **Tr.** Patrum testimonium sibi penitus adversari Isacus de *Peyrère* Calvinista (Systema theologicum ex praeadamitarum hypothesi 1665) candide fatetur. **R.** Ratione theologica efficitur thesim esse fundamentum dogmaticum *universalitatis peccati originalis*. Ratione vero philosophica comprobatur omnibus cuiuscumque varietatis hominibus convenire eas notas, quae a peritis ad *unam speciem zoologicam* statuendam postulantur, quae sunt fecunditas prolium ex qualibet varietatum commixtione prodeuntium, unitas notarum essentialium et morphologicarum et biologicarum et imprimis psychologicarum (rationalitas enim est differentia specifica hominis), transitus continui dissimilitudinum. Atque ideo omnes ab eodem protoparente oriri *possunt; factum* enim ut historici quid, philosophice non evincitur.

DIFF. *Cain* eiectus et signatus a Deo timuit, ne ab hominibus occideretur ; habuit uxorem ; urbem condidit Gen 4. 6. — RESP. Tunc erat iam 130 annorum; ergo Adae progenies iam satis numerosa esse poterat.

ADDIT. 1. In primis illis temporibus *matrimonia inter germanos* (fratres sororesque) utpote inevitabilia utique licita erant ; nec iuri naturae ex toto repugnant (Aug. Civ. XV 16).

2. Adversatur thesi nostrae *theoria praeadamitarum* tempore protoparentum adhuc viventium, non vero tunc iam extinctorum ; et non tangitur quaestio de entibus rationalibus homini similibus alibi orbium caelestium degentibus (cf. J. Pohle : Die Sternenwelten und ihre Bewohner [5]1906). Utrumque tamen sat gratis dicitur.

3. Origo animarum singularum. — Circa gravem illam quaestionem labente tempore hae sententiae invalebant :

1. *Praeexistentianismus.* — Origenes quem origenistae et priscillianistae secuti sunt, Platone praeeunte docuit animas singulorum hominum ante unionem cum corpore iam diu extitisse et propter (atque post) lapsum adiunctas esse corporibus. Hic **praeexistentianismus est haeresis** a synodo Constant. a. 543 damnata *(D* 203). — DEMONSTR. **Scr.** Genesis docet protoparenti simul cum corpore increatam esse animam. Paulus vero dicit Iacob electum esse et Esau reprobatum, «*quum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali*» Rom 9. **Tr.** Patres, etiam Origenis fautores praeexistentianismum omnes reiciunt (Aug. Civ. XI 23 ; Ep. 166, 5, 15), si excipiatur *Nemesius*, qui tamen animas praeexistentes ante unionem cum corpore lapsas esse noluit ; nihilominus popterea a Leone M. (Ep. ad Turrib.) obiurgatus. **R.** Haec sententia graviter *repugnat dogmati* peccati originalis nec non isti veritati : cuncta quae a Deo creata sunt in Hexaemero, fuisse valde bona. Sana deinde *philosophia* comprobat neque conscientiā neque memoria aliquid prodi, quod vitam animae antemundanam sapiat, omnesque notiones et affectus ab experientia huius vitae vel immediate vel abstractione derivari. Gratis ergo etiam multi hodierni (theosophi) metempsychosim somniant.

2. *Emanatismus.* — Gnostici, pantheistae, theosophi putant singulas animas esse particulas quasdam ex ipsa divinitatis essentia progenitas.

Quod *graviter est haereticum;* directe enim simplicitati Dei repugnat. Damnatus est a Leone IX., Lateranensi V., deinde in propositionibus Eckharti ac Michaeli Molinos.

3. *Generatianismus.* — Docet traducem aliquem (inde etiam traducianismus vocatur) a parentum anima vel plane corpore tamquam semen quoddam spirituale generatione in liberos transfundi, ex quo deinde anima pedetentim evolvatur. Huic sententiae Hieronymo teste *multi Latini* inhaerebant favebantque Macarius, Abucurra, Nyssenus, immo etiam Augustinus (Ep. 190, 1 ; Anim. 4, 2). Simile quid s. 19. asserebat *Rosmini* docens per parentes propagari animam animalem, quae inditā a Deo idea entis efficitur spiritualis ; ex opinione *Frohschammer* animae liberorum a parentibus creatione quadam secundaria a Deo in hunc finem data progignuntur. — Generatianismus dogmatice notatus non est ; nihilominus ut *falsus* est reiciendus. Traducianismus etenim non potest componi cum simplicitate et praesertim cum spiritualitate animae ; Rosmini ontologismo errat ; Frohschammer vero falso statuit creaturam posse esse vel causam instrumentalem actionis creatricis.

4. *Creatianismus.* — THES. **Deus singulas animas humanas immediate creat et corporibus a parentibus genitis infundit.** *Fidei proximum.*

Proponebatur in schemate praeparato pro patribus Vaticanis ; omnesque enuntiationes authenticae Ecclesiae creatianismum profitentur. Ita iam *Leo M.* ep. ad Turribium ; *Anastasius II.* († 498) ep. ad gallos hanc doctrinam sanam appellat; *Benedictus XII.* a. 1338 Armenis eam accipiendam praescribit *(D* 533) ; Lateran. V. de animis infundendis loquitur ; effatis Alexandri VII. et *Pii IX.* de immaculato conceptu B. Mariae Virginis haec supponitur doctrina.

DEMONSTR. **Scr.** Implicite proponitur, ubi anima primi hominis immediate a Deo creata esse narratur ; eadem enim est ratio etiam pro ceteris hominibus : imaginem Dei nisi ab ipso Deo hominibus imprimi non posse. Forsitan explicite enuntiatur Ps 32 : «*Finxit sigillatim corda eorum*». **Tr.** *Graeci* paene omnes creatianismo indulgent ; et *ex Latinis* Tertulliano et Rufino exceptis nemo certo generatianismo adhaesit, cui complures propter difficultatem e peccati originalis propagatione sumptam valedicere non audebant, ut etiam Aug. ; Cyprianus, Hilarius, Hieronymus, Ambrosius testes manifesti sunt creatianismi, quem omnes deinde scholastici profitebantur. **R.** *Negative:* Falsitate sententiarum ceterarum veritas creatianismi evincitur. *Positive:* Anima humana ut substantia spiritualis est novum ens et non mera formatio materiae praeiacentis ; ergo non potest produci nisi creatione ; est enim productio novi entis secundum totam substantiam.

DIFF. 1. Si Deus creat animas, *quomodo in peccato originali nasci possunt?* — RESP. § 50, 3.

2. *Quomodo parentes possunt haberi genitores liberorum suorum,* si corporum tantum sunt genitores? — RESP. Nulla causa secundaria est causa totalis sui effectus ; et nihilominus vere causa dicitur, si omne quod est ex se ad effectum proferendum praestat ; uti si artifex imaginem regis tabula describit. Ita parentes quoque veri genitores sunt, utpote omne quod ex ordine naturae possunt, ad hominem procreandum praestantes.

3. *Ingenii indoles per successiones quasdam veluti hereditas a parentibus traditur,* quum tamen Deus animam creare dicatur. — RESP. Anima humana non est spiritus separatus, sed substantia incompleta essentialiter ad corpus individuum informandum a Deo condita (I 118, 2 ad 4); et ideo

corpori cui destinatur, quoad naturae habitum penitus est accommodata ; corporis autem indoles ad leges naturae hereditate a parentibus ad posteros transmittitur.

4. Si Deus singularum animarum est creator, *multis generationibus flagitiosis cooperatur.* — RESP. Sanctitati Dei non repugnat, ut generatim ad actum physicum cuiusvis peccati concurrat (§ 41, 2) ; ergo potest salva sua sanctitate etiam generationi improbae concurrere (I 118, 3 ad 1 ; 73, 1 ad 3).

§. 47. Natura hominis.

Statuuntur 1. imago Dei, 2. spiritualitas animae, 3. forma corporis.

1. Imago Dei. — THES. **Deus hominem ad imaginem suam creavit.** *Certum.* — DEMONSTR. **Scr.** «*Creavit Deus hominem ad imaginem suam*» Quamquam «*vir . . . imago et gloria Dei est, mulier autem gloria viri est*» (1 Cor 11), tamen «*ad imaginem Dei creavit illum; masculum et feminam creavit eos*» Gen 1. **Tr.** Patres excellentiam hominis hanc maxime celebrant, quod ad ipsius Dei similitudinem sit factus ; praesertim Ambros. Hexaem. VI ; Aug. Trin. XIV.

QUAEST. *In quonam* autem *essentia huius imaginis consistat*, multum disceptatur. Patres consentiunt in *reicienda sententia Melitonis* Sardensis et audianorum (§ 26, 1), qui inepte formam corpoream Deo tribuentes imaginem divinam hominis quoque in corpore sitam esse putabant. Adversus quos certa est et unanimis Patrum theologorumque sententia hominem *ratione animae* esse Dei imaginem. Etenim imago dicitur ex eo, quod agitur ad imitationem alterius, vel secundum speciem vel adminus secundum accidens proprium (I 93, 1. 2). Atqui Deus est spiritus purus ; ergo imitatio Dei secundum speciem nisi spiritualitas esse non potest. Et si cum scholasticis quaeratur, ubinam animae similitudo divina resideat, probabilius dicitur, neque in sola ratione vel voluntate, neque in sola substantia, sed radicaliter in substantia et integraliter in facultatibus spiritualibus animae.

Accuratius etiam dicendum est animam humanam non praecise ut spiritum esse imaginem Dei, quum etiam angeli sint spiritus, nec tamen ad imaginem Dei facti dicantur ; sed anima humana imprimis *ut forma substantialis corporis* similitudinem Dei in mundo materiali intime praesentis et regnantis prae se fert. Id Gen 1 quoque indicat, ubi creationi hominis ad imaginem Dei factae protinus subiungit benedictionem : «*Crescite et multiplicamini et replete terram et subicite eam et dominamini piscibus maris et volatilibus caeli et universis animantibus quae moventur super terram*».

ADDIT. *Ad imaginem Dei non pertinet ornatus supernaturalis animae;* etenim post lapsum Adam ad imaginem et similitudinem suam gignere pergebat (Gen 5) ; ergo peccato non erat destructa. Patres haud pauci imaginem de naturali excellentia, similitudinem de ornatu supernaturali protoparentum intellegi volebant (cf. Aug. Civ. XXII 24 ; Trin. XIV 22 ; Nyss. Opif. hom. 16) ; quod obiective recte dicitur, etsi exegetice sensu illato tantum valeat.

2. Spiritualitas. — THES. 1. **Anima humana est spiritus.** *De fide* ex Lateran. IV. adversus materialistas.

DEMONSTR. **Scr.** experientia innixa נֶפֶשׁ et homini et animali tribuit; nihilominus animae humanae quum excellentiorem essentiam tum spiritualitatem aequivalenter multis enuntiat: נְשָׁמָה homini soli tribuitur, et a carne accurate distinguitur: «*Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*» Ecl 12; spiritui divino comparatur: «*Quis hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei*» 1 Cor 2. **Tr.** Ita etiam Patres, licet quidam cum Tertulliano et Methodio corpus quoddam subtilius, sicut angelis, ita et animae humanae tribuant. **R.** A. *Bonetty traditionalista* a. 1855 subscribere debuit thesim a Congr. Indicis ei propositam: Ratiocinatio Dei existentiam, animae spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest. Et revera: Anima humana *actiones vere spirituales* i. e. materiae contrarias prodit. Atqui operari sequitur esse. Ergo actionibus spiritualibus substantia spiritualis subest. Spiritus enim est negative immateriale quid, positive autem natura veri et boni capax.

Probatur minor. 1. *Ab intellectu: a)* Homo potest *cognoscere veritatem.* Veritas autem cognoscitur formaliter actu iudicii, quo praedicatum (idea intentionalis, ut nostri malunt) refertur ad subiectum et in unitatem cum eo iungitur. At discernere utrumque, praedicatum et subiectum, et ea in unitatem iudicii coniungere non est materiae, sed spiritus componentis et dividentis; eo magis, quia formale omnis iudicii: verum est non-materiale quid, veritas enim est aeterna, universalis, simplex. *b) Reflexio* actum iudicii et aliorum actuum in subiectum dirigens, quod habet cognitionem et actuum et sui ipsius, est actus penitus sui generis, cuius nec analogia invenitur in ordine rerum materialium. *c)* Effingere *ideas* abstractivas, et plane *immateriales*, uti sunt spiritus, veritatis, Dei et cuiuscunque exemplaris et normae, materiam evidenter excedit. — 2. *A voluntate: a)* Lex et *norma morum* est aeterni et absoluti quid, ergo non materiale; item obligatio moralis est actio non physica, non vi et mole sed praecepto movens; ergo sui generis. Utrumque postulat *libertatem* arbitrii, quae pariter est immateriale quid; etenim non vi physica, sed interno rerum valore soli intellectui manifesto movetur. *b) Facultas effingendi et exprimendi ideas* mentis, τὸ ποιητικόν, non nisi mente apprehendendo exemplaria et dirigendo actus quosdam teleologice (cf. § 31, 2) exerceri potest; ergo ex gemino capite est immateriale quid. Et istud est maxime in causa, ut homo artes exercere et assiduo profectu crescere possit. Lingua, profectus, artes et doctrinae, vita moralis, religiosa, politica sunt ergo effectus formales, et igitur signa adaequata spiritualitatis humanae, ita ut ubi ista desunt, desit etiam spiritualitas, uti in brutis animalibus.

THES. 2. **Homo libertate arbitrii praeditus est.** *De fide.* Adversus determinismum imprimis pseudo-mysticum novatorum Trident. 6 c. 5 definivit: «*Si qu. d. liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et extinctum esse a. s.*»

DEMONSTR. **Scr.** Litterae d. huius veritatis tot praebent argumenta, quot mandata, prohibitiones, promissiones Dei ad hominem data exhibent. «*Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui. Adiecit mandata et praecepta sua; si volueris mandata servare, conservabunt te. Apposuit tibi aquam et ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum; quod placuerit ei, dabitur illi*» Sir 15. **Tr.** Doctrinae Patrum et theoretice et practice *adversus fatalismum et*

determinismum paganorum strenue vindicatae et manifestatae supersedere licebit. **R.** Ratione philosophica libertas arbitrii ex conscientia tam morali quam psychica nec non ex consideratione metaphysica evincitur :

E consensu morali: a) Est discrimen essentiale *inter bonum et malum morale*, quod non potest extingui, neque gressibus minutis innumeris ita superari, ut v. g. ex mendacio minuendo fiat veracitas, ex blasphemia devotio vel econtrario. Istius facti sicut causa ultima non potest esse nisi voluntas Dei sanctissima, ita causa proxima non potest esse nisi facultas, quae omnia ex intimo valore, non ad speciem vel pro impetu externo iudicat et appretiat ; quae equidem est voluntas radicaliter libera. *b)* Quod confirmatur conscientia *obligationis et responsabilitatis* moralis, necnon *meriti et demeriti* (reatus culpae et paenae). Si enim deest homini facultas, ex intima valoris moralis appretiatione eligendi vel bonum vel malum, distinctio illa conscientiae moralis fundamento caret. — 2) *Ex conscientia psychica:* Teste conscientia immediata et certissima omnes actus deliberatos praecedit deliberatio, etiam contra motiva quantumvis gravia ; propositum iam conceptum comitatur et subsequitur conscientia : possem vel potuissem non agere vel aliud consilium capere. Quod testimonium constans, universale, fundamentale non potest esse nisi vox ipsius naturae humanae ; ergo non potest esse falsum. — 3) *Ex consideratione metaphysica: Ratio* homini immediate et per se et formaliter intellegibile in sensibili, mediate etiam mere intellegibilia exhibet, quae quum sint abstracta, non trahunt voluntatem lege sensuum inevitabiliter ad unum ; et quum sint universalia, menti ac voluntati plures rerum aspectus praebent, desiderabilia secundum quid, fugienda secundum aliud quid; et igitur possibilem reddunt et deliberationem et electionem (1II 13, 6).

DIFF. 1. Actus liber est *contra principium causalitatis*, est enim quasi progenitus a seipso. — RESP. Actus liber quoque habet causam sufficientem: ultimam causae primae concursum, proximam facultatem psychicam necnon obiectum eligendum eiusque motiva ; quae *causalitas* utique non est mechanica, sed *sui generis:* teleologica, ex appretiatione valoris interni rerum appulsum sumens ; nihilominus est et ipsa vera causalitas (cf. § 31, 2).

2. Experientia docente actus quem liberum putamus, revera determinatur vel motivo immediato psychice maiore, vel ingenio et charactere morali, vel indole biologico, temperamento ut dicitur ; ita *determinismus* psychicus, ethicus, biologicus. — RESP. *Libertas humana non est absoluta*, sed his limitibus circumscribitur : *a)* Voluntas quum sit facultas prehendendi bonum, non est libera libertate electionis *erga bonum in communi*, in quod naturā necessario (utique spiritualiter, non physica necessitate) fertur ; ita Thom. adversus scotistas indifferentiam voluntatis asserentes. *b)* Voluntas *ut potentia non educitur in actum*, nisi per ens actu, ergo ultima analysi per Actum purum (§ 24, 2). *c)* Libera voluntas est etiam potentia eo sensu, quod actibus apte repetitis *habitu sit perficiendus*. Quod exercitium utique ex conditionibus, indole, ingenio agentis quoque pendet, et ascesi diuturna demum ad libertatem spiritus perducit a s. Paulo celebratam. Est ergo istud granum veri quo ducitur determinismus ; qui autem graviter errat, quum ex istis libertatis humanae limitibus, deinde ex casibus a norma abhorrentibus vel plane pathologicis ficta uni- versalitate efficit omnes hominum actus in omnibus determinari.

THES. 3. **Anima humana est immortalis.** *De fide.* Adversantur materialistae, antiqua secta thnetopsychitarum, aristotelici arabes, contra quos Lateran. V. definivit : «*Damnamus et reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus*».

DEMONSTR. **Ser.** Perperam rationalistae huius temporis contendunt

prioribus libris V. T.-i immortalitatem taceri vel plane negari. Fatendum quidem est revelationem gradibus datam esse, et ideo nihil mirum, quod priscis temporibus populo illi carnali altera vita eiusque veritates parcius indicatae sunt. Nihilominus iam initio satis clare veritas immortalitatis exhibetur : *a)* Vita haec terrena *peregrinatio* a patriarchis habetur ; *b)* animae in *infernum* (שְׁאוֹל) descendere dicuntur vel ad patres congregari, quo certe interdum non sepultura intellegitur, v. c. Gen 49, 32. Si vero quandoque leguntur talia : Moriatur anima mea morte iustorum Num 23, anima (נֶפֶשׁ) synecdochaliter pro «ego» accipienda est. *c) Necromantiae* usus edicto vetitus erat ; *d)* Jahve dicitur Deus Abraham, Isaac et Iacob; «*Deus autem non est mortuorum sed vivorum; omnes enim vivunt ei*» Lc 20. Ulterioribus libris V. T.-i imprimis Sapientialibus immortalitas animae formaliter multis proponitur : «*Deus creavit hominem inexterminabilem*» Sap 2. Christus d. dicit : «*Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*» Mt 10 ; «*Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam*» In 12. Immortalitas tamen a s. Litteris plerumque ea forma proponitur, quae revelationi est familiaris : forma resurrectionis (§ 113).

Tr. Patres immortalitatem iam adversus ethnicos multis evincunt et ex imagine Dei homini impressa colligunt. *Quoad naturam* eius stoicizantes : Athenagoras, Iustinus, Tertullianus, Irenaeus etc. statuunt animam humanam ex dono Dei esse immortalem ; platonizantes vero, imprimis Cappadoces et Augustinus (Gen. litt. VII 19, 21 ; Quant. animae ; cf. Nyssen. Anima ; An. et resurrectio) immortalitatem debitum naturae habent.

R. Scotus, *scotistae et nominalistae* animae immortalitatem rationi naturali inaccessibilem esse contendunt, immo Caietanus eam tantum mysterium habet atque ss. Trinitatem. At theologis communis nunc et certa est sententia s. Thomae(I 75, 6 ; Gent. II 79 s.) immortalitatem animae ratione certo cognosci posse. Ratione enim philosophica evincitur animam *ab existentia* esse substantiam simplicem licet incompletam, quae ergo per se morte corporis non corrumpitur ; *ab essentia* vero veritatis aeternae acquirendae et possidendae est capax, ergo convenit ei vivere in aeternum. *Factum* deinde immortalitatis efficitur ex Dei sapientia, quae non potest annihilare id quod natura interminabili ornaverat ; et ex Dei iustitia, quae remunerationem meritis et demeritis parem omnibus distribuere tenetur, quod tamen in hac vita omnibus fatentibus non fit (cf. Schütz : Az örökkévalóság).

3. Unum substantiale. — THES. *Homo est unum substantiale ex corpore organico tamquam materia et ex anima spirituali individua tamquam forma substantiali constitutum. De fide.* Exponitur per partes.

1. **Homo habet corpus organicum e materia terrena constitutum.** Adversantur *gnostici et theosophi*, qui corpus aethericum vel astrale fingunt, et *panpsychistae*, qui corpus manifestationem quandam spiritus esse opinantur. — DEMONSTR. Est conclusio ex duobus his dogmatis : Christus d. assumpsit verum corpus organicum, idque nobis consubstantiale. Idem s. Litterae quoque enunciant, ubi corpus primi hominis e limo terrae formatum et corpus hominum post mortem in pulverem unde erat, reverti dicunt (Ecl 12). Ratio theologica vero concludit hominem tunc demum esse commune quasi vinculum mundi materialis et spiritualis, prout

Lateran. IV. vult, si utrumque extremum reapse in unitate suae substantiae coniungat.(I 75, 4).

2. **Quivis homo animam unicam eamque spiritualem habet.**

Negatur a *trichotomistis*, e quibus gnostici cum Platone ponebant hominem ex spiritu, anima, corpore constitutum ; ex opinione manichaeorum quivis homo praeter corpus animā bona et anima mala, e sententia Apollinaris ex ratione, anima irrationali, carne (νοῦς, ψυχή, σάρξ) componitur. Qui identidem damnati sunt ; potissimum apollinaristae in Constant. IV *(D* 338).

DEMONSTR. **Scr.** Secundum Gen 2 formavit Deus hominem e limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae ; secundum Eccl 12 in morte pulvis revertitur in terram, spiritus redit ad Deum ; Ez 37 ubi vidit campum ossibus aridis plenum, Deo iubente eis vaticinatus est : «*Haec dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce ego intromittam in vos spiritum, et vivetis*». Christus d. semper de anima et corpore tantum loquitur et moriens in manus Patris commendat spiritum suum. *Locutiones* ergo *trichotomisticae litterarum divinarum* partim sunt parallelismi, uti «Magnificat anima mea Dominum, et exultabit spiritus meus in Deo salutari meo» Lc 2 ; partim vero, imprimis apud Paulum facultates superiores Deo propiores («apex mentis» mysticorum) spiritus, inferiores vero rebelles et concupiscentes anima dicuntur. **Tr.** Patres unanimiter gnosticismum et postea apollinarismum reiciunt (cf. Aug. in Jn 47, 9 ; Civ. XII 3, 2).

R. Est quidem in nobis vita et sensitiva et rationalis ab ista essentialiter differens. At teste conscientia et experientia psychologica quum vita *sensitiva agit in rationalem*, praesertim materiam ei praebendo («nihil in intellectu, quod non fuerit in sensu»), tum *rationalis* agit *in sensitivam*, non modo imperio sed etiam directe, v. g. species intellegibiles ex phantasmatis abstrahendo, affectus sensitivos movendo, uti dolore spirituali lacrimas excitando. Ex quo colligitur unicum quoque esse principium metaphysicum illius vitae, seu animam.

3. **Singuli homines individuam animam habent.** A Lateranensi V. reprobati sunt *averrhoistae* docentes animam intellectivam (νοῦς ποιητικός) unicam esse cunctis hominibus (supra n. 2).

DEMONSTR. **Scr.** Litterae d. hanc veritatem implicite proponunt eo, quod singulos homines pro bonis et malis, quae fecerant, rationem reddituros docent. Explicite : «*Ecce omnes animae meae sunt; ut anima patris ita et anima filii mea est; anima quae peccaverit, ipsa morietur*». Ez 18. **R.** Testatur conscientia singulos homines vitam et intellectualem et rationalem propriam agere. Deinde si unus esset intellectus omnium hominum, eadem esset etiam omnium mens et sententia. Quod evidenter falsum est (I 76, 2).

4. **Anima rationalis per se et essentialiter est forma corporis.** Iisdem verbis est a Viennensi definitum *(D* 480).

EXPLIC. Forma substantialis informans est principium activum determinans, quod per intimam et immediatam coniunctionem communicat materiae et esse et operari specificum. Thesi enuntiatur materiam, ex qua homo constat, eo fieri corpus vere humanum seu organicum et vivens, quod unitur cum anima spirituali, quae per se et non mediante alia aliqua forma corpori tribuit esse et agere humano modo. Adversantur primum *dualismi psychici* assectatores et antiqui (Platon et gnostici) et recentiores

(Descartes, Malebranche, Lotze), deinde qui ex nostris parallelismum metaphysicum animae et corporis profitentur, denique *Petrus Olivi* († 1298) qui unicam hominis animam tribus formis constitutam esse voluit et partem seu formam intellectivam non immediate et per se sed per partem sensitivam et vegetativam esse corporis formam docuit ; idem ipse a Viennensi damnatus est.

DEMONSTR. **Scr.** Gen 1 narratur hominem eo esse factum ens vivens, quod Deus ei inspiraverit animam ; id quod confirmatur narratione Ez 37 de vivificatione ossium aridorum. **Tr.** Patres docent animam esse validiorem corpore, quod ab ea animatur ; secundum Augustinum «*tradit speciem anima corpori*» (Immortal. 15) **R.** Licet Patribus fatentibus (Aug. Civ. XXI 10) unio animae et corporis magnum sit mysterium ab ipsis cum unione hypostatica collatum, ratione tamen probatur *unicam esse totam vitam internam hominis*, ita ut vita etiam altissima rationalis a sensibus incipiat ; e contra vero vita etiam animalis et vegetativa hominis non est plantarum vel bestiarum, sed specifice humana ; insuper corpus et anima intime inter se agunt. Ergo anima eaque unica rationalis immediate et per se est principium vitae et vegetativae et animalis in homine.

QUAEST. Noluit Viennense dirimere *controversiam thomistarum*, e quorum sententia anima immediate et per se est etiam forma eaque unica materiae primae corporis, ita ut morte intercedente nova forma cadaverica corpori addatur oporteat (I 76, 4 ; Gent. II 58) ; et *scotistarum*, qui ponebant materiam primam corporis per plures formas inferiores, imprimis per formam corporeitatis ad animam recipiendam disponi, quae deinde ut actus ultimus esse ac operari specificum eidem communicat. Quae sententia nunquam a magisterio Ecclesiae notata est. Neque ea erat mens concilii fatentibus hodie fere omnibus theologis, ut *hylemorphismum aristotelicum* definiret (cf. card. Zigliara OP : De mente conc. Vienn. 1878, et D. Palmieri SJ : Animadversiones 1878).

§ 48. Elevatio supernaturalis hominis.

Statuitur ornatus supernaturalis *a)* materialiter : 1. sanctitas, 2. integritas originalis ; *b)* formaliter : 3. supernaturalitas status originalis.

1. Sanctitas originalis. — THES. **Protoparentes a Deo in statu gratiae sanctificantis erant constituti.** *De fide.*

Id negant *pelagiani*, qui homines nunc iisdem viribus excellere asserunt, quibus protoparentes praediti erant ; et *rationalistae* gratiae existentiam omnino infitiantes. Trident. docet (5 c. 1) primum hominem Adam quum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim «*sanctitatem et iustitiam in qua constitutus fuerat*» amisisse. Sanctitas autem et iustitia in usu loquendi Ecclesiae semper ea intellegitur, quae communicatione gratiae sanctificantis constituitur.

DEMONSTR. **Scr.** Genesis narrat protoparentes in innocentia perfecta vixisse, commercium immediatum cum Deo habuisse ; immo monente Osia (6, 7) Deus foedus cum eis pepigerat ; Ecl 7 dicit : «*Hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum*». His gratiae largitio satis indicatur, quandoquidem in praesenti ordine commercium divinum et rectitudo non datur nisi per gratiam sanctificantem, ut probatur in tractatu de gratia. S. *Pauli*

haec est summa doctrina : a Christo d. nobis recuperatum esse quod Adam perdiderat Rom 5 ; hominis enim sanctificatio per Christum facta renovatio, restitutio, restauratio vocatur. Atqui sanctificatio per Christi merita nobis impetrata est gratia sanctificans ; ergo etiam sanctitas primi hominis erat per gratiam. **Tr.** Patres multi antiquiores sanctitatem illam sublimiorem Litteris s. eo doceri volebant, quod fecerit Deus hominem ad imaginem (= vires et excellentiae naturae) et similitudinem suam (= ornatus gratiae) ; posteriores vero multi cum Tertulliano et Basilio inspirationem spiraculi vitae de inspiratione Spiritus s. accipi volebant. *Augustinus* licet dona integritatis magis praedicet, multum tamen disserit de «adiutorio sine quo non» potuit primus homo recte vivere (Correpl. gr. 11, 32 ; Gen. litt. VI 27, 38).

QUAEST. Scholastici quaestionem *de instanti infundendae gratiae* multum agitant. Ex opinione *franciscanorum* protoparentes in statu integritatis erant creati et post aliquod tempus demum adiuvante gratia actuali gratiam sanctificantem meruerunt et acceperunt (similiter de angelis sentiebant). E sententia probabiliore *S. Thomae* (I 95, 1 ad 5), cui Patres quoque adstipulantur, in creationis instanti gratia sanctificans eis infundebatur, ita ut sit vere sanctitas «originalis». Patres Tridentini a controversia dirimenda abstinebant ; pro schemate enim proposito : «sanctitatem in qua ‚creati' fuerant» cautiore verbo : ‚constituti' usi sunt.

2. Integritas. — THES. **Protoparentes a Deo in statu integritatis constituti erant.**

Integritas sensu latiore est immunitas ab illis naturae nostrae compositae (ex corpore et anima) imperfectionibus, quibus ratio inferior adversus superiorem et corpus adversus animam reluctatur. Dona integritatis, quibus non immediate ratio ad Deum, sed vires inferiores ad rationem ordinantur, quaeque propterea *dona praeternaturalia* vocantur, a theologis enumerantur quinque : immunitas a concupiscentia seu integritas sensu restrictiore, immortalitas, impassibilitas, eximia scientia et dominium perfectum naturae ; quae singula exponenda sunt.

1. Protoparentes **immunes erant a concupiscentia,** seu dono integritatis sensu restrictiore instructi erant. *Fidei proximum.*

EXPLIC. Concupiscentia est reluctatio sensuum adversus rationem et rationis inferioris adversus rationem superiorem, et imprimis est concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae 1 Jn 2. Nota bene : omnis concupiscentia actualis radicatur in habituali, seu in inclinatione prava, quae etiam fomes dicitur. Thesi enuntiatur immunitas a concupiscentia non tantum actuali, sed etiam habituali seu a fomite. Adversantur *pelagiani*, qui concupiscentiam tantum abest ut malam esse sentiant, etiam ut naturae vigorem multum praedicant. Trident. concupiscentiam ex peccato esse docet (5 c. 5).

DEMONSTR. **Scr.** «*Erat autem uterque nudus Adam et uxor eius, et non erubescebant*» Gen 2. Post lapsum vero «*aperti sunt oculi amborum; quumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus et fecerunt sibi perizomata*» Gen 3. Quum autem protoparentes neque pueri neque hebetes essent, et in materia tam gravi ante lapsum immunes post lapsum impingerent, evidenter dono speciali erant servati immunes. Paulus *concupiscentiam peccatum dicit* Rom 6, utique per modum synecdochae, ut authentice inter-

pretatur Trident. : non quod proprie et vere in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est et ad peccatum inclinat.

Tr. Patres docent democratiae passionum in protoparentibus monarchiam rationis fuisse suffectam ; imo tot laudibus hoc donum extollunt, ut multi cum Irenaeo, Athanasio, Nysseno, Augustino iuniore (Retr. I 19 ; cf. Civ. XIV 17 ; Jul. imperf. IV 16 etc.) in statu paradisiaco etiam nuptias defuisse iudicaverint. **R.** Theologi multum *de fonte et radice integritatis* disceptant, scotistis eam ex speciali habitu infuso derivantibus, thomistis e contra probabilius gratiam sanctificantem ut fontem omnium donorum praeternaturalium asserentibus (I 95, 12 ; III 82, 3 ; Comp. 182).

2. Immunes erant **a necessitate moriendi.** *De fide.* Adversus pelagianos definitum est a Milevit. II., Arausic. II. et Trid. (5 c. 1. 2) mortem esse stipendium peccati.

DEMONSTR. **Scr.** Testante Gen 2. 3 Deus propter transgressionem mandati probationis mortem comminatus est et post transgressionem demum intulit. Id ulteriores confirmant : «*Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum*» Sap 1 ; «*Deus creavit hominem interminabilem; . . . invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum*» Sap 2. «*Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors*» Rom 5.

Tr. Patres iam inde a Theophilo et Irenaeo immortalitatem protoparentum ex esu arboris vitae derivant, et *Augustinus* subtilius in naturam eius inquirens dicit (Gen. litt. VI 25, 36) : Aliud est *non posse mori*, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus ; aliud est autem *posse non mori*, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis ; quod ei praestabatur de ligno vitae, non de constitutione naturae ; a quo ligno separatus est, quum peccasset, ut posset mori, qui nisi peccasset, posset non mori (cf. I 79).

3. Immunes erant **ab aerumnis.** *Certum.* Secundum Trid. 5 c. 1 tribulationes carnis sunt poena peccati.

DEMONSTR. **Scr.** Gen 2 narrante primi homines in horto amaenitatis erant positi ; et aerumnae sicuti dolores partus, sudores laboris ut paenae lapsum demum consequebantur. **Tr.** Patres, imprimis Nyssen. et Aug. (Civ. XIV 10, 26) vividis coloribus paradisum eiusque beatitudinem nullis molestiis ac miseriis turbatam describunt. **R.** Videtur haec immunitas a doloribus esse *consecutio donorum praecedentium.* Etenim *a)* dolores sunt quaedam anticipatio mortis ; ergo ubi abest mors, desunt et ipsi ; *b)* multae tribulationes ex concupiscentia nascuntur ; *c)* multae denique vi vitae superioris per gratiam fugantur (I 102).

4. Primus homo **eximia scientia** praeditus erat. *Sententia communis.*

DEMONSTR. Id significatur Gen 2 eo quod Adam inter animalia etiam homini simillima non invenit adiutorem sibi ; Evae vero et naturam et munus statim perspexit ; nomina imposuit animalibus ; ad quod Aug. (Iulian. V 1) : «Pythagoras dixisse fertur illum fuisse omnium sapientissimum, qui vocabula primus indidit rebus». Ratio theologica id colligit ex eo, quod Adam erat caput totius generis humani ; atqui ad quod munus quis a Deo vocatur, ad id rite subeundum convenientibus dotibus ab eodem Deo instruitur.

QUAEST. *Quod ad gradum istius scientiae attinet, antiquiores* (I 93, 3. 4 ; Ver. 18, 6) praeeunte August. saepe scientiam omnium, quae ex primis

principiis efficiuntur, immo inerrantiam ei tribuunt. *Recentiores* ad norman principii a s. Thoma statuti scientiam Adae ad ea restringunt, quae ad vitam digne agendam et ad munus capitis rite obeundum necessaria erant ; ergo etiam scientiam quandam supernaturalium : saltem vocationis ad munus capitis, forsitan etiam Trinitatis et incarnationis, admittunt. Quod *ad modum* attinet, antiqui scientiam formaliter infusam protoparenti plerumque vindicant ; recentiores vero ingenii vim innatam maxime asserunt, quae experientia agente velociter evolvebatur.

5. Protoparentes **dominio perfecto in naturam** pollebant. *Sententia communis.*— DEMONSTR. Tota narratio Genesis satis comprobat, quod habet Sir 17 : «*Dedit illi potestatem eorum, quae sunt super terram*»; etenim pacem cum beluis habebat ; et seditio naturae peccati demum erat consecutio; id quod colligitur ex iis, quae Paulus Rom 8 de omni creatura parturienti usque adhuc et ingemiscenti liberationem a servitute corruptionis dicit.

DIFF. *Praehistoria,* anthropologia, ethnologia priscum hominem tam rudem docent, cui non potuit convenire status ille sublimis paradisiacus. — RESP. Doctrinae istae *dicionem suam excedunt,* ubi de conditione religiosa et morali priscae gentis, vel plane protoparentum, quorum nulla praeter Scripturam supersunt testimonia, apodictice quid docent. Experientiā enim nituntur, cui paucissima vestigia exhibentur eaque ieiuna nimis, nihil omnino de vita interiore priscae gentis prodentia. Si qua *conclusio sobrie* ex istis documentis sive monumentis licita est, doctrinam biblicam minime oppugnat, imo confirmat : *a)* Vestigia illa praehistorica etiam priscum hominem *verum hominem* probant, mortuos condentem, instrumentis, mox igne et artibus utentem, profectui deditum. *b)* Nulla existit lex assidui profectus generis humani, maxime in religiosis et moralibus ; imo exploratum est recte in religiosis ideas priores a generationibus posterioribus saepe esse depravatas ; nihil ergo obstat, quominus genus humanum etiam a *statu paradisiaco defecerit. c)* Ab ethnologis nostris docemur *pygmaeos,* qui propinquiores sunt priscae genti, propius etiam in religiosis et moralibus ad statum biblicum accedere (§ 1, 3 ; cf. Schütz : Isten a történelemben cp 8).

3. Supernaturalitas.— THES. **Dona sanctitatis et integritatis originalis erant dona supernaturalia.** *Fidei proximum* quoad sanctitatem, immunitatem a concupiscentia et a necessitate moriendi ; *commune* quoad cetera.

EXPLIC. Thesi edicitur sanctitatem originalem esse donum supernaturale absolutum utpote omnem naturam creatam exsuperans, dona integritatis vero esse praeternaturalia utpote naturae humanae indebita quidem, sed neque immediate ad Deum videndum intenta, neque omnis creaturae possibilis naturam excedentia (cf. § 3, 1). Adversantur *novatores* s. 16., qui et gratiam et integritatem ad essentiam naturae humanae pertinere putabant et baiani *iansenistae*que, qui immunitatem a concupiscentia et immortalitatem pro complemento naturae hominis debito habebant ac proinde etiam gratiam debitam esse colligebant, utpote sine qua illa immunitas non detur. Thesis a magisterio Ecclesiae negative est proposita ; etenim damnatae sunt propositiones 79 *Baii* a Pio V. (1567), propp. 5 *Iansenii* ab Innocente X. (1653), propp. 101 *Quesnelii* a Clemente XI. (Bulla Unigenitus 1713) et propp. 85 synodi *Pistoriensis* a Pio VI. (1794), in quibus multis directe errores praefati proponebantur.

DEMONSTR. **Scr.** Supernaturalitas sanctitatis et integritatis originalis *implicite* in Litteris sacris docetur eo, quod omnia ista dona per peccatum amissa esse exhibentur ; etenim ipsa natura utpote terminus formalis creationis nec amitti nec minui potest (I 95, 1). **Tr.** Magni Patres rem

tractantes, *Athanasius* nempe, deinde *Cappadoces* et potissimum *Augustinus* (Faust. XXVI 3; Retr. I 10, 3; 15, 6) pristinum illum statum nomine naturae, utique perfectae complectuntur. Sed non est dubium, quin natura ab eis hinc quidem more platonico natura sensu pleno seu ut cumulata omnium perfectionum humanarum complexio intellegatur, illinc vero natura pro originali seu una cum origine data accipiatur. Distinctionem formalem naturae et entis supernaturalis scholastici demum inducebant; at rem: dona pristini status non fuisse naturae debita, ipsi Patres quoque multis asserunt, praesertim effectus formales gratiae naturae superadditos diserte docentes, imprimis filietatem divinam et deificationem: «Ut filius sis, non per naturam habes, sed per adoptionem» (Cyr., Hier. Cat. 3); «Si filii Dei facti sumus, deificati sumus; sed hoc est gratiae adoptionis, non naturae generantis» (Aug. in Ps 49, 2; cf. 94, 6; Gen. litt. VI 36, 37). Falso ergo Iansenius errorem suum ab Augustino repetit.

R. Ratione theologica efficitur *gratiam semper et ubique esse donum supernaturale simpliciter* (§ 70. 72). Dona *integritatis* simpliciter supernaturalia non sunt, quum quia non immediate ad Deum videndum ordinantur, tum maxime, quia non est impossibilis creatura, cui sint naturalia. Hominis naturam nihilominus superant; homini enim utpote composito ex anima et corpore naturale est passibilem ac mortalem esse, item pugnam inter sensus et rationem experiri. Ergo illa dona sunt praeternaturalia.

ADDIT. *Status humani possibiles.* — E doctrina theologorum post-tridentinorum in ordine ad finem supernaturalem sequentes status hominis sunt possibiles:

1. **Status naturae purae.** Est status absque gratia et donis integritatis seu cum concupiscentia, mortalitate et passibilitate tali quali nunc nascimur; quin tamen hi defectus rationem paenae vel peccati prae se ferant. *Status naturae purae* **est possibilis,** *licet theologis catholicis docentibus reapse nunquam extitit. Fidei proximum.* Damnata est propositio Baii: «Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur». Ergo contradictorium est verum. Negant novatores et baiani, obfuscant augustiniani potentiā Dei absoluta quidem id possibile esse dicentes, sed potentia Dei ordinata seu secundum sapientiam et bonitatem divinam fieri non posse. — DEMONSTR. Thesis est consecutio immediata supernaturalitatis sanctitatis et integritatis originalis. Si enim dona ista neque ad essentiam, neque ad integritatem naturae pertinent, natura utique potest absque eis esse (Mal. 4, 1 ad 14; Aug. Lib. arb. III 19, 20; Retr. I 9, 6). Neque obest, quod homo absque auxilio supernaturali non potest attingere ad omnes veritates religiosas et morales ordinis naturalis, *neque potest totam legem naturalem moralem diu servare* (§ 70, 2; cf. 5, 2); quasi ergo non potuerit Deus hominem talem creare qualis nunc nascitur. Etenim status naturae purae non plane idem esset atque praesens: Multae deessent tentationes e natura per peccatum corrupta oriundae, multaeque infestationes principis huius mundi, cuius captivitatem peccato originali subivimus; et defectus qui superessent, ordinario auxilio providentiae divinae facile suppleri possent.

2. Status *naturae integrae*, seu dona integritatis absque gratia sanctificanti. Hic status secundum omnes est possibilis, secundum scotistas parumper reapse quoque extitit.

3. Status *naturae sanctificatae*, seu gratiae absque donis integritatis. Est possibilis, sed nunquam realis fuit.

4. Status *naturae elevatae*, seu iustitiae et rectitudinis originalis:

coniunctio status naturae sanctificatae et integrae. Erat status protoparentum ante lapsum.

5. Status *naturae lapsae*, seu status post lapsum possibilis : facta abstractione redemptionis promissae.

6. Status *naturae reparandae*, seu status realis post lapsum : cum defectu donorum supernaturalium et reatu peccati originalis, tamen cum spe et promissione redemptionis.

7. Status *naturae reparatae* seu gratiae sanctificantis recuperatae vel cum vel sine donis integritatis ; qui ulterior est status, in quo sumus.

8. Status *naturae glorificatae*, seu status termini, vitae, comprehensorum, qui pro perseverantibus excipiet hunc statum viae seu viatorum.

ADDIT. 1. **Adam sanctitatem et integritatem originalem non sibi soli sed ut caput generis humani pro tota progenie sua acceperat.** *Veritas catholica.* Tridentinum enim eos anathematizat, qui non confiteantur Adam sanctitatem et iustitiam sibi soli et non nobis etiam perdidisse (5 c. 5 ; § 50, 1) ; ergo pro nobis quoque ista acceperat, ut ea tamquam caput in omne genus humanum transfunderet.

DEMONSTR. **Scr.** Paulus multis praedicat a Christo recuperatam esse sanctitatem et iustitiam, quam in protoparente perdideramus ; mortem invidia diaboli, peccato venisse ; item concupiscentiam esse ex peccato. Ergo etiam omnia bona contraria nobis quoque communicata fuissent, si Adam non peccasset. **Tr.** Patres idem indicant, quum Adae sanctitatem ‚originalem' seu origini et naturae adnexam esse docent. **R.** Ratio theologica imprimis statuit : Adam ex positiva Dei voluntate caput et vicarius totius generis humani fuit constitutus in bonis super- et praeternaturalibus transfundendis, quod est specialis gratia praeter dona sanctitatis et integritatis iam accepta *(gratia capitis)*.

QUAEST. *Quomodo dona illa transfundenda erant?* — Ex sententia *thomistarum* (I 100, 2 ; Aug. Civ. XVI 10) hoc ita factum esset, ut integritas per matrimonium tamquam causam instrumentalem una cum natura in omnes propagaretur, et gratia per eandem generationem maritalem tamquam occasionem communicaretur. Confirmatio in gratia pro singulis probationi fuisset adnexa. E mente *scotistarum* singuli homines in nativitate accepissent per habitum specialem dona integritatis, gratiam sanctificantem autem mereri debuissent. Quomodo deinde in illo beatorum ordine genus humanum eiusque status evolutus fuisset, penitus nos latet.

2. *Supernaturalis vitae conditio est unica et obligatoria pro omnibus hominibus.* Etenim Deus eo quod Adam ad vitam supernaturalem ordinavit eumque caput totius generis humani constituit, in Adam omnes ad finem supernaturalem vocavit. Nec s. Litterae ac traditio alium atque hunc finem norunt. *Falsus est ergo liberalismus* tam pelagianus quam recentior pro lubitu singulis committens studium finis sive naturalis sive supernaturalis.

§ 49. Lapsus protoparentum.

Statuuntur 1. factum, 2. consecutiones lapsus.

1. Factum. — THES. **Protoparentes probationi subiecti peccato gravi mandatum Dei transgressi sunt et ita sanctitatem originalem amiserunt.** *De fide.*

Adversus rationalistas cuiusvis aetatis Trident. 5 c. 1 post Milevit. et Arausic. II. definivit : «*Si quis non confitetur primum hominem Adam quum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et iustitiam in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam praevaricationis huiusmodi iram et indignationem Dei atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub eius potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est diaboli, totumque Adam per illam praevaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse: a. s.*»

DEMONSTR. Lapsus protoparentum Gen 3 narratur, quae narratio contra opinionem allegoristarum (Philo : serpens = sensuum tentationes, Eva = vita psychica inferior, Adam = superior) et mythologistarum (esse istam narrationem cuiusvis peccati ; vel specimen, quo origo mali a populis explicatur) *ad sensum litteralem et historicum* est accipienda, ita ut unicum factum historicum narret, cuius praecipua capita : mandatum divinum, seductio per diabolum facta, transgressio mandati certo sunt facta historica (Com. Bibl. a. 1909 *D* 2122 s.). Etenim *a)* narratio illa est pars organica libri historici et indolem plane historicam prae se fert, cuius interpretatio mythica iam ex hoc capite reicienda est, quod absolutae veritati Scripturae contradicit *b)* Ulteriores libri V. T.-i supponunt et appellant factum lapsus : «*A muliere initium factum est peccati*» Sir 25 ; et N. T. expresse id docet : «*Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio*», dicit Christus d. iudaeis Jn 8 ; «*Serpens Hevam seduxit astutia sua*» 2 Cor 11. *c)* Patres unanimiter lapsus factum testantur et multis illustrant ; immo etiam gentium convictio est homines ex prisca conditione, ex «aetate aurea» proprio peccato excidisse.

Ex his tamen non sequitur singula ad litteram esse accipienda. Non probatur autem *opinio Caietani* tentationem mere internam fuisse. Etenim frequens et obvia doctrina est Litterarum s. diabolum fuisse seductorem protoparentum, qui serpente tamquam symbolo vel probabilius tamquam instrumento usus est. Lignum scientiae probabiliter mystice ad scientiae acquisitionem est referendum (I 102, 1 ad 4 ; Comp. 188).

QUAEST. 1. *Quare Deus probavit protoparentes*, quum potuerit eos absque tentatione in gratia confirmare? — Est lex fundamentalis oeconomiae divinae beneficia sua creaturis ita dono dare, ut a creaturis rationalibus proprio studio quoque mereri debeant. Sic enim et summae Sapientiae et dignitati entium rationalium maxime convenit. Ideo etiam angeli erant probati, et in ordine praesenti quoque singuli a Deo probationi subiciuntur.

2. Quare Deus tale mandatum prima specie puerile dedit : «*Ex omni ligno paradisi comede. De ligno autem scientiae boni et mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*» Gen 2. — *a)* Protoparentes probationi erant subiciendi. Atqui fini probationis mandatum positivum, cuius ratio intima non perspicitur, magis convenit ; tale enim mandatum tantummodo ex obedientia ac pietate erga mandantem impletur. Si vero aliquod praeceptum legis naturalis fuisset datum, tunc immediate menti propriae idem suadenti, et mediate tantum Deo auctori legis obtemperassent ; nimisque facile fuit tale mandatum propter dona integritatis. *b)* Minime potest puerilis dici tentatio, ubi scientia mali experimentalis in periculo est, quae teste historia usque in hunc diem est gravissima tentatio generis humani.

3. *Quale peccatum fuit peccatum primum?* — Peccatum Evae formaliter fuit inobedientia, radicaliter superbia ; etenim «*in superbia initium sumpsit omnis perditio*» Tob 4. Idem dicendum de peccato Adae cum omnibus theologis contra Scotum, e cuius opinione Adae peccatum fuit debilitas erga uxorem. Falsum est, quod quidam veteres opinabantur, commixtionem carnalem praecocem fuisse primum peccatum. Etenim Gen. 2. 3 nihil de hoc dicit, immo Deus Adae dixerat : «Crescite et multiplicamini» ; deinde vero Evam statim post creationem ut uxorem Adae induxit ; usus ergo matrimonii non potuit illicitus esse.

4. *Cuius gradus fuit peccatum primum?* — Ex opinione probabilissima s. Thomae (2 II 163, 3 ; Aug. Enchir. 45 ; Nupt. concup. II 34, 58) non fuit gravissimum simpliciter ; in se enim gravius est odium Dei, stuprum turpius ; fuit tamen gravissimum secundum quid, seu consideratis excellentia peccantium et consecutionibus peccati. Deinde probabiliter gravius fuit peccatum Adae quam Evae. Etenim hinc quidem et ipse acceperat mandatum, et ipse erat caput hominum, inde vero ipse non immediate a diabolo seductus est.

5. *Quando primum peccatum est commissum?* — Probabiliter et communiter : non multo post creationem, eodem elevationis die.

6. *Num etiam per aliud peccatum grave amissa fuisset integritas originalis?* — Contra plerosque thomistas (cf. 1II 81, 2. 5) id affirmantes cum Alexandro Halensi probabiliter negatur. Etenim *a)* omnis s. Litterarum narratio indicat soli positivo illi mandato de non comedendo ligno scientiae comminationem mortis alligatam fuisse. *b)* Eva per transgressionem non amiserat integritatem, quod Adamum minime latuisset eumque a peccato deterruisset ; recte ideo, quod probatio uni soli mandato illi erat alligata.

2. Consecutiones peccati primi protoparentum magnam vim dogmaticam habent, eo quod una cum reatu peccati et ipsae transfusae sunt in omne genus humanum ; ita ut peccatum primum Adae sit peccatum originans. Consecutiones illae ex mente Tridentini sunt hae :

1. *Amissio sanctitatis et iustitiae originalis* seu gratiae sanctificantis necnon reatus irae ac indignationis Dei. Est conclusio dogmatica ex eo, quod omnem gravem voluntatis divinae transgressionem privatio gratiae sanctificantis consequatur : «*Iustus non poterit vivere in iustitia sua, in quacunque die peccaverit*» Ez 33. Id Gen 2 quoque satis indicat narrans protoparentes se abscondisse, seu vitasse commercium familiare cum Deo per gratiam antea concessum, et eiectos esse e paradiso, quod erat pignus et symbolum intimae Dei communionis. Dicente Paulo «nos omnes eramus natura filii irae, sicut et ceteri» Eph 2.

2. *Mors et aerumnae.* Mulieri dixit Deus : «*Multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos; in dolore paries filios et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.* Adae vero dixit : Quia audisti vocem uxoris tuae et comedisti de ligno, ex quo praeceperam tibi ne comederes, *maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae.* Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terrae. In sudore vultus tui vesceris pane, *donec revertaris in terram de qua sumptus es; quia pulvis es, et in pulverem reverteris*» Gen 3. Frequens est doctrina s. Litterarum posteriorum quoque mortem esse stipendium peccati, et invidia diaboli in mundum venisse.

3. *Captivitas sub potestate diaboli*, qui mortis habet imperium. Ab ipso Christo d. satanas princeps huius mundi dicitur, a cuius satellitibus fideles multum exercentur (§ 45, 3).

4. Protoparentes *secundum animam et corpus in deterius sunt mutati*. Hoc patet iam vel eo, quod mortis et aerumnarum imperium subibant; deinde exinde colligitur, quod donum integritatis amiserunt: cognoverunt se nudos esse et fecerunt sibi perizomata, et quum audissent vocem Dei deambulantis in paradiso, absconderunt se a facie Domini. Ex quo collige eximiam eorum scientiam quoque deperiisse; stultissimum enim est conamen abscondi velle a facie Dei.

QUAEST. *Quonam modo perditio donorum supernaturalium facta sit*, s. Thomas (2II 164, 1. 2) sic explicat: In statu sanctitatis et integritatis originalis natura superior hominis per gratiam subdita erat Deo, et inferior per integritatem superiori seu rationi; gratiā deinde per aversionem a Deo exstincta, sicut natura superior contra Deum exsurrexerat, sic per conversionem ad creaturas natura inferior contra superiorem seditionem movit, cui deinde natura exterior se adiungebat.

ADDIT. Communis est sententia *protoparentes paenitentiam egisse*. Id significatur Gen 3, ubi narratur protoparentes se abscondisse a facie Dei, se de transgressione mandati excusasse; ergo mala eorum mens minime inveterata fuit. Eos deinde in spem remissionis erectos esse inde efficitur, quod Adam post lapsum uxorem suam «Hevam» vocasset, «eo quod mater esset cunctorum viventium» Gen 3. Teste Sap 10 «sapientiā custoditus est pater orbis terrarum et eductus a delicto suo». Nihil ergo mirum, quod protoparentes in sanctorum catalogum relati sint (24. decembris.)

§ 50. Peccatum originale.

Statuuntur 1. factum, 2. natura, 3. propagatio, 4. consecutiones.

1. Factum. — THES. **Adae peccatum ut peccatum cum omnibus consecutionibus in totum genus humanum transivit.** *De fide.*

Adversantur *manichaei*, qui pravitatem naturae humanae non negant quidem, sed originem eius ex unione animae cum corpore, materia mala repetunt. Praeexistentiani et *priscillianistae* corruptionem praesentem a peccatis in vita anteacta commissis deducunt. Ex opinione *pelagianorum* Adae peccatum sibi soli imprimis nocuit, propagini autem, ubi plurimum, imitatione non propagatione; in statu praesenti mors est necessitas, concupiscentia vero vigor naturae. Rationalistae ut peccatum originans ita etiam originale omnino infitiantur. Post Milevit. et Arausic. II.

Trident. 5 definivit: «*Si quis Adae praevaricationem sibi soli et non eius propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et iustitiam, quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam eum perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum mortem et paenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animae, a. s.*» c. 2. «*Hoc Adae peccatum, quod origine unum est, et propagatione non imitatione transfusum, omnibus inest unicuique proprium . . .*» c. 3. «*Si quis per Iesu Christi d. n. gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, a. s.*» c. 5.

DEMONSTR. **Scr.** In V. T.-o factum peccati originalis non formaliter proponitur; ea tamen, quae ex ipso eveniunt, copiose et abundanter tractantur. Ita pugna cainitarum et sethitarum, corruptio etiam sethitarum velociter irruens, nec non diluvii iudicium dilucide comprobant id, quod ipse Dominus confirmat: «*Sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*» Gen 8. Circumcisio deinde ut signum foederis data, legislatio mosaica innumeris lustrationibus, expiationibus, sacrificiis cruentis satis probat ipsam hominis naturam esse vitiatam, quod indicat Ps 50: «*Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum et in peccatis concepit me mater mea*» et illud Iob 14: «*Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine*»; quibus tamen peccatum originale probabiliter non formaliter enuntiatur.

In N. T.-o Christus d. docet etiam infantes regeneratione et redemptione indigere. Locus fundamentalis dogmatis etiam a Trid. (5, c. 2) laudatus est Rom 5, 12—20: «*Sicut per unum hominem peccatum* (ἡ ἁμαρτία) *in hunc mundum intravit et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransivit, in quo* (ἐφ' ᾧ) *omnes peccaverunt*... (huius anacoluthi apodosis sunt vv. 18 et 19, quibus tamen prius resumitur protasis): *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obeditionem iusti constituentur multi*». His apostolus certo de peccato originali loquitur. Etenim *a)* agitur de peccato gravi: ἡ ἁμαρτία, cuius exitus est mors cuique iustificatio in Christo opponitur; *b)* est peccatum unicuique proprium, etenim per illud homines peccatores constituuntur, sicut per Christi unionem iusti constituuntur; *c)* peccatum istud ab Adam transfusum est in singulos. Quod formaliter edicitur, si illud ἐφ' ᾧ cum Vulg. «*in quo*» significat; sed aequivalenter tunc quoque docetur, si cum plerisque recentioribus probabilius per «*eo quod*» interpretandum est. Teste contextu etenim parallelismus statuitur: in Adam omnes sunt peccatores (propter nexum propagationis cum capite physico), sicut in Christo omnes sumus iustificati (propter nexum mysticum cum Christo capite mystico per baptismum initum).

DIFF. Ez 18 dicitur: «*Anima quae peccaverit, ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris*». — RESP. Ex contextu hic est sensus: Iudaei captivitatem miserrimam pertaesi conquerebantur propter peccata patrum eos affligi: «Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt»; quibus propheta respondet: minime fiet istud; sed pro suo quisque peccato punietur.

Tr. Dicit Augustinus: «Non ego finxi originale peccatum, quod catholica fides credit antiquitus» (Nupt. concup. II 25). Et revera *Iustinus* (Dial. 88) genus humanum per Adam in mortem et fraudem incidisse serpentis testatur. *Irenaeus* (III 18): «Deum quidem in primo Adam offendimus non facientes eius praeceptum; in secundo autem Adam reconciliati sumus obedientes usque ad mortem facti. Neque enim alteri cuidam eramus debitores, sed illi, cuius praeceptum transgressi fueramus

a principio». *Tertullianus:* Malum a vitio originis sumit initium, et est quodammodo vitium naturae ; «omnis anima in Adam censetur, donec in Christo recenseatur» (Anim. 3. 40). *Cyprianus:* A baptismo «prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit, qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria (= personalia) sed aliena peccata» (Ep. 64). *Ambrosius*, «Augustinus ante Augustinum» : «Fuit Adam, et in illo fuimus omnes, peccavit Adam, et in illo omnes perierunt» (In Lc 7, 24). *Augustinus*, doctor gratiae, etiam de peccato originali omnibus subtilius adversus pelagianos disseruit : Peccatum originale non tantum poena est, sed etiam peccatum, cuius reatus utique a protoparente est contractus, sed «omnes fuimus in illo uno, quando omnes fuimus ille unus» (Civ. Dei XIII 14) ; nec inepte peccatum hoc etiam in parvulis voluntarium dicitur, «quia ex primi hominis mala voluntate contractum est» (Retract. I 13). Et ipsi et prioribus *paedobaptismus* fuit magnum documentum peccati universalis : «Cur nascetur denuo, nisi renovandus?» (Pecc. merit. I 58. 62 ; Iul. imperf. I 64 ; VI 4).

E graecis *Origenes* testis disertus est : Omnes homines sunt peccatores, etiam infans unius diei (In Mt 10, 23) ; sed praeexistentianismo aliquantulum etiam in hac materia indulget. Discipuli Origenis iam minus distincte loquuntur. Tamen e sententia *Athanasii* «de Adam peccatore peccatum transivit in omnes homines» (Arian. I 54). Similiter loquitur Didymus. Magna erat controversia iam s. Augustinum (Iul. imperf. I 21. 22. 26) inter et Iulianum Ecclanensem de mente *Cappadocum et Chrysostomi* in hac materia. Quamvis et ipsi omnes homines propter Adam peccatores habeant, et praecipue Chrysostomus nos in eundem numerum cum Ada transgressore referat, fatendum est ab eis reatum paenae magis quam peccati affirmari, et quandoque eos dicere : nullum esse originis et naturae vitium. At non est praetermittendum eis cum manichaeis et praeexistentianis fuisse disceptationem, ad quorum mentem recte dicitur nullum esse naturae vel originis vitium ; neque illud Augustini praetermittendum : «Vobis (pelagianis) nondum litigantibus securius loquebatur (Chrysostomus)».

R. *Ratio theologica* factum peccati originalis ex universali necessitate redemptionis et baptismi colligit. Ratione vero *philosophica* factum peccati originalis demonstrari non potest. Etenim *a)* potuit Deus hominem creare talem, qualis nunc nascitur. *b)* Peccatum originale est factum supernaturale, quale erat iustitia originalis ; habitus enim et privatio sunt in eodem genere. Atqui supernaturalia naturali rationis lumine non possunt inveniri. Nihilominus «peccati originalis in humano genere probabiliter quaedam signa apparent» (Gent. IV 52), uti sunt pugna vehementissima hominis inferioris et superioris, quam describit Paulus : «Quod enim operor non intellego. Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum, illud facio» Rom 7 ; item immanis potestas mali totam vitam et singulorum et generis humani pervadens.

2. Essentia peccati originalis. — Peccatum originale *est mysterium* non tantum quoad existentiam, sed etiam quoad modum. «Antiquo illo peccato nihil est ad praedicandum notius, nihil ad intellegendum secre-

tius» (Aug. Mor. Eccl. I 40). Nihilominus revelatione et Ecclesia duce aliquantulum adumbrari potest.

Omnium primo quid de *essentia peccati* sit, statuendum. Plena peccati ratio *in peccato actuali personali gravi* invenitur, quae definitur ethice : deliberata transgressio legis in materia gravi ; theologice : deliberata aversio a Deo fine ultimo, per conversionem inordinatam ad creaturas. Formale peccati est voluntarium, materiale primarium et essentiale aversio a Deo fine ultimo, secundarium et integrale conversio inordinata ad creaturas. Peccatum *veniale* est ethice transgressio legis vel non plene deliberata vel in materia non gravi ; theologice est defectus debiti modi et contentionis in Deo, fine ultimo petendo. Peccatum *habituale* est status, qui enascitur e peccato personali actuali commisso non retractato, seu est aversio permanens a Deo fine cum reatu culpae et paenae. Quum peccatum originale verum sit peccatum, elementum et materiale et formale exhibeat oportet.

THES. **Materiale peccati originalis est defectus gratiae sanctificantis.** Sententia nunc *communis*.

DEMONSTR. *a)* Iis omnibus satisfacit, quae *Tridentinum* de natura peccati originalis definivit. Namque defectus gratiae sanctificantis in praesenti salutis ordine est mors animae ; inest unicuique proprium ; per baptismum tollitur. *b)* Teste *Paulo* Rom 5 peccatum originale et iustificatio per Christum d. impetrata sunt contrarie opposita : alterum per alterum fugatur ; atqui iustificatio per Christum d. acquisita essentialiter gratia sanctificanti constituitur. Ergo eius contrarium, peccatum originale est defectus gratiae. *c) Ratione theologica* comprobatur. Etenim gratia sanctificanti utpote supernaturali Dei consortio homo immediate in Deum tamquam finem supernaturalem dirigitur ; quae si deest, iam ab hoc fine avertitur ; non quidem positive, prava animae voluntate, sed privative : sc. propter defectum debitae ordinationis seu supernaturalis conversionis ad Deum. Si in Adam non essemus vocati ad finem illum supernaturalem, defectus gratiae neque paenae neque peccati reatum haberet ; esset mera negatio, non vero privatio.

Ab hac via media veritatis hodie ab omnibus theologis alicuius notae servata *aberrarunt* alii per excessum, per defectum alii.

1. *Per excessum a) haeretice* novatores saeculi 16. et iansenistae docentes *concupiscentiam habitualem seu fomitem esse peccati originalis essentiam;* immunitatem a fomite ad naturae vel essentiam vel integritatem pertinere opinabantur, naturam sibi relictam non posse nisi deficere, et quemcumque concupiscentiae motum (concupiscentiam actualem) esse peccatum formale asseverabant. Falso omnino. Etenim *α)* e Tridentini sententia per baptismum tollitur totum id, quod peccati veri rationem habet ; atqui concupiscentia teste experientia non tollitur ; ergo non habet peccati veri rationem. Secundum Paulum quoque «*nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu*» Rom 8. *β)* Neque concupiscentia actualis est peccatum formale, ut clare docet Iac 1 : «*Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Deinde concupiscentia quum conceperit, parit peccatum ; peccatum vero quum consummatum fuerit, generat mortem*». Et a Paulo Rom 7 ideo tantum peccatum vocatur,

«quia ex peccato est et ad peccatum inclinat» (Trid. 5 c. 5); et recte hoc sensu concupiscentia ab Augustino quoque peccati originalis essentia habetur: non formaliter, etenim identidem asserit reatum peccati ad concupiscentiam accedere (Iul. imperf. I 71; Nupt. concup. I 23, 25; Ep. Pel. III 3, 5 etc.); sed complexive: est enim peccati originalis signum maxime manifestum. Inde etiam theologi medii aevi cum Halensi et Thoma (III 82, 3; Mal. 3, 7; 4, 2) eam elementum materiale secundarium peccati originalis esse volebant; sed inde a Dom. Soto († 1560) in solo gratiae sanctificantis defectu essentia peccati originalis reponitur.

b) Theologice errarunt Henricus Gandavensis, Gregorius Riminensis et quidam galli recentiores (Lacordaire, Bougaud sequentes Pascalem et Bossuetum) *peccatum originale qualitatem quandam morbidam* a protoparentibus per sanguinem corruptum quasi transfusam esse contendentes. Ex praefatis enim peccatum originale ut defectus gratiae sanctificantis non est qualitas, sed relatio. Gravius impingunt substantiarii, novatores quidam cum Flacio Illyrico haeretice docentes per peccatum hominem substantiam malam esse factum. Quod philosophice quoque est falsum. Malum enim est defectus, et igitur non subsistit; substantia mala repugnat.

2. *Per defectum* a recto tramite abviaverunt *a) haeretice* pelagiani omnesque rationalistae totam originalis delicti rationem in Adae peccato ponentes, et ubi plurimum, in eius vi ad imitationem alliciendi. *b) Theologice* defecerunt quidam posttridentini (Ambrosius Catharinus, Lugo, Salmeron) docentes peccatum originale esse durationem moralem peccati Adae nobis imputatam; defectum gratiae necessario coniunctum esse quidem peccato, sed rationem paenae tantum, non peccati habere. Haec enim opinio difficile componitur cum decreto Tridentino statuenti peccatum originale transfundi, et inesse unicuique proprium; deinde reatum quendam forensem videtur insinuare, non adeo dissimilem iustitiae forensi lutheranorum. —

Voluntarium *peccati originalis.* — *Voluntarium verum pertinere ad essentiam cuiuscunque peccati* est *fidei proximum* adversus Baium et Iansenium docentes ad merendum et demerendum non requiri in homine libertatem a necessitate, sed sufficere libertatem a coactione (prop. 3. Ians.); graviter enim contra sanctitatem Dei et veritatem ordinis moralis offendit, reatum veri peccati ex actibus non voluntariis oriri posse.

Nihilominus certum est *voluntarium peccati originalis non esse in voluntate singulorum* quaerendum. Etenim *a)* multis deest arbitrium, uti mente captis et infantibus, quin tamen ab originis labe sint soluti. *b)* Si peccatum originale personaliter esset voluntarium, etiam per modum peccatorum personalium, contritione nimirum et paenitentia esset delendum. Deletur vero per baptismum; et a nemine unquam in Ecclesia contritio de peccato originali elicienda exigebatur. — Peccatum originale ergo non in personis reatum contrahentibus, sed *in Adam, principio naturae humanae est voluntarium.* Seu est voluntarium non immediate, sed mediate tantum; sicut enim actus manus non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate animae imperantis manus actum, ita peccatum originale non est voluntarium voluntate personarum, sed voluntate principii naturae tantum (III 81, 1).

Quum autem accuratius quaeritur *de modo,* quo voluntas nostra

voluntati Adae coniungatur, theologi in diversas abeunt sententias : 1. Ex opinione *origenistarum* singulae animae ante coniunctionem cum corpore peccaverunt. Haec est haeresis praeexistentianismi, a qua non adeo aliena est eorum doctrina, qui Adae peccatum ideo nobis quoque imputari censebant, quia Deus praeviderit unumquemque nostrum Adae loco pariter peccaturum fuisse. — 2. Ex *Augustini* et scholasticorum realistarum *(Anselmi)* mente voluntates singulorum unitate physica adiunctae erant voluntati protoparentis. Quod tamen verum non est. — 3. E sententia quorundam posttridentinorum omnium nostrum voluntas moraliter alligata erat voluntati Adae vel decreto Dei positivo *(Bellarm.)* vel etiam pacto formali inter Deum et Adam inito *(Suarez);* quod gratis omnino asseritur. Omnes istae sententiae iam vel eo deficiunt, quod peccatum originale ad modum peccati personalis accipiant, quum sit *peccatum naturae.* Quod acute describit *Odo Cameracensis* († 1113) : «Peccatum, quo peccavimus in Adam, mihi quidem naturale est, in Adam vero personale. In Adam gravius, levius in me ; nam peccavi in eo non qui sum, sed quod sum. Peccavi in eo non ego, sed hoc quod sum ego ; peccavi homo, non Odo ; peccavi substantia, non persona. Sed quia substantia non est nisi in persona, peccatum substantiae est etiam personae, sed non personale. Peccatum vero personale est, quod facio ego qui sum, non hoc quod sum ; quo pecco Odo, non homo ; quo pecco persona, non natura. Sed quia persona non est sine natura, peccatum personae est etiam naturae, sed non naturale». Ad mentem huius veritatis

Standum est *sententiae hodie communi* Thomae (Mal. 4, 1 ; 1II 81, 1) : Adam quando ei probationis mandatum fuerat datum, ex positivo Dei instituto ut caput totius generis humani decreturus erat, quomodo deinceps natura humana ad Deum finem supernaturalem ordinaretur; ita ut ex transgressione mandati probationis cum paena simul etiam reatus culpae in omne genus humanum transiret.

COROLL. 1. Peccatum originale utpote mediate voluntarium *alio modo a Deo atque peccata personalia imputatur,* prout apparet ex consecutionibus eius imprimis eschatologicis. Nota bene : monente Thoma (in Lomb. II. d. 35, 1, 2 ad 2) peccatum personale grave, veniale, originale analogice tantum peccata dici.

2. Peccatum originale utpote defectus gratiae sanctificantis in principio naturae humanae tantum voluntarius *eiusdem est gravitatis in omnibus hominibus.* Est enim materialiter privatio gratiae, formaliter relatio ad peccatum Adae ; at neque plena habitus privatio, neque relatio ut talis admittit magis et minus (III 84 4 c).

3. His omnibus consideratis peccatum originale *definitur:* defectus conversionis debitae ad Deum tamquam finem supernaturalem ortus ex privatione gratiae sanctificantis et culpabilis ex connexione morali singulorum cum Adam capite generis humani.

3. Propagatio. — THES. **Peccatum originale ita transmittitur, ut singuli homines per generationem paternam stirpi Adae inseruntur et propter hanc cum capite coniunctionem defectum gratiae sanctificantis et reatum peccati contrahunt.** *Hodie commune.*

DEMONSTR. Subiectum peccati originalis est anima singulorum. Etenim peccatum originale, quod inest unicuique proprium, essentialiter est defectus gratiae sanctificantis ; gratia sanctificans autem in anima residet ; ergo etiam privatio eius. Verumtamen anima non praecise in se

considerata, sed ut forma informans corporis et unitate morali cum capite Adam coniuncta est subiectum peccati originalis. Infusio autem animae in corpus simulque insertio singulorum in stirpem Adae fit per generationem tamquam causam occasionalem, resp. instrumentalem, eamque paternam, quippe quae sit principium activum generationis humanae. Ita Thomas (1 II 83, 1 ; Mal. 4, 1).

Falsa est ergo sententia haud paucorum antiquorum : delectatione sensuum, *libidine transmitti naevum originis* ad posteros (Fulgentius, Lomb., Bonaventura). Etenim in statu naturae purae adesset libido generandi, quae tamen peccatum originale tunc non transmitteret ; et si in statu praesenti per miraculum delectatio tolleretur, peccatum originale nihilominus transfunderetur. Ille unus fuit immunis a debito antiqui peccati, qui non ex voluntate carnis, non generatione paterna natus est : Christus.

DIFFIC. 1. *Animae, i. e. subiecta peccati originalis a Deo creantur:* ergo non possunt esse malae ; hac difficultate Augustinus a creatianismo amplectendo absterrebatur. — RESP. a s. Thoma (Mal. 4, 1 ; Pot. 3, 9 ad 3) ita proponitur : Deus dat esse animae necnon infusionem in corpus a parentibus procreatum ; et haec sunt bona. Peccatum, quod infusionem animae in corpus ad Adae stirpem pertinens consequitur, est quidem malum, at non a Deo, sed a protoparente originem ducit. Causa enim principalis efficiens peccati originalis est Adam ; Deus illud tantum permittit.

2. Si peccatum originale per generationem propagatur, *matrimonium ut malum est vitandum.* — RESP. Homini in peccato originali nato melius est sic esse quam non esse. Nam ante obitum potest salvari in Christo ; et si nihilominus in hoc peccato decesserit, probabilissime non carebit quadam beatitudine naturali (infra n. 4). Ergo generatio talis hominis utpote honesti quid potest honeste intendi ; eo magis quia procreatione novi subiecti peccati originalis Deo non infertur nova offensa, quippe quae in peccato Adae iam sit absoluta. Reatus peccati in parvulis non a parentibus oritur, sed causa eius efficiens principalis est Adam ; parentes vero causa instrumentalis tantum sunt.

4. **Consecutiones peccati originalis** docente Trid. 5 c. 1. 2 eaedem sunt in nobis, atque erant in protoparente. Homo in peccato originali constitutus a theologis comparatur homini illius parabolae incidenti in latrones, «qui etiam despoliaverunt eum et plagis impositis abierunt semivivo relicto» Lc 10. Inde

1. *Homines in peccato originali constituti spoliati sunt gratia sanctificanti et eius comitatu,* virtutibus supernaturalibus et donis Spiritus s. *De fide* ex Trid. et patet ex prioribus (n. 2). Negatur a solis pelagianis. — *Nota bene:* gratiae sanctificantis defectus est ergo et peccatum (a parte materiae consideratum) et paena ; ut aversio hominis a Deo est peccatum, ut aversio (abominationis) Dei ab homine est paena.

2. *Vulnerati sunt in naturalibus. De fide* adversus pelagianos id negantes, iam ex Milevit. et Arausic. II., item ex Trid. definienti totum hominem secundum corpus et animam in deterius esse mutatum. Demonstratum est, ubi de consecutionibus peccati originantis disseruimus.

Hic diligentius inspiciendus est *modus et gradus vulnerationis* illius. Dicendum est : Facultates naturales per peccatum originis *non ita sunt sauciatae, ut scientia Dei naturalis et libertas moralis penitus extincta sint.*

Est *de fide* adversus novatores, qui contendunt homini post lapsum non esse relictam nisi libertatem in civilibus. Definitum enim est a Trid. 6 c. 5 : «*Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et exstinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum denique a satana invectum in Ecclesiam, a. s.*» Demonstratum est § 47, 2 ; scientia Dei naturalis § 22, 1.

Vulneratio naturae per solam spoliationem praeternaturalium facta est, ita ut *status in quo nunc nascimur, idem est atque fuisset status naturae purae,* si praescindatur a quibusdam auxiliis externis et praesertim a reatu peccati et poenae. Est sententia *communior et probabilior.* Si Augustinus naturam intrinsecus corruptam et imminutam esse videtur docuisse, non est praetermittendum naturam ab eo semper accipi originalem, et opponi non supernaturae sicuti a posterioribus, sed naturae depravatae (cf. § 49, 3). Postquam s. Thomas hanc ipsam sententiam quoad rem iam proposuerat, Caietanus et Suarez statum naturae purae et lapsae homini alteri nudo alteri vestibus spoliato comparantes formaliter eam propugnabant. — *Ratio* huius sententiae : Diminutio in naturalibus non posset originem ducere a peccato protoparentis brevi transeunti, quod pravitatem habitualem voluntatis ne committenti quidem, eo minus posteris intulit ; neque a singulis hominibus, qui ex solo peccato originali nullam pravitatem contraxerunt ; neque a Deo, qui naturas a se creatas non corrumpit.

Ad *extensionem vulnerationis* naturae quod attinet, monet Thomas (1II 85, 3) totum hominem vulneratum esse in intellectu, in voluntate, in parte irascibili et concupiscibili, quibus vulnera ignorantiae, malitiae, infirmitatis, concupiscentiae inflicta sint, virtutes vero prudentiae, iustitiae, fortitudinis, temperantiae subtractae.

3. *Consecutio eschatologica peccati originalis est paena damni aeterni. De fide* ex Florentino : «*Illorum animas qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, paenis tamen disparibus puniendas*». Probatur eo, quod labes originalis est verum peccatum, quod nisi gratiā Christi deletum sit, arcet a visione Dei, ut in eschatologia demonstrabitur (§ 115).

Communis est recentiorum sententia adversus Augustinum, Gregorium M. et quosdam theologos medii aevi (Gregorius Riminensis : tortor infantium) in solo originali peccato decedentes *non puniri paena sensus,* quippe qui prava voluntate et perversa conversione in creaturas non peccaverint. Probabilius deinde docetur post Thomam (I 16, 21 ; III 1, 4 ad 2 ; Mal. 5, 2) a plerisque recentioribus eos *nullam* tristitiam ex amisso fine supernaturali concipere ; immo Deo ut fine naturali frui posse, atque ideo *non carere beatitudine quadam naturali.* Quae omnia colliguntur ex eo, quod peccatum originale hinc quidem non est peccatum personale, sed naturae tantum, illinc vero non extinguit vires naturae ad Deum finem creaturae rationalis tendentes ; et confirmantur eo, quod Ecclesia adversus insimulationem iansenianam docet doctrinam theologorum de limbo puerorum non esse haeresim pelagianam. Et ita omnibus consideratis iis qui in solo originali obeunt, melius est sic esse, quam omnino non esse.

DIFF. 1. *Est iniustum, ut nos propter protoparentis peccatum gratiā et dotibus integritatis privemur.* — RESP. Supernaturalia sunt omnino

gratuita, nemini a Deo debita ; eorum ergo subtractio non est iniuria. Naturales vires hominis post lapsum sartae tectaeque manent, quarum auxilio quivis potest vitam aliquam humanam agere. Status praesens ergo non contradicit sapientiae creatoris ; non enim est simpliciter malus, sed solum minus bonus, si conferatur cum statu pristino.

2. Tamen *repugnat iustitiae divinae, ut nobis pro peccato imputetur factum, in quo committendo nullas omnino partes habuimus.* — RESP. Licet in hoc ipso momento quaerenda sit peccati originalis ratio mystica, tamen revelatione duce difficultas fundamento carere ostenditur : *a)* Peccatum originale longe alio modo atque peccata personalia imputatur : absque paenitentia personali remittitur, paenā sensus et doloribus positivis damni non punitur, neque probabilius aliquam beatitudinem finalem excludit. *b)* Ideo Deus decreto positivo nobis Adae reatum imputari voluit, ut lex fundamentalis vitae rationalis, lex illa solidaritatis quam efficacissime manifestetur. Mysterio isto gravissime monemur illius Apostoli : «*Nemo enim nostrum sibi vivit et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, sive morimur, Domini sumus*» Rom 14.

3. *Contrait misericordiae et sanctitati divinae*, ut propter unius peccatum totum genus humanum massa damnata constituatur. — RESP. In praesenti ordine salutis genus humanum propter redemptionis decretum et promissionem prius erat massa benedicta, quam per iudicii sententiam massa damnata. Peccatum originis non est in se, sed in coniunctione cum Christo redemptore considerandum : «*Absorpta est mors in victoria*»; «*ubi abundavit delictum, superabundavit gratia*» (1 Cor 15 ; Rom 5).

TRACTATUS QUARTUS DE REDEMPTIONE.

Disseritur 1. de persona Redemptoris, 2. de opere redemptionis, 3. de Maria matre Redemptoris (Christologia, Soteriologia, Mariologia).

Caput 1. Christologia.

1. Proponitur mysterium incarnationis; 2. Christus verus Deus, 3. verus homo, 4. una persona probatur; 5. expenditur relatio mysterii ad rationem; 6. consecutiones mysterii, imprimis: 7. sapientia, 8. sanctitas potestasque Christi hominis tractantur.

Tractatus de christologia. D. *Alvarez:* De incarnatione divini Verbi 1613; P. *Maranus:* Divinitas d. n. Iesu Christi manifestata in Scripturis et traditione 1746; I. B. *Franzelin:* De Verbo incarnato [6]1910; A. de *Alès:* De Verbo incarnato 1931; E. *Hugon:* Le mystère de l'incarnation 1913; G. van *Noort:* De Deo redemptore [4]1925.— *Doctrina Patrum* de incarnatione Verbi ed. F. Diekamp 1907; M. *Rackl:* Die Christologie des h. Ignatius 1914; I. *Backes:* Die Christologie des h. Thomas und die griechischen Kirchenväter 1931; E. *Weigl:* Untersuchungen zur Christologie des h. Athanasius 1914; Christologie vom Tode des h. Athan. bis zum Ausbruch des nestorianischen Streites 1925. Insuper ea quae ante § 9 enumerantur.

§ 51. Propositio mysterii incarnationis.

Statuuntur 1. summa mysterii, 2. haereses christologicae, 3. propositio authentica Ecclesiae.

1. Incarnationis mysterium in eo consistit, quod *secunda ss. Trinitatis persona unam naturam humanam integram individuam nobisque consubstantialem ad unionem suae personae ita assumpsit, ut in Christo duae sint naturae, substantiae seu essentiae integrae et inconfusae, divina nimirum et humana, et una persona seu hypostasis, eaque Verbi divini.* Est ergo quasi imago adversa mysterii Trinitatis. *Vocatur* a termino theophania, epiphania, oeconomia; ab effectu unio, conventus, unio hypostatica, inhumanatio, incarnatio (σάρκωσις).

2. Haereses christologicae.

1. *Adoptianismus orientalis seu trinitarius: a)* E *Cerinthi* opinione Iesus modo naturali e matrimonio Iosephi et Mariae natus in baptismo spiritum quendam superiorem accepit, Christum nomine, cuius virtute multa mira gessit, ante mortem vero eum amisit. Similiter ebionitae et gnostici multi. *b) Monarchianismus* Theodoti et Pauli Samosateni, de quibus vide haereses trinitarias (§ 34, 1). *c) Sociniani* (s. 16.) docebant: Christus e virgine mirabiliter modo supernaturali natus, homo sapientia, sanctitate,

virtute miracula edendi inter omnes excellens meruit, ut post mortem exaltaretur et honore divino afficeretur (= apotheosis). Simile quid theosophi nostri sentiunt.

2. *Docetismus.* Ex multorum gnosticorum (s. 2. et 3.) opinione Christus corpus aethereum (Apelles, Valentinus ; ita etiam spiritistae nostri) vel plane fictum et simulatum tantum habuit (Marcion, Basilides).

3. *Arianismus* (ineunte s. 4., vide § 34, 1).

4. *Apollinarismus*, cuius auctor Apollinaris Laodicensis († 390) trichotomismo indulgens a Christo animam intellectivam (ψυχὴ λογική) abiudicavit eiusque locum Verbo attribuit. Condemnatus est a Constant. I.

5. *Nestorianismus.* Auctorem habuit Diodorum Tarsensem, fautores praecipuos nactus est Theodorum Mopsuestenum et Nestorium episcopum Constantinopolitanum. Summa huius haeresis haec est : Communicatio idiomatum non est admittenda ; Maria non est θεότοκος, sed ἀνθρωπότοκος dicenda ; Christus vitā sancta atque morte obediens probatus deificationem meruit. Iustis ergo de causis a catholicis, imprimis a Cyrillo Alex. nestoriani reprehensi sunt, quod Christi unitatem scindant duasque personas statuant, aliam divinam, humanam aliam, quae non nisi moraliter, κατὰ σχέσιν, κατ' ἐνοίκησιν uniuntur (J. P. Junglas : Die Irrlehre des Nestorius 1912). Damnati sunt ab Ephesino a. 431, quod 12 anathematismos Cyrilli Alex. recepit. Non longe abest a Nestorii sententia opinio Antonii *Günther* ponentis sui-conscientiam esse de essentia personae atque conscientiam humanam Christi adesse etiam post unionem.

6. *Monophysitismus.* Auctor *Eutyches* archimandrita Constant. negavit Christum nobis esse consubstantialem, profitebaturque duas esse naturas ante, unam post unionem. Eam deinde divinae et humanae naturae unionem sectatores eius alii κατ' ἀλλοίωσιν factam, sc. mutatam humanam in divinam, alii κατὰ σύγχυσιν seu e duabus unam tertiam mixtam, alii denique κατὰ σύνθεσιν seu e duabus unam compositam esse dictitabant, veluti natura humana ex anima et corpore componitur. Damnati sunt a Chalcedonensi a. 451, quod epistulae dogmaticae Leonis M. ad Flavianum episcopum Constantin. datae adstipulabatur.

7. *Monotheletismus* (s. 6. et 7.). Auctor huius sectae *Sergius* episcopus Constant. ab una vel duabus voluntatibus asserendis abstinendum esse putavit profitendamque unam operationem voluntatemque unam : (μία ἐνέργεια καὶ ἓν θέλημα). *Cyrus Phasensis* vero testimonia Ps.-Dionysii proferens controversiam mono- et dyophysitarum (catholicorum nempe) professione actionis deivirilis (μία ἐνέργεια θεανδρική) sedandam esse censuit. Contra quorum errores veritas catholica Sophronium patriarcham hierosolymitanum et Maximum Confessorem monachum aegyptium assertores strenuos gloriata est ; error vero proscriptus est a Constantinopolitano III. a. 680, quod epistulam dogmaticam Agathonis papae accepit.

8. *Adoptianismus occidentalis seu christologicus* auctores habet Elipandum aeppum Toletanum et Felicem episcopum Urgelitanum, qui ponebant Christum ut Deum esse Filium Patris naturalem, ut hominem vero adoptivum tantum. Eis Leo III. et plures synodi in Germania celebratae, Ratisbonensis et Aquisgranensis 792, Francofordensis 794, restiterunt ; nec multos asseclas nacti sunt.

9. Qui nunc sunt *rationalistae protestantes* alii ad mentem adoptianismi orientalis Christum hominem sanctum sapientemque habent, qui paternum Dei animum eximio modo expertus homines et dictis et factis veram dilectionem ac fiduciam filialem erga Deum docuit, et ita sensu ethico Filius Dei dici et honorari potest. Alii historiam imprimis religionum colentes attributa divina a N. T.-o Christo adiudicata sensu non ethico sed ut catholici volunt, sensu metaphysico intellegenda esse, at vel e

iudaismo vel hellenismo vel syncretismo oriunda censent. *Modernistae* vero suam doctrinam tum ex illorum tum ex istorum sententiis congerunt.

3. Propositio Ecclesiae — Post Apostolicum veram Christi humanitatem adversus docetismum profitens et post Nicaenum divinam Christi naturam contra arianos defendens (§ 34, 3) Constant. I. reiecit Apollinarem et Ephesinum Nestorium.

Totam autem veritatem catholicam diligenter exponit *Chalcedonense* geminam Christi consubstantialitatem quum humanam tum divinam asserens: «*eundemque perfectum in deitate, et eundem perfectum in humanitate, Deum verum et hominem verum, eundem ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato; ante saecula quidem de Patre genitum secundum deitatem, in novissimis autem diebus eundem propter nos et propter nostram salutem ex Maria virgine Dei genitrice secundum humanitatem: unum eundemque Christum Filium Dominum unigenitum, in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturae et in unam personam atque subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum aut divisum*».

Constantinopolitanum III. adversus monotheletas definivit *duas naturales voluntates in eo et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inconfuse; non contrarias sed sequentem eius humanam voluntatem et non resistentem vel reluctantem, sed potius et subiectam divinae eius atque omnipotenti voluntati.* Abundantem et accuratam deinde dogmatis expositionem exhibet Athanasianum nec non Decretum Eugenii IV. pro Iacobitis a. 1441.

§ 52. Vera divinitas Christi.

Statuitur testimonio 1. prophetarum, 2. ipsius Christi, 3. hagiographorum, 4. Patrum.

THES. **Iesus Nazarenus est Verbum divinum homo factum.** *De fide* ex omnibus symbolis et declarationibus authenticis christologicis inde a Nicaeno. Quoad demonstrationem ponendum est Christum esse veram personam historicam (§ 9).

1. Testimonium prophetarum. In V. T.-o Messias frequenter filius David, filius hominis (Dan 7), servus Dei (Is 53) patiens ac moriens exhibetur ; at tamen ut magister, sacerdos, praecipue ut rex venturus tot et tantis praeditus excellentiis ostenditur, ut humanae naturae terminos multum egrediatur proximeque ad Deum accedat. Immo nonnunquam ortus eius aeternus nec non divinitas indicatur : «*Vocabitur nomen eius Emmanuel*» (= Deus nobiscum) Is 7 ; «*Vocabitur nomen eius: Consiliarius admirabilis, Deus fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis*» Is 9 ; «*Et tu Bethlehem Ephrata . . . ex te enim mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, et egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis*» Mich 5 (cf. Ps 2 et 109). Fideles V. T.-i tamen divinitatem Messiae probabiliter distincte non per-

cipiebant, nisi quidam electi, ut probabiliter Moyses et David. Atqui prophetiae messianae in Christo sunt impletae (§ 10, 1 ; 12, 2. 3) ; ergo Christus Deus est.

2. Testimonium ipsius Christi.

Apud synopticos Christus 1) *se Filium Dei* dicit alio prorsus sensu atque ceteros homines. Etenim *a)* in necessitudine cum Patre seipsum nunquam in eodem numero cum hominibus habet, semper «*Pater meus et Pater vester*» dicendo ; imo in parabola de falsis vinitoribus Mc 12 unicum Filium carissimum se asserit ; quem Pater iam ineunte munere publico in baptismo Iordanis testatus erat. *b)* Aliquoties sollemnius se Filium Dei sensu metaphysico dicit : α) Ratum habuit testimonium Petri Caesareae Philippi profitentis : «*Tu es Christus Filius Dei vivi*» Mt 16 ; β) coram synedrio pontifici adiuranti eum, ut dicat si ipse sit Christus Filius Dei, respondit : «*Tu dixisti*», quo facto eum iudaei (intelligentiā recta, pravo consilio) ut blasphemiae reum capite damnarunt Mt 26. γ) Mandatum dedit baptisandi in nomine Patris et Filii et Spiritus s. ; ergo Trinitati se coniunxit ; δ) id semel formaliter enuntiavit : «*Nemo novit Filium nisi Pater, nec Patrem quis novit nisi Filius et cui voluerit Filius revelare*» Mt 11 ; quod non valet nisi de filio sensu trinitario.

2) Saepissime *attributa divina* sibi vindicat : *a) omniscientiam*, singularem sc. scientiam Dei eiusque voluntatis (Mt 11, 27); *b) potestatem* divinam *divinaque munera:* α) propria virtute miracula edit ; β) peccata remittit eamque potestatem remittendi etiam apostolis confert Mt 9 ; γ) proprio nomine mutat legem sabbati utut originis divinae ; δ) novum foedus pangit cum hominibus, cuius se regem et centrum exhibet ; fidem et caritatem erga se postulat ut conditionem vitae aeternae adipiscendae (Mt 5, 11 ; 10, 32 ss. ; 26, 26 ; Mc 9, 24 ; Lc 14, 16 etc.) ; adorationem non recusat (Mt 8, 2 ; 9, 18 ; 28, 9) ; ε) venturus est iudicare vivos et mortuos ; *c) divinum esse* saltem implicite : maiorem se dicendo quocunque homine, etiam Moyse, Ioanne Baptista, immo angelis, atque in se transferendo illud Psalmistae : «Filius meus es tu, ego hodie genui te» Mt 22.

Apud Ioannem 1) Christus *a)* sensu metaphysico *Filium Dei se asserit* etiam coram iudaeis infensis inimicisque, qui sensu ethico filios adoptivos et ipsi se iactabant ; *b)* Nicodemo dicit : «*Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*» Jn 3 ; pharisaeis indignabundis vero post curationem die sabbati ad Probaticam piscinam : «*Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Propterea magis quaerebant eum iudaei interficere; quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo*» Jn 5.

2) *Excellentias divinas* sibi tribuit et quidem *a) omniscientiam* (1, 48; 3; 7, 29; 10, 15 etc.); *b) potentiam* sicut apud synopticos ; *c) esse* divinum, praeexistentiam nempe et omnipraesentiam : «*Antequam Abraham fieret, ego sum 8 ;* «*Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis qui est in caelo*» 3. *d) Munera* divina sibi vindicat : α) fides in eum liberat a potestate diaboli, principis huius mundi ; ipse est lux

vera, panis vitae, via salutis ; β) praenuntiat se honoratum iri sicut Pater honoratur 5, 23 ; 16.

3) *Deum se dicit* saltem aequivalenter : *a)* In porticu Salomonis dicit : «*Ego et Pater unum sumus*»; et iudaei iterum lapidare eum volebant, «quia tu homo quum sis, facis teipsum Deum» Jn 10. «*Philippe, qui videt me, videt et Patrem*» Jn 14. *b)* Esse absolutum de se pronuntiat : «*Ego sum via et veritas et vita*» 14 ; «*Ego sum resurrectio et vita*» 11.

DIFF. 1. Christus dicit : «*Pater maior me est*» Jn 14. Iuveni cuidam obicit : «*Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi unus Deus*» Mc 10 et simila. — RESP. Talia Christus potuit dicere, quia etsi Deus, etiam verus est homo. Immo propter dependentiam, utique logicam, originis trinitariae Pater ut αὐτόθεος potest et solet sensu excellenti Deus vocari a Domino : «Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti, Iesum Christum» Jn 17.

2. Christus *nusquam se explicite Deum dicit*. — RESP. Fecit hoc summa sapientia paedagogica, ne iudaei monotheismo rigidissimo dediti offenderentur. Deinde quum Filius hominis venisset ministrare et non ministrari, munus ipsum messianum postulavit, ne praematura divinitatis revelatione possibilitas infidelitatum, persecutionum et necis tolleretur, atque ita conditiones muneris messiani implendi cohiberentur.

Ex iis quae de ingenio Christi d. apologetice disseruimus (§ 10 et 11, 1), Christi testimonium de sua divinitate locupletissimum est : «*Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum, quia scio unde venio et quo vado*» Jn 8.

3. Testimonium hagiographorum. 1) *Synoptici* quid de Christo senserint, apparet ex eo quod *a)* vaticinia messiana in Christo impleta esse quam diligentissime ostendunt ; *b)* ortum eius supernaturalem et vitam miraculis refertam non theosophum sed historiographum agentes sincera mente narrant ; et *c)* κύριον, id quod Sept. Jahvem dicit, eundem frequenter appellant.

2) *Ioannes a)* in evangelio conscribendo id unum nititur, «*ut credatis, quia Iesus est Christus et ut credentes vitam habeatis in nomine eius*» Jn 20. *b)* Prologus evangelii eius est quasi summarium christologiae explicite edicens : «*Deus erat Verbum* (καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος) . . . *et Verbum caro factum est*» (epistula I est quasi paraphrasis istius prooemii). *c)* In Apocalypsi Christus primus et novissimus, α et ω vocatur, sicut Jahve in V. T.-o ; ipsumque omnes angeli adorant.

3) *Paulus a)* proprietates divinas Christo tribuit : α) omniscientiam: «*in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi*» Col 2 ; β) potentiam divinam : «*omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes et omnia in ipso constant*» Col 1 ; γ) aeternitatem : «*Iesus Christus heri et hodie; ipse et in saecula*» Heb 13 ; δ) munera divina : «*Mihi vivere Christus est*» Phil 1 ; «*sive vivimus sive morimur, Domini sumus*» Rom 14 ; ideo «*in nomine Domini omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum*» Phil 2. — *b)* Explicite Christum Deum dicit : α) «*Expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi* τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν» Tim 2 ; β) «*Israelitae, . . . ex*

quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula» Rom 9 ; γ) «*In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*» Col 2 ; δ) «*Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Iesu: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit*» Phil 2.

4. *Ceteri apostoli. a)* In *Actibus:* licet gentibus et iudaeis Messias fuerit magis praedicandus, tamen Christus ut iudex vivorum et mortuorum, auctor vitae exhibetur, qui a Stephano protomartyre eodem modo invocatur ac a Christo Pater ; passim Dominus vocatur ; et «*non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*» 4 ; semel Deus dicitur : «*posuit vos episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*» 20. — *b)* Secundum Petrum Christus est «*Deus ac Dominus noster*» 2 Pet 1 ; similiter Iud. 5.

Ad unanime hoc testimonium declinandum *rationalistae* contendunt : 1. apostolos enthusiasmo nescio quali raptos Christo homini excellentiam divinam demum affinxisse. Quasi vero indoles prorsus sobria apostolorum et labores immanes qui eis ex ista persuasione accidebant, talia ferant ! 2. Ideam Dei hominis vel potius hominis deificati mutuatam esse e hellenismo, qui Caesarem filium dei venerabatur, et heroes religiosos κυρίου; habebat. At *a)* deest vera analogia : hinc polytheismus, illinc monotheismus trinitarius cum mysterio incarnationis ! ; et *b)* deficit genealogia ; fides Christi Dei iam apud primos christianos invenitur et propter antagonismum christianorum cum paganismo psychologice penitus impossibilis est, ut abundantius probatum est § 9. 10. 11. 13.

4. Testimonium Patrum. Inde a Nicaeno divinitatem Christi clare praedicari omnes largiuntur. Sed rationalistae multi contendunt antenicaenos vel adoptianismo vel pneumatismo nescio quali indulsisse. At perperam omnino. Etenim

a) Priscos christianos Christo tamquam Deo suo hymnos cecinisse testis est *Plinius;* iudaeos offendisse in Deo patienti christianorum a *Iustino* (Dial. 38, 12) docemur ; item ethnici cum *Celso* (Orig. Cels. I 51 ; III 43 ; VII 13) christianos vituperant, quod Deum in sepulchro positum colant ; et christianos hanc suam fidem passim sanguine confirmasse, acta perantiqua *martyrum* (Iustini et sociorum, Carpi, Pionii etc.) eloquuntur.

b) Explicita testimonia : *Didache* 10 pro illo Mt 21 : «Hosanna Filio David» ponit : «Hosanna Deo David» ; *Clemens R.* Christum κύριον vocat, qui in V. Testamento per Spiritum s. locutus est ; secundum *Barnabam* est Filius Dei, venturus iudicare vivos et mortuos, qui si non in carne apparuisset, a hominibus non sustineretur, sicut nec in solis radios obtueri possumus. — Homilia antiquissima *II Clementis* dicta ita incipit : «Fratres, ita nos sentire de Iesu Christo oportet, tamquam de Deo, tamquam de iudice vivorum ac mortuorum». — *Ignatius*, fidelis Ioannis discipulus imitari vult «*passiones Dei sui*» Rom. 6 ; «*medicus unus est, genitus et ingenitus, in carne existens Deus*»; «*D. n. I. Christus in utero gestatus est a Maria*» Eph. 7 et 18. *Polycarpo* Christus est Dominus, cui omnia in caelo et in terra sunt subiecta ; item epistula ad Diognetum. — *Apologetae* etsi

minus recte de processione Verbi philosopharentur, eius tamen praeexistentiam, consubstantialitatem cum Patre et personalitatem, et inde Christi divinitatem diserte profitentur ; v. g. *Iustinus* I 63 : «Qui quum Verbum sit primogenitum Dei, Deus etiam est». *Irenaeus* totus in eo est, ut adversus gnosticos evincat Deum et homines in veram amicitiam coniungi non posse, nisi a Christo, Deo vero simul et homine vero (III 16—24). — *Tertullianus:* «Totum denique Dei mei penes vos (o marcionitae) dedecus sacramentum est humanae salutis. Conversabatur Deus humane, ut homo divine agere doceretur. Ex aequo agebat Deus cum homine, ut homo ex aequo agere cum Deo posset. Deus pusillus inventus est, ut homo maximus fieret» (Marcion. II 27). — *Origenes* Princip. praef. 4 verbis claris profitetur traditionem : «*Incarnatus est, quum Deus esset, et homo factus mansit quod erat: Deus*»; ab ipso probabiliter verbum θεάνθρωπος originem ducit.

ADDIT. **Testimonium rationis.** 1) *Indoles Christi* prorsus singularis, sapientia nimirum eius et sanctitas humana perfectissima (§ 11, 1) rationem sufficientem postulat, quae quum in circumstantiis historicis inveniri non possit, immediate a solo Deo est repetenda. Atqui Christus se eundem cum auctore suae sapientiae et sanctitatis esse testatus est (cf. supra n. 2); ergo est Deus

2) *Opera Christi: a) miracula* potestate propria proprioque nomine edita, potissimum resurrectio (§ 11) ; *b) fundatio et propagatio Ecclesiae* post mortem mediis prorsus imparibus (§ 11, 4 ; 78 ; 82) ; *c) efficacitas* quam hodie quoque in animas exercet, Deum auctorem clamant. Atqui Christus seipsum horum omnium principium et auctorem exhibet.

Ex his colligere licet posse apologetice ostendi adversus iudaeos Christum esse Messiam et adversus gentes (et rationalistas) esse legatum divinum hominibus superiorem ; sed nisi testimonium de seipso adiungatur, Deus incarnatus esse non evincitur.

§ 53. Vera humanitas Christi.

Statuuntur 1. natura humana, 2. passibilitas Christi

1. Natura humana. — THES. **Verbum in incarnatione naturam humanam veram, integram, nobisque consubstantialem assumpsit.** *De fide* ex Chalced. Exponitur per partes.

1. *Veritas humanae Christi naturae.* — Adversantur *gnostici:* Saturninus, Basilides ; necnon et Marcion, manichaei, priscillianistae et phantasiastae (pars monophysitarum) docentes Christum ad speciem tantum corpus habuisse. Fidem Ecclesiae iam Apostolicum exhibet : natus e Maria Virgine, passus, crucifixus et mortuus.

DEMONSTR. **Scr.** V. T. Messiam verum hominem fore nuntiat ; evangelia vero narrant eum hominum more esse natum, pannis involutum, cum hominibus humano modo versatum, comedendo, colloquendo, fatigando etc. Ipse dicit : «*Quaeritis me interficere hominem*» Jn 8 ; et post resurrectionem : «*Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere*» Lc 24. Ioannes iam docetismo epistulam I. opponit : «*Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae*». Ergo illud Rom 8 : «*in similitudinem carnis*» idem significat atque : similis nobis

carnalibus secundum carnem. **Tr.** Secundum Ignatium (Smyrn. 5) est blasphemia, si quis Christum σαρκόφορον non dicit ; *Irenaeus* totus adversus gnosticos idem nititur comprobare, et *Tertullianus* integrum opus scripsit De carne Christi ; uterque rationes quoque affert : **R.** *a)* Si Christus non habet corpus verum, non est vere mortuus ; ergo non vere nos redemit ; *b)* immo neque verus Deus est ; mentitur enim hominem se fingens ; sed et Scriptura mentitur hominem eum exhibens.

2. *Integritas humanae Christi naturae.* — Adversantur Arius Λόγον creatum substituens animae humanae Christi, et *Apollinaris* animam intellectivam Christo abiudicans. Damnati sunt in Constant. I. et Chalced. et pluries postea.

DEMONSTR. **Scr.** Testibus evangeliis Christus d. veram vitam rationalem duxit : *virtutibus humanis* excellebat veluti misericordia, obedientia, humilitate, oratione, caritate erga discipulos et amicos ; indignabatur, contristabatur, gaudebat etc., et in cruce moriens animam suam Patri commendavit. Si ergo Verbum *caro factum* dicitur, est pars pro toto : caro = homo. **Tr.** Patres ab initio Christum perfectum hominem dicunt, et quaenam mens eorum fuerit, enituit simulatque Apollinaris haeresim suam spargere caepit : iam synodo Alexandrina a. 362 damnatus est ut haereticus. **R.** (III 5, 3. 4 ; Gent. IV 32. 33) Si Christus non habuit animam vere humanam *a)* non plene nos redemit : *quod assumptum non est, sanatum non est* τὸ γὰρ ἀπρόζληπτον ἀθεράπευτον (Aug. in Jn 23, 6) ; *b)* non vere meruit, passus, mortuus est, resurrexit, seu non veram vitam humanam egit ; *c)* absonum est putare a Christo corpus inanime vel brutum assumptum esse.

3. *Consubstantialitas naturae Christi humanae.* — Adversantur quidam gnostici, uti *Valentinus*, *Apelles*, pauliciani, theosophistae et *spiritistae* nostri, corpus quoddam aethereum Christo tribuentes, quod velut radius solis per vitrum sic per corpus Virginis transiverit. Damnati sunt imprimis in Chalcedonensi.

DEMONSTR. **Scr.** Prophetae Emmanuel nostrum e virgine concipiendum et nascendum necnon more hominum crescentem et filium David fore vaticinantur, imprimis Is 7. 9. Id evangelistae confirmant genealogiam Christi a David, Abraham, Adam geniti texentes ; angelus nuntiavit Mariae : «*Ecce concipies in utero et paries filium*» Lc 1 ; Apostolus dicit : «*Misit Deus filium suum factum ex muliere*» Gal 4. **Tr.** Patres a s. 2. his textibus et factis, imprimis praepositionibus causalibus «per» et «ex» insistunt ; et rationes quoque reddunt, quas Thomas (Gent. IV 4, 6) sic complectitur : **R.** *a)* Decuit *iustitiam* divinam, ut de eadem stirpe accipiat satisfactionem, unde offensio processerat ; *b)* decuit *bonitatem* divinam, ut ex eodem genere quod a satana subiugatum erat, satanae victorem suscitet (cf. Aug. Trin. XIII 18, 23) ; *c) potentia* divina quam maxime eo illustratur, quod e genere lapso et corrupto «pulcherrimum hominum» produxerit.

2. Passibilitas. — THES. **Humana natura Christi vere erat passibilis.** *De fide ex Ephesino.*

Adversantur praeter docetas *aphthartodocetae*. Ephes. anathematizat eos, qui non profitentur Dei Verbum passum carne, et crucifixum carne et mortem carne gustasse, factumque primogenitum ex mortuis.

DEMONSTR. **Scr.** Secundum evangelia Christus erat vere *vir dolorum* (Is 53), qui multum fatigabatur, multum sudavit et alsit, esurivit et sitivit, ad Lazari sepulchrum lacrimatus est, ante mortem in monte Olivarum «*caepit pavere et taedere. Et ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem*» Mc 14 ; et post resurrectionem discipulis Emmaus petentibus dixit : «*Nonne haec oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam?*» Lc 26. **Tr.** Patres omnes si Clemens Al. et forsitan Hilarius (Trin. X 23, 37) excipiantur, passibilitatem Christi profitentur ; immo *S. Augustino* (Pecc. merit. II 29, 18) docente moriendum erat Christo, etiam si non esset cruci affixus. **R.** *a)* Passibilitas est *consecutio compositi* substantialis ex anima et corpore ; seu pertinet ad naturam humanam, quam si Christus veram induit, passibilem simul suscepit. *b)* Absque passibilitate vix intellegitur, quomodo Christus vere mereri potuerit (III 14, 1).

Falsa est ergo sententia quorundam scholasticorum (Hugo Vict., Philippus Bonae Spei) *statum connaturalem Christi fuisse impassibilitatem*, quae miraculo tantum suspendebatur. Verumtamen dandum est carnem debilem a Verbo plena libertate esse assumptam, passibilitatisque titulum, peccatum in eo defuisse ; quare recte monet Thomas (III 14, 2. 3) passibilitatem a Christo d. *non contractam, sed assumptam* esse. Ex quo liquide apparet assumptas esse quidem a Christo d. *debilitates generales* easque omnes quae naturam humanam per se comitantur, minime vero etiam speciales, uti sunt morbi, defectus et deformitates corporales. Denique sequitur affectiones et impetus animi, quae nobis tot molestias exhibent, penitus subiectas fuisse imperio voluntatis eius : «non passiones sed *propassiones*» erant, ait Hieronymus (in Mt 26, 37 ; cf. Aug. Civ. XIV 9, 3). — Passibilitas Christi inaestimabilis pretii est nobis in hac lacrymarum valle peregrinantibus : «*Non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato*» Heb 4 ; «*Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius*» 1 Pet 2.

§ 54. Unio hypostatica.

Statuuntur 1. factum, 2. duratio unionis hypostaticae, 3. naturarum integritas post unionem.

1. Factum. — THES. **Christus verus Deus et verus homo est una persona Verbi.** *De fide* adversus nestorianos ex Ephesino.

DEMONSTR. **Scr.** eundem Christum Deum verum et hominem verum asserit, ut supra probatum est ; seu duas series proprietatum de eodem subiecto affirmat ; atqui subiectum attributionis est suppositum. Quod tunc maxime perspicuum est, quando eadem enuntiatione divina humanaque Christo tribuuntur ; v. c. : «*Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis, qui est in caelo*» Jn 3 ; «*Auctorem vitae interfecistis*» Act 3 ; «*Israelitae . . . ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula*» Rom 9 ; quasi formaliter

proponitur Jn 1 : «*In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum . . . et Verbum caro factum est*». Ergo Verbum, quod est Deus, factum est caro seu homo, quin Deus esse desiisset ; Deus enim est immutabilis ; neque Verbum homo factum personam humanam assumpsit ; persona enim est incommunicabilis ; nec unum morale, sed physicum cum humanitate assumpta constituit ; nunquam enim unio moralis v. c. amicitiae, maritalis ita exprimitur : Petrus factus est Paulus, uxor facta est maritus.

Tr. Primi Patres sicuti Scriptura, eadem saepe enuntiatione divina humanaque Christo tribuunt (cf. § 52, 4). *Tert.*: «Videmus duplicem statum, non confusum, sed coniunctum, in una persona, Deum et hominem Iesum.» (Prax. 27). Cca a. 370 et Cappadoces et occidentales et alexandrini adversus antiochenos unitatem Christi solventes uno ore veritatem catholicam asserebant. *Nazianzenus* incarnationem cum Trinitate confert ; in incarnatione est aliud et aliud, non autem sicut in Trinitate alius atque alius (Epist. 101) ; secundum *Augustinum* mediator noster apparuit «in unitatem personae copulans utramque naturam» (Ep. 139). *Cyrillus*, acerrimus unionis hypostaticae adversus Nestorium propugnator, etiam rationibus theologicis eam defendit : Si Christus humanitatem non ad unitatem personae suae divinae assumpsit, opus redemptionis non est infiniti pretii. Maria non est θεότοκος, et sumptio Eucharistiae est mera σαρκοφαγία. Si locutionibus nonnunquam minus accuratis quoque utitur, sicuti : μία φύσις τοῦ λόγου σεσαρκωμένη, post unionem duas naturas contemplatione tantum (θεωρίᾳ μόνῃ) posse separari, huiusmodi locutionum causa inde repetitur, quod tunc temporis φύσις imprimis apud nestorianos naturam subsistentem significaverit, seu synonyma fuerit non οὐσίᾳ, sed ὑπόστασει. Graeci terminologia accurata demum a Leontio Byzantino donati sunt, quum latini Tertulliano suam debeant.

R. Thomas (III 2, 1. 2) coarguit unionem aliam praeter hypostaticam *repugnare perfectionibus Dei:* Mixtio immutabilitati, unio moralis utpote accidentalis substantialitati, compositio (more pantheistico considerata) simplicitati divinae adversatur.

ADDIT. *Verbum omnes partes essentiales naturae humanae immediate, integrales mediante substantia humana sibi univit.* Est *commune* theologorum. Si enim partes essentiales non immediate sibi adiunxisset, existentiam separatam haberent, et sic Christus solveretur ; si vero integralium quid deesset, deficeret perfecta humanitas. Haec tamen Verbum mediante anima assumpsit ; ergo quae tantum in transitu vitae physiologicae conservandae inserviunt, uti sudor, lacrimae, sanguis etc., ea parte ad humanitatem Christi pertinebant, quatenus per animam informata organismo erant inserta.

2. Duratio. — THES. **Verbum naturam humanam in momento conceptionis assumpsit et amplius non dimisit.** *De fide.*

1. *Verbum naturam humanam in momento conceptionis assumpsit* — non vero ante, ut putabant *origenistae* praeexistentiam omnium hominum, etiam Christi hominis docentes, quos damnavit Constant. a. 543 *(D* 204). — DEMONSTR. **Scr.** «*Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere*» Gal 4. Jam Lc 1 confirmat, quod habet Apostolicum : conceptus de Spiritu s., natus ex Maria Virgine. **Tr.** Patres hanc veritatem inde efficiunt, quod Maria est vere θεότοκος ; *Leo M.* dicit :

«Natura nostra non sic assumpta est, ut prius creata post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur» (Ep. 35).

2. *Unio hypostatica nunquam iam cessabit.* — Secundum *origenistas* Christus in iudicio ultimo depositurus est corpus (falso intellegentes Ps 18 : «Posuit in sole tabernaculum suum»), secundum *Marcellum* Ancyranum totam humanitatem ; contra quos Nicaeno-Constant. habet : «cuius regni non erit finis ;» et Chalced. : «inseparabiliter» ἀχωρίστως (cf. § 51, 3). — DEMONSTR. **Scr.** «*Regni eius non erit finis*» Lc 1 ; «*sempiternum habet sacerdotium*» Heb 7 ; atqui regnum et sacerdotium Christus ut homo exercet ; ergo humanitatem nunquam dimittet. Quod et Apostolus confirmat : «*Christus heri et hodie, ipse et in saecula*» Heb 13. **Tr.** Patres hanc ponunt rationem : Deus non revocat sua dona, nisi donatus indignus evadat : «*Sine paenitentia enim sunt dona et vocatio Dei*» Rom 11 ; ergo neque unionem hypostaticam solvit.

COROLL. *Unio hypostatica neque in triduo mortis interrumpebatur*, prout asserebant quidam gnostici : humanitatem vel saltem corpus (Leporius monachus c. a. 418.) Domini in morte derelictum esse a Verbo. Franciscani quoque in disputatione coram Pio II. a. 1467 habita unionem Verbi cum sanguine effuso interruptam esse contendebant adversus dominicanos id asserentes (cf. Quodl. 5, 5).

DIFF. Christus in cruce pendens exclamavit : «*Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*» Mt 27. — RESP. Audiendi non sunt quidam ex antiquis contendentes humanitatem Christi non potuisse mori, nisi a Verbo, principio vitae desereretur. Sed *a)* Christus Psalmum messianum 21 afferens comprobat omnia munera messiana, etiam gravissimum passionis esse consummata. *b)* Potuit Christus initium istius Psalmi peculiariter sibi applicare, quia in amarissima illa passione Deus «subtraxit protectionem (specialem), non separavit unionem» (Hugo Vict.) ; alioqui quomodo animam suam Patri commendasset?

3. Naturarum integritas. — THES. **Post unionem hypostaticam duae naturae inconfuse et immutabiliter manent.** *De fide* adversus monophysitas ex Chalcedonensi.

DEMONSTR. **Scr.** Ex sacris Litteris probatur eundem Christum realiter unum vere esse hominem et vere esse Deum (§ 52. 53) ; ergo duo genera ista proprietatum etiam post unionem inconfuse et immutabiliter adsunt ; alioqui non possent distincte cognosci. **Tr.** Mens Patrum dilucide apparet ex eorum effatis ; pro omnibus sit unus *Augustinus:* «Agnoscamus geminam substantiam Christi, divinam sc. quae aequalis est Patri, humanam quae minor est Patre» (in Jn 78). Imo iam Tert. (Prax. 27) quasi Chalcedonensi praeludens verbis supra (n. 1) laudatis subiungit : «et adeo salva est utriusque proprietas». Si ergo unionem hypostaticam quandoque mixturam, commixtionem dicant, non nisi unionis illius firmitatem et naturarum perichoresim (§ 56, 3) asseverant.

R. *Natura divina non potest converti*, vel in tertium coalescere cum humanitate propter absolutam immutabilitatem, *neque pars seu forma alicuius tertii* potest fieri propter aseitatem. Graviter ergo errarunt quidam protestantes, qui illud Pauli : «semetipsum exinanivit» ἐκένωσεν Phil 2, ita intellegebant, quasi Christus ad tempus vitae terrestris divinitatem exuerit,

vel saltem usui quarundam proprietatum, uti omniscientiae, omnipotentiae renuntiaverit *(cenotici* s. 17. et s. 19. : Thomasius).

COROLL. **In Christo post unionem sunt duae voluntates et duae operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse.** *De fide* ex Constant. III. adversus monotheletas.

DEMONSTR. **Scr.** Litterae d. Christo explicite actiones et voluntatem humanam tribuunt (divinam utpote immutabilem non est necesse cur probemus), quum de eius humilitate, obedientia, oratione loquuntur; imprimis perspicua est res, ubi voluntas humana Christi a divina explicite distinguitur : «*Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*» Mt 26 ; «*Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me*» Jn 6. **Tr.** Iam *Tert.* diserte ponit : «Substantiae ambae in statu suo quaecunque distincte agebant» (Prax. 27) ; posteriores vero in controversiis trinitariis illud principium statuunt : voluntas et operatio est consecutio et manifestatio naturae ; quot ergo naturae, tot operationes et voluntates ; et ideo monotheletismum statim ut monophysitismum latentem detegebant ; ita *Sophronius* et *Maximus Confessor.*

Subtilius etiam rimantes habitudinem voluntatis ad personam docebant : Voluntas ut potentia est quidem *principium quo* agendi proximum, quum natura sit remotum ; et igitur tot sunt facultates volendi, θέλημα φυσικόν, θέλησις, quot naturae, ergo duae; at ipse actus volendi, θέλημα γνωμικόν, βούλησις est unus. Actus enim sunt suppositorum ; *principium quod* agendi est hypostasis. Ideo impossibile etiam est, ut duae voluntates Christi unquam contraria sibi sint vel pugnent : conveniunt enim semper in unico volente, in persona divina Christi (cf. Damasc. III 15 ; Thom. III 1, 3. 5 ; 19, 1.)

Honorius papa († 638) a Sergio eppo Constant., patre monotheletismi seductus, quasi de duabus voluntatibus contrariis et duabus actionibus luctantibus disceptaretur cum catholicis, ut caenologiam reprobavit locutionem de duabus actionibus ; ex eius mente sufficit dicere : Christus est unus agens, qui in duabus naturis id agit, quod unicuique naturae est proprium. Non ergo monotheletice docuit. At quia haereticis non vigilanter restitit et catholicis locutionem duarum actionum vetuit, reprobatus est a Leone II. (682), qui tamen ratum non habuit decretum Constant. III-i notam haeresis Honorio inurens.

§ 55. Mysterium incarnationis et ratio.

Statuuntur 1. mystica ratio incarnationis, 2. causa formalis unionis hypostaticae.

1. Mystica ratio. — THES. **Incarnatio est mysterium primi ordinis.** *Certum.*

DEMONSTR. **Scr.** Ipse Christus Dominus hoc indicat : «*Nemo novit Filium nisi Pater*» Mt 11 ; et Paulus multis affirmat : «*Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quum nemo principum huius saeculi cognovit; si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent*» 1 Cor 2 ; cf. Eph 1 (§ 62, 1). **Tr.** Est unanimis Patrum persuasio, quam *Leo M.*

(sermo 29 de nativ.) enuntiat : «Utramque substantiam in unam convenisse personam, nisi fides credat, sermo non explicat». Secundum *Aug.* (Ep. 137) ratio et exemplum hic frustra poscitur ; «in talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis».

R. Veri nominis mysterium est, quod nec ratione inveniri, nec ex revelatione cognitum penitus perspici potest. Talis est incarnatio. Etenim *a) Factum incarnationis neque apriori* statui potest, est enim actus liberi consilii divini ; *neque aposteriori* evincitur. Licet enim Christus divina fecerit et docuerit, absque revelatione tamen erui nequit principium divinum unione hypostatica (et non mere occasionaliter) esse coniunctum cum humanitate, et principium illud divinum esse secundam ss. Trinitatis personam (§ 52, 4). *b)* At *neque facto cognito eius possibilitas penitus perspicitur.* Etenim quaenam sint possibilia apud Deum, positive non apprehenditur nisi in iis, quae realia sunt in mundo ; atqui unionis hypostaticae nullum exemplum invenitur ; immo contradictoria ubique obveniunt. Utrum autem Deus possit ad effectum perducere ea, quorum contradictoria tantum inveniuntur in mundo, is viderit, qui essentiam et subsistentiam divinam penitus cognoscit.

Id *confirmatur historia: a)* Quae ut similia mysterio incarnationis *ex religionum historia* afferuntur, uti theophaniae deorum graecorum, τοῦ λόγου personalis apparitio in mundi cursu, reincarnationes Krishnae hinduismi etc., non sunt nisi polytheismi figmenta vel commenta pantheistica. *b)* Qui vero incarnationem ad captum humanum trahere satagebant (uti Abaelardus, Hegel, Günther, Rosmini) vel in nestorianismum sunt prolapsi, vel vero in pantheismum miserrime desierunt (infra n. 2). Ergo incarnatio neque ex mente religiosa neque ex philosophia enasci potuit. Rationis ergo est non mysterium incarnationis principiis propriis illustrare, sed difficultates rationis nomine sive ab empirismo sive a rationalismo transcendentali contra mysterium suscitatas diluere.

DIFF. *empirismi.* — *Ubi natura completa, ibi persona;* si ergo humana natura personalitate propria caret, est incompleta ac dignitate ex personalitate redundanti exuitur ; sin minus, non potest unione physica alii personae adiungi ; est enim contradictio, ut duo sint unus. — RESP. In entibus finitis *persona et natura individua saltem virtualiter adaequate distinguuntur.* Etenim aliud enuntiat persona : suppositum, principium quod agendi, et aliud natura : principium quo agendi ; deinde cogitari possunt duae personae eiusdem prorsus naturae. Atqui quae virtualiter adaequate differunt, ea a potentia infinita separari non posse nemo comprobabit.

Neque humanitas Christi incompleta dicenda erit eo, quod persona connaturali careat. Etenim *a)* habet omnia quae in ordine essentiae seu naturae homini competunt ; personalitas etenim ut actus ultimus terminativus nihil perfectionis essentialis enti addit, sed solum esse incommunicabile, proseitatem tribuit. *b)* Neque humanitas Christi personalitate omnino caret, sed tantum personalitate connaturali ; persona enim Verbi virtute eminentiore humanitati suae cuncta praestat, quae persona humana adsolet. Atque ideo *neque dignitati humanitatis Christi derogat* pertinere ad personam ineffabiliter digniorem, a qua ad esse multo sublimius evehitur. «Esse completivum speciei pertinet ad dignitatem formae ; tamen sensitivum nobilius est in homine propter coniunctionem ad nobiliorem formam completivam, quam sit in bruto animali» (I 29, 3 c ; III 3, 3 ad 2).

DIFF. *rationalismi transcendentalis.* — 1. Si Deus incarnatur, fit aliquid quod ante non erat ; ergo *mutatur.* — RESP. Deus ita fit homo, ut maneat Deus, novam relationem tantum induens : Verbum nimirum, quod ab aeterno terminat naturam divinam, in tempore terminare incipit natu-

ram individuam humanam quoque. At relationes possunt de novo praedicari de aliquo absque eius mutatione ; sicut homo de novo fit dexter absque sui mutatione per motum illius, qui fit illi sinister (III 16, 6 ad 2). Eo magis, quia omnes relationes Deum inter et creaturas ex parte creaturarum tantum sunt reales.

2. Infinita est distantia Deum inter et hominem ; *ut Deus infinitus homo finitus fiat*, ita repugnat quasi circulus evaderet quadratum. — RESP. Licet Deus sit infinitus, non est longe ab unoquoque nostrum ; quaevis creatura est omni ex parte Dei opus et ideo ex potentia obedientiali capax, ut infinita Dei virtute ad intimam communionem cum suo Auctore elevetur (cf. etiam § 62).

2. Causa formalis unionis hypostaticae est vinculum reale, quo natura humana Christi ad Verbum in unionem realem seu physicam unitur.

Falsae sententiae.

1. Ex quorundam opinione duae proseitates (subsistentiae), divina nimirum et humana in unam coalescunt. Et quidem secundum antiquos quosdam scholasticos subsistentia perfecta divina et humana omnipotentiā Dei in unam personam coniunguntur. Ex mente vero *Güntheri*, a cuius sententia non longe abit Rosmini *(D* 1917), sui-conscientia (essentiam cuiusvis personalitatis constituens) humana Christi ut persona famulans penitus se Verbi conscientiae subdit eique intime adhaeret. Sed hae sententiae utpote nestorianismum sapientes teneri nequeunt ; his enim unio in Christo non physica sed mere moralis efficitur.

Hoc dictum : «*hypostasis Christi composita*», licet ab Alcuino ut adoptianismum sapiens reiciatur, tamen sensum orthodoxum admittit. Etenim hypostasis Christi reduplicative, sc. ut hypostasis, nullo pacto est composita ; materialiter («haec hypostasis», quae Deus est et homo) analogice potest composita dici (e divinitate et humanitate), si tamen animus acriter ad hoc intendatur divinitatem partis rationem minime inire posse, quasi nempe per humanitatem compleri possit. Deinde hunc quoque admittit sensum orthodoxum : hypostasis Christi virtualiter est composita : hypostasis Verbi etenim suppositi humani vices quoque gerit, praeter divinam etiam humanam naturam terminando ; et ita persona Christi realiter una, virtualiter (et moraliter) est gemina (III 2, 4).

2. *Abaelardus* censuit animam et corpus Christi non esse unita inter se et inde non constituere personam humanam, licet sint unita ad Verbum. At sic Christus naturam humanam non veram et vivam, sed mortuam induisset. Nihilominus vero aliquo sensu dicitur *esse in Christo duas naturas et tres substantias:* unam completam, divinam, et duas incompletas : animam et corpus, quibus substantia humana (completa) componitur.

Sententiae catholicae.

1. E mente *S. Thomae* in individuo existenti inter naturam et personalitatem seu subsistentiam, item inter naturam et existentiam distinctio est realis ; subsistentia seu personalitas est modus substantialis complens ens in actu ultimo, ita ut sit iam pro se, seu incommunicabile ; qui actus ultimus actu existendi enti tribuitur (utrum ab actu existendi realiter differat, disceptatur inter thomistas). In humanitate Christi deest subsistentia enti creato rationali conveniens, seu personalitas humana, cuius locum subsistentia Verbi occupat ; et quia momentum constitutivum personalitatis, sc. incommunicabilitas actu existendi datur, humanitas Christi proseitatem ex actu existendi Verbi accipit, ita ut in

Christo sit unicus existendi actus isque Verbi divini, quo unio Christi formaliter constituitur (III 17, 2; Gent. I 22).

2. *Duns Scotus* id negat : In ente individuo concreto inter naturam et existentiam nulla est distinctio realis ; quot ergo naturae, tot existentiae. At etiam inter naturam et personam distinctio est mere virtualis : personalitas nempe eo tantum consistit, quod ens quoddam rationale completum non assumatur ad unitatem personae altioris ; personalitas est ergo negatio dependentiae actualis. Humana Christi natura eo ipso personalitatem propriam amisit, quod a Verbo assumpta est. Discrimen inter sententiam Thomae et Scoti eo illustratur, quod si per impossibile unio hypostatica solveretur, e mente Thomae humanitas Christi utpote actu existendi carens, quantum est in se, annihilaretur ; ex Scoti sententia eo ipso vitam personalem propriam agere inciperet.

3. *Suarez* cum Scoto duas in Christo existentias admittit ; cum Thoma vero personam a natura realiter distingui docet ; est enim modus substantialis terminativus, quo deficiente in humanitate Christi novus modus unionis, hunc in finem creatus intercedit.

DIACRISIS. Thomam sequuntur plurimi thomistae et non pauci molinistae, Scotum scotistae et plerique molinistae ; Suarez paucissimos tantum sectatores nactus est.

Nos *Thomae accedendum* esse ducimus. Etenim *a)* Quum existentia sit actus ultimus terminativus nihil perfectionis iam addens enti in ordine essentiae, si duae in Christo existentiae asserantur, duo entia integra statui videntur, et unitas Christi si non solvatur, multum tamen relaxatur. *b) Scotus* merito reprehenditur eo, quod personalitatem et proinde etiam vinculum unionis hypostaticae in momento negativo ponat ; e mente *Suaresii* vero personalitas superadditur existentiae, quae cum natura iam data est ; atqui «omne quod sequitur ad esse rei, est ei accidentale» (Gent. I 22) ; ergo modus personalitatis (item modus unionis eius vices implens) erit accidentale quid ; quomodo autem per accidens poterit constitui unio substantialis, qualis est unio hypostatica? *c)* E sententia Thomae unio Christi firmissime servatur atque vinculum unionis realissimum idque substantiale, ipse nimirum existendi actus Verbi vindicatur.

DIFF. 1. *Humanitas Christi est creata;* atqui creationis terminus est existentia ; ergo humanitas Christi non potest habere nisi existentiam creatam. — RESP. Terminus creationis formalissime non est existentia creaturae, sed creatura existens ; ergo non repugnat, ut creatio terminetur ad entitatem, cuius actus existendi praeexistit.

2. Si humanitas Christi in actum existendi Verbi assumatur, *ens finitum participat existentiae infinitae*, quod repugnat. — RESP. Quum actus existendi nihil perfectionis enti in ordine essentiali addat, assumptione humanitatis Christi ad existentiam Verbi non eo ipso infinita perfectio essentiae divinae ei communicetur oportet. Quod nos equidem, analogis notionibus Deum apprehendentes, non perspicimus ; at tamen analogiis theologicis e longinquo perstringimus : Si enim Deus potens est entibus existentiam et subsistentiam dare extra se (in creatione), cur idem non possit etiam intra se (cf. III 3, 1 ad 2)? Si deinde potentiā sua sustinet entia (in conservatione mundi), quare non possit idem facere subsistentiā sua? Et si denique subsistentia Verbi potens est sustinere essentiam infinitam, cur ei denegetur potestas sustinendi naturam finitam? (III 3, 7).

Unio hypostatica a Patribus (imprimis Cyrillo Alex. et ab Athana-

siano) *similitudine unionis humanae ad corpus* illustratur. Quae quidem similitudo ea parte convenit, quatenus anima et corpus in unam personam coalescunt, qua deinde unione communio quaedam idiomatum quoque (corporalium et spiritualium) induciter ; at non congruit eo, quod sint duae substantiae incompletae, quae ut verae partes ad unum substantiale constituendum conveniunt, quum in unione hypostatica duae naturae etiam post unionem integrae et inconfusae omnino permaneant.

ADDIT. **Sola secunda ss. Trinitatis persona est incarnata.** *De fide* adversus patripassianos ex Constant. II.

Probatur omnibus praecedentibus et s. Litterarum et Patrum effatis, quae *Verbi* incarnationem uno animo atque una voce profitentur. Ratione theologica hoc apriori effici non potest. Immo cum Thoma tenendum est per se potuisse etiam Patrem vel Spiritum vel totam etiam Trinitatem incarnari. Multum autem conveniens fuit in praesenti oeconomia salutis, ut Filius incarnaretur (§ 62).

DIFF. Propter perichoresim *ceterae personae totae insunt in Verbo*, ergo ipsae quoque incarnatae sunt. — RESP. Distinguendum est inter incarnationem passive et active consideratam. *Passive seu terminative* incarnatio est Filio propria ; ratio est, quod «non Deus Verbum per divinam naturam, sed divina natura per Dei Verbi personam unita dicitur carni» (ita iam *Rusticus* diaconus adversus acephalos; cf. III 3, 1) ; seu unio humanitatis ad divinitatem est stricte hypostatica ; esse terminum assumptionis non convenit naturae secundum seipsam, sed ratione personae, quacum humanitas relationem singularem quandam init. Quum autem relationes tales ex parte creaturae tantum sint reales, intellegitur, cur incarnatio non solvat aequalitatem personarum ss. Trinitatis, nec offendat in illud adagium : actiones Dei ad extra sunt communes. Etenim incarnatio *active seu efficienter* considerata est communis tribus personis; appropriatur tamen Spiritui s. utpote vinculo caritatis et sigillo terminativo Trinitatis.

§ 56. Consecutiones unionis hypostaticae.

Sunt quattuor: 1. unica filietas, 2. unica adoratio, 3. communicatio idiomatum, 4. excellentiae humanitatis Christi.

1. Unica filietas. — THES. **Christus etiam ut homo est Filius Patris naturalis.** *De fide* adversus adoptianismum.

EXPLIC. Filietas naturalis a generatione repetitur, atque ideo filietas divina in se et propter se nisi Verbo non convenit. Christus ut homo Filius Dei naturalis est non reduplicative formaliter, quasi nempe humanitas Christi in se et propter se sit Filius Patris naturalis, sed reduplicative specificative ; i. e. Christus est Filius Dei naturalis etiam quatenus est homo, seu Verbum subsistens in humanitate, seu hic homo.

DEMONSTR. **Scr.** Litteris d. Verbum incarnatum semper Filius Dei unicus, unigenitus dicitur : «*Et Verbum caro factum est . . . et vidimus gloriam eius gloriam quasi Unigeniti a Patre*» Jn 1 ; «*Etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*» Rom 8. Si ergo Messias in V. T. *servus Dei* dicitur, eius ut hominis subiectio et obedientia erga Deum tantum affirmatur, et nihil de filietate edicitur (cf. § 12, 2. 3). Si vero Paulus loquitur de Christo, «*qui praedestinatus est* (ὁρισθέντος)

Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum» Rom 1, in textu graeco sensus est: qui declaratus vel manifestatus est filius Dei per miracula, imprimis resurrectionis; ceterum propter communicationem idiomatum Christus quoad humanitatem potest Filius Dei praedestinatus dici, sicut et primogenitus inter fratres nuncupatur. **Tr.** Patres iam ante Ephesinum non aliter docuisse, Alcuinus abunde adversus Elipandum et Felicem ostendit. **R.** *a)* Filietas adoptiva per gratiam sanctificantem constituitur (§ 74, 1) et adoptatum Trinitatis facit filium. Atqui Christus in fontibus revelationis nusquam filius Trinitatis dicitur. *b)* Adoptio est «personae extraneae in filium et heredem gratuita assumptio» (III 21, 1); atqui Christus homo non est persona extranea, sed familiaris ss. Trinitatis. *c)* Paternitas et filietas sunt relationes personales; ergo in eadem persona duarum filietatum non est locus: «Filietas adoptionis est similitudo participata filietatis naturalis; non autem dicitur aliquid participative, quod per se dicitur» (III 23, 4); quo non excluditur gemina filiatio (cf. § 66, 1 cor. 1).

Falsa est ergo *sententia Durandi et Scoti* Christum hominem per generationem aeternam esse Filium naturalem Patris, per gratiam vero sanctificantem esse filium *adoptivum Trinitatis;* perperam enim Christus filius Trinitatis putatur; nec admittenda est in eadam relatione gemina filietas. — *E sententia Suaresii* Christus homo per generationem aeternam est Filius naturalis Patris, per unionem vero hypostaticam, vel potius per sanctitatem substantialem (§ 58, 2) sensu analogo est filius *naturalis Trinitatis.* Haec quoque sententia reicienda est; etenim unio hypostatica non est causa, sed conditio filietatis Christi hominis; unica siquidem causa est generatio ex Patre; si alia persona Trinitatis esset incarnata, nulla oriretur filietas.

2. Unica adoratio. — THES. **Christus unica adoratione latriae colendus est; ergo etiam ut homo est adorandus.** *De fide.* Post Ephesinum Constant. II. anathematizat nestorianos, qui «non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorant».

EXPLIC. Latria est species cultus religiosi; cultus vero est illud honoris genus, quo excellentia aliena cum submissione agnoscitur. Id quod colitur, est obiectum materiale cultus, quod ultima analysi semper est persona; excellentia, propter quam obiectum materiale colitur, est obiectum formale seu motivum cultus. Si motivum est excellentia divina, habetur cultus latriae, si est creata, cultus duliae; quae specifice distinguuntur. Si obiectum materiale et formale constituunt unum metaphysicum (v. c. homo quis eiusque sanctitas), habetur *cultus absolutus;* si constituunt unum morale tantum (uti homo sanctus eiusque ossa vel vestimenta), cultus est *relativus.* Thesi edicitur humanitatem Christi colendam esse cultu latriae absoluto, ergo directe et in se, tamquam obiectum materiale partiale et secundarium (principale est Verbum), licet non propter se, sed propter Verbum, cui metaphysica unione coniungitur.

DEMONSTR. **Scr.** Christus in terra degens cultum religiosum non postulavit; venerat enim ministrare, non ministrari; at oblatum non repudiavit (cf. § 52, 2). Immo praedicat: «*Pater omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*» Jn 5; morte imminente suos hortatur, ut in suo nomine orent. Et revera statim post

exaltationem a suis ut Dominus (κύριος) invocatur, v. g. a Stephano martyrium subeunti, eodem modo sicut Jahve. Dicente s. Paulo» *adorabunt eum omnes angeli Dei*» Heb 1 ; et : «*Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Iesu; qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus est ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris*» Phil 2.

Tr. Prisci christiani Plinio teste Christo tamquam Deo suo carmina canebant ; *Martyrium Polycarpi* dicit : «Christum utpote Filium Dei adoramus, martyres vero tamquam Domini discipulos et imitatores merito diligimus». Iustinus contra iudaeos, Origenes adversus Celsum, Athanasius contra Apollinarem adorationem Christi non esse ἀνθρωπολατρίαν coarguit : «Itaque rem creatam non adoramus, absit. Ethnicorum enim et arianorum est huiusmodi error. Sed rerum creatarum Dominum carnem factum, Dei Verbum adoramus . . . Verbum in carne existens Deum agnoscimus. Quis ergo adeo demens sit, ut Domino dicat : Recede a corpore, ut te adorem» (Ep. Adelph.). **R.** Cultus ultima analysi in personam dirigitur et excellentiae personae conformatur ; atqui Christi humanitas est propria Verbi, in quo subsistit, a quo ergo avelli nequaquam potest.

E mente *Suaresii* humanitas Christi est quidem adoranda cultu latriae, sed propter excellentiam supernaturalem creatam (cf. § 58) etiam cultu hyperduliae debet vel saltem potest honorari. Quae quidem sententia censuram nullam meretur, nec probabilitate quadam caret ; nihilominus non laudatur. Quum enim cultus in personam omnis redundet, Verbum seu Deus cultu duliae honoraretur, quod male audit ; neque augeretur honor Christo per latriam praestitutus addito cultu inferiore ; sicuti neque regi, si ut comes celebraretur.

COROLL. *Christus potest etiam in parte vel momento (in mysterio particulari) humanitatis adorari.* Etenim Christus homo adorandus est propter unionem hypostaticam ; atqui unio haec ad omnes et singulas partes tam essentiales quam integrales humanitatis extenditur ; ergo ut obiecta partialia possunt adorari ; immo ut obiecta manifestativa excellentiarum specialium Christi saepe quam efficacissime ad colendum movent ; ergo etiam utiliter et laudabiliter adorantur. Quod testimonio historiae quoque confirmatur ; cultus enim quinque vulnerum, pretiosissimi sanguinis, pueritiae Christi perantiquus est.

Documentis et publicis et privatis multum celebratur et commendatur *cultus ss. Cordis* Iesu. Huius cultus *obiectum* est probabilissime cor Iesu verum, at sensu latiore : tota vita Christi interior, maxime amor exuberans simul cum corde corporeo ut organo manifestativo et repraesentativo, tamquam unum obiectum adaequatum. Haec Noldini sententia (Die Andacht zum h. Herzen Iesu [10]1914) consuetudine loquendi biblico et ecclesiastico (cf. litaniam ss. Cordis) prae ceteris suadetur. — Cultus ss. Cordis altissimis radicibus defixus est in dogmate supra statuto, nec non s. Litteris (Mt 12, 20 ; Lc 19, 41 ; Jn 17, 1 ; Rom 8 ; 2 ; Cor 4 ; Ap 3, 14 ss.

etc.) ac traditione ; revelationes privatae s. Mariae Alacoque cultus augendi occasio, non statuendi causa fuerunt ; multum etiam *commendatur* his temporibus, ubi abundavit iniquitas et refriguit caritas multorum Mt 24. Cf. D. Castelein : De cultu eucharistici cordis Iesu 1928 ; M. Pörtzchen : Das Herz des Gottmenschen im Weltenplane [4]1926 ; A. Hamon : Histoire de la dévotion au Sacré Coeur 5 vol. [5]1923 ss.

3. Communicatio idiomatum. — THES. **In Christo vera quaedam idiomatum communicatio est admittenda.** *De fide.*

EXPLIC. Idiomata sunt proprietates alterutrius naturae Christi. Si de Christo Deo humana et de homine divina affirmantur, habetur communicatio seu permutatio idiomatum, quam Nestorius negaverat, Ephesinum asseruit.

DEMONSTR. **Scr.** S. Litterae communicatione utuntur : «*Nunquam Dominum gloriae crucifixissent*» (si eum cognovissent) 1 Cor 2 ; ex Israelitis «*est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula*» Rom 9. **Tr.** Patres iam inde ab Ignatio (cf. § 52, 4) idem agunt et Nazianz. (Or. 2, 24, ubi iam termino utitur) atque Leontius Byzant. explicite doctrinam proponunt. **R.** Quum Christus sit unum subiectum seu suppositum, de quo duae series proprietatum vere praedicari possunt, hae mediante subiecto etiam permutari possunt. Quod negare non possunt nisi qui vel unitatem subiecti solvunt (nestoriani), vel geminam seriem proprietatum infitiantur (monophysitae). Inde repetuntur etiam regulae communicationis idiomatum :

Regula fundamentalis est : Licitum est Christum sive ab humanis sive a divinis nominare in concreto (non in abstracto, cui adnumerandae sunt etiam partes humanitatis), et de Christo nominato a divinis licet humana et nominato a humanis licet divina praedicare ; ergo v. c. Deus mortuus est ; filius Mariae est omnipotens.

Regulae subsidiariae: 1. Si *subiectum* reduplicative vel abstracte nominatur, communicatio utpote monophysitica est illicita ; ergo non licet dicere : Christus ut Deus est mortuus ; Christus ut homo est ubique praesens (ubiquistae lutherani) ; humanitas Christi est omnipotens. 2. *Praedicatum* non debet esse negativum vel exclusivum (esset enim nestorianismus), neque si humana praedicat, abstractum ; v. c. Filius Mariae non est omnipotens, Christus tantum mortalis est ; Verbum est mortalitas. Ceterum cavendum est a formulis per se licitis, quibus haeretici abutebantur, veluti sunt : Christus est creatura ; unus de Trinitate passus est (trisagion Petri Fullonis).

4. Excellentiae humanitatis Christi. 1. *Actiones theandricae.* — Cyrus Phasensis in controversiis monotheleticis auctoritate Ps. Dionysii affirmabat : Christus divina non divine, humana non humane agebat, sed «novam quandam et deivirilem (θεανδρική) actionem» exercebat. E mente huius effati persona Christi divina omnium actionum suarum est principium non modo imperans (quod verum est), sed etiam eliciens (quod est monophysitice dictum). Nihilominus haec formula : Christi actiones sunt theandricae seu deiviriles, sensum plane orthodoxum quoque admittit.

Actiones enim, quae Christus ut homo facit, sunt diversi generis : *a)* naturales, uti fatigari, loqui, pati, ambulare, quae nisi a «principio quod» deiviriles dici non possunt ; *b)* supernaturales : miracula, sanctificatio, meritum, in quibus Verbum humanitate sua tamquam instrumento coniuncto utitur ; et hae sensu eminenti sunt theandricae (III 29, 1).

2. *Perichoresis.* — Propter unionem hypostaticam duae naturae in Christo intime coniunguntur, atque ideo se mutuo pervadunt. Quod Patres iam vel nominibus illius unionis (commixtio, μῖξις, κρᾶσις), nec non similitudine unionis animae et corporis indicabant. Hoc tamen magnum est discrimen inter perichoresim trinitariam et christologicam, quod illa in identitate naturae, ista in unitate personae sit posita ; quapropter divinitas Christi intime pervadit humanitatem, sed non contra.

3. Propter hanc perichoresim fieri non potest, quin *divinitas eximiorem quandam perfectionem humanae naturae communicet;* eo vel magis, quia ad unionem Verbi hypostaticam assumi summa est dignitas ; at vero qui a Deo ad dignitatem et munus aliquod vocatur, convenientibus dotibus etiam ab eo ornatur. Ideo communis est theologorum persuasio Christum hominem omnibus excellentiis praeditum esse, quarum creatura est capax, quaeque muneri messiano non repugnant. Id s. Litterae quoque significant : «*Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis, et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiae et veritatis*» Jn 1 ; «*in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare*» Col 1. Illae excellentiae quum intellectum Christi humanum singulari sapientia, tum voluntatem perfecta sanctitate et potentia exornant.

§ 57. Sapientia humana Christi.

Statuuntur 1. obiectum, 2. modus scientiae Christi.

1. Obiectum. — THES. **Christus homo plena sapientia absque errore et ignorantia praeditus est.** *Certum.*

Adversantur nestoriani, antiocheni, themistiani seu pars monophysitarum, qui et *agnoëtae* vocabantur, cenotici, protestantes liberales et modernistae. Gregorius M. (Ep. X 39) agnoëtas in haereticorum censu habuit ; Pius X. modernistarum errores damnavit. Congregatio Officii 1918 thesim nostram confirmavit *(D* 2183—5).

DEMONSTR. **Scr.** Evangelia testantur Christo perfectissime nota fuisse quaeque remota et alta et secreta, etiam profunda Dei ; est plenus veritatis, in eo «*sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi*» Col 2 ; «*sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus*» Jn 13, quod *Gregorius M.* ita interpretatur : «Quis ita stultus est, ut dicat, quia accepit Filius in manibus, quod nesciebat». **Tr.** *Leporius* monachus cca a. 418 subscribere debuit Libello emendationis probabiliter a s. Augustino oriundo : «Dicere non licet etiam secundum hominem ignorasse Dominum prophetarum» (cf. Pecc. merit. II 29, 48 ; Quaest. 83, 65). *Themistiani,* quorum saltem quidam probabilissime asserebant Christum ut hominem ignorasse diem iudicii, propterea ab Eulogio Alex. et Gregorio M. haeretici habebantur. **R.** *Christus ut caput* est etiam supremus omnium magister ; quod munus quovis errore aut ignorantia in discrimen vocaretur (III 10, 2).

DIFF. 1. Christus *erravit circa secundi sui adventus (parusiae) tempus;* ta rationalistae nostri. De quo § 12, 1 ; 114, 1.

2. Christum diu *latuit sua dignitas messiana* et filietas divina. Ita liberales et modernistae. — RESP. Gratis asseritur § 10, 1.

3. «*De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in caelo, neque Filius, nisi Pater*» Mc 13. — RESP. Patres haud pauci in pugnis cum arianis veram Christi hominis (non Verbi !) ignorantiam hac in materia admittebant. Occidentales tamen sicut iam Irenaeus cum Augustino (Gen. Man. I 22, 34 ; in Ps 36, 1, 1) aliter explicant. Sensus probabilis est : Christus diem iudicii nescivit *scientia communicabili* secundum Act 1 «*Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate*».

4. Christus frequenter *interrogavit* alios, mirabatur ; quomodo ergo ea ante scire potuerat? — RESP. Fecit hoc, ut verum hominem se ostenderet, vel etiam ad utilitatem adstantium.

5. «*Proficiebat sapientia*» Lc 2. — RESP. Profecit Christus scientia acquisita practica, et etiam manifestatione externa scientiae internae.

QUAEST. Quod ad terminos scientiae humanae Christi attinet, errorem aut ignorantiam eorum, quae quocunque modo ad munus messianum rite obeundum pertinent, seu ignorantiam privativam nullo pacto esse in Christo, supralaudatis solide probatur. Quod est ergo *terminus infra quem* scientiam Christi humanam non licet diminuere. Terminus *ad quem non* licet eam augere, est omniscientia absoluta, quippe quae sit proprietas divina incommunicabilis (III 10, 2). Omniscientiam relativam, seu scientiam omnium existentium (quod est obiectum scientiae visionis divinae) cum quibusdam Patribus fere omnes theologi recentiores (contradicentibus paucissimis, uti Klee, Lebreton, Schell) asserunt ; neque tuto id negaretur (Congr. Off. a. 1918).

2. Modus. — THES. 1. **Christus homo habuit scientiam acquisitam.** *Certum.* — DEMONSTR. **Scr.** «*Iesus proficiebat sapientia et aetate*» Lc 2 ; multum interrogabat, mirabatur ; «*Cum esset Filius Dei, didicit ex iis quae passus est, obedientiam*» Heb 5. **R.** Christus secundum dogma fundamentale *verus est homo* verosque actus humanos exercuit. Atqui a sensibilibus intellegibilium cognitionem acquirere, experientiā augere, discursione exercere vere humanum est; ita ut si Christus hoc sciendi modo careret, non nisi ad speciem vitam humanam duxisse dicendus esset.

THES. 2. **Christus a primo instanti visione beatifica usus est.** *Conclusio theologica certa.*

DEMONSTR. Thesis quae inde a Hugone Victorino ab omnibus si paucissimi praetereantur, admittitur, ex Scriptura et traditione formaliter probari non potest. Indicatur tamen. **Scr.** Christus d. dicit : «*Quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur*» Jn 3 ; et : «*Ego quod video apud Patrem meum, loquor*» Jn 8 ; etenim Patrem maxime loquitur ; ergo eum imprimis vidit. **Tr.** Quum s. *August.* (Quaest. 83, 65 ; 72) resuscitationem Lazari allegorice interpretaretur, ita ut facies eius sudario ligata sit cognitio per fidem, facies soluta vero visio beatifica, edicit talis distinctionis nullum esse locum in Christo. *Libellus emendationis* Leporio propositus damnat sententiam in Christo fuisse fidem ; atqui fidei contrarium est visio. Idem significat Leo M. et diserte proponit *Fulgentius* Ruspensis. **R.** Visio beatifica ut conclusio *colligitur ex unione hypostatica:*

Humanitas Christi propter unionem illam omnium intimam tam prope ad Deum accedit, ut divinitas non possit se non immediate ei manifestare. Et revera omnibus fatentibus Christi scientia de Deo est perfecta, immediata, clara, constans ; atqui haec visionis est scientia. Id *confirmatur* ex eo, quod *a) gratia unionis* est summa omnium gratia ; ceterae, ergo etiam visio beatifica, multo sunt inferiores. Convenit autem, ut qui summum habet, etiam inferiora acceperit ; *b)* Christus est *caput* etiam beatorum ; convenit ergo ut ipse quoque habeat, quod ceteris meretur et communicat (III 9, 2 ; Comp. 224).

QUAEST. 1. Visio beatifica Christi docente s. Thoma ratione modi est *actualis;* fit enim per unicam speciem ; *ratione extensionis* complectitur cognitionem Dei perfectissimam (non tamen comprehensivam utpote creaturis impossibilem) tamquam obiectum primarium ; et scientiam omnium existentium tamquam obiectum secundarium (III 11, 5).

2. Si Christus visione Dei fruebatur, *quomodo adhuc mereri potuit?* — Christus est comprehensor simul et viator ; quod quidem positive non perspicitur (status enim comprehensionis est altum mysterium) ; at impossibile a nemine ostendi potest.

DIFF. Christus in monte Olivarum contristatus est, et *in cruce a Deo derelictus.* — RESP. E mente M. Cani visio beatifica quandoque ad intellectum restringebatur, neque in cor redundavit. Quod asseritur magis, quam probabile redditur. Ex probabiliore sententia Thomae (III 15, 6, prout a Billot exponitur) visio Dei tunc demum plenam beatitudinem in omnem hominem redundat, si accedat quaedam corporis exaltatio accidentalis, qualis in resurrectione beatorum expectatur ; quae si desit, visio illa perfecta et plena habetur quidem exigitive, at non effective. Et ita fieri potest, ut gaudium quo mens perfunditur, simul cum incommodis quibusdam vitae sensitivae consistat ; item ut anima feratur etiam in obiecta aliena a visione, puta peccatorum impietatem, ingratitudinem etc. et exinde tristitiam concipiat.

THES. 3. **Christus homo habuit scientiam infusam.** *Conclusio certa* pro scientia infusa relative, *probabilis* pro infusa absolute.

DEMONSTR. *a)* Convenit, ut *excellentissimus hominum* omnibus perfectionibus, quarum capax est et quae muneri messiano vel inter se non repugnant, plenissime fruatur. Atqui scientia infusa (absolute) est perfectio, quae visioni beatificae non repugnat sicuti fides ; neque scientiam acquisitam reddit impossibilem vel superfluam, quandoquidem qui habet scientiam per ideas praevie inditas aliquarum rerum, potest earundem rerum insuper scientiam empiricam acquirere, quae proprio vigore et proinde proprio pretio non carebit. *b)* Christus est *caput etiam angelorum;* conveniens ergo est, ut non careat sciendi modo angelis proprio (III 9, 3). *c)* Christus *a primo vitae instanti meruit;* atqui scientia ad merendum necessaria non potest esse visio beatifica, quippe quae scientia comprehensorum sit ; scientiam vero acquisitam tunc Christus nondum habuit ; ergo non potuit mereri nisi scientia indita, seu infusa relative. — Scientia Christi infusa ex opinione s. Thomae (III 11, 2—5) *pertingit* ad omnia naturalia, quorum scientiam acquisitam habiturus erat, et insuper ad omnia quae revelatione continentur.

§ 58. Sanctitas Christi hominis.

Statuuntur 1. impeccantia, 2. libertas, 3. gratia, 4. potestas Christi.

1. Impeccantia. — THES. 1. **Christus omnis peccati et originalis et personalis expers fuit.** *De fide* ex Ephes. : «*Non eguit oblatione, qui peccatum omnino nescivit*» c. 10 ; Decr. pro Iacobitis : «*sine peccato conceptus, natus et mortuus*».

DEMONSTR. **Scr.** V. T. Messiam praenuntiat iustum Dei servum, qui «*iniquitatem non fecit, neque dolus fuit in ore eius*» Is 53. In evangelio ab angelo «*sanctum* (τὸ ἅγιον) annuntiatur, utpote a muliere quidem, sed ex Spiritu s. nasciturus ; ipse de se testatur : «*Quis ex vobis arguet me de peccato?*» Jn 8 ; «*venit enim princeps mundi huius, et in me non habet quidquam*» Jn 14 ; secundum apostolos est «*agnus immaculatus et incontaminatus*» 1 Pet 1, «*tentatus per omnia pro similitudine absque peccato*» Heb 4. **Tr.** Patres omnes assentiuntur *Tertulliano* dicenti : «Solus Deus sine peccato, et solus homo sine peccato Christus, quia et Deus Christus» (De anima 41). **R.** *a)* Peccatum utpote qualitas moralis ultimo personam afficit ; atqui blasphemum est Verbo peccatum quodcunque attribuere. *b)* Non potest in peccata implicitus esse, qui venit ut tollat peccata mundi ; alioqui vere ei diceretur : Medice, cura teipsum (cf. § 10, 2).

THES. 2. **Christus homo immunis fuit a concupiscentia actuali et habituali.** *De fide* quoad actualem ex Constant. II. : «*Si quis defendit Theodorum impiissimum Mopsuestenum, qui dixit alium esse Verbum et alium esse Christum a passionibus animae et concupiscentiis carnis molestatum, talis anathema sit;*» est *commune* quoad concupiscentiam habitualem seu fomitem.

DEMONSTR. *a)* Sequitur quum ex *conceptu Christi supernaturali*, vi cuius nihil de peccato originali contraxit, quod in praesenti salutis ordine est causa concupiscentiae ; tum ex unione hypostatica, propter quam vel levissimus peccati naevus a Christo arcendus est, qui alioqui redundaret in Verbum divinum ; atqui concupiscentia licet non sit peccatum, tamen ex peccato est et ad peccatum inclinat, et igitur est aliquid imperfecti in genere morum. *b) Patres* cum Augustino fatentur : «Qui credit carnem Christi contra spiritum concupiisse, anathema sit» (Op. imperf. ctra Julian. IV 47).

Si ergo Christus *tentatus* est per omnia pro similitudine, talis tentatio non erat consensio, neque delectatio, sed tantum mera externa suggestio (III 15, 2 ; 41, 1 ad 3).

THES. 3. **Christus homo fuit impeccabilis.** *Fidei proximum* ex schemate praeparato pro Vaticano : «Christus non solum non peccavit, sed nec peccare potuit».

DEMONSTR. *a)* Immediate sequitur *ex dogmate unionis hypostaticae*, vi cuius ferri non potest talis sententia : Christus potuit peccare ; etenim idem sonaret atque : Verbum i. e. Deus potest peccare ; quod absit ! Inepte ergo Durandus talem locutionem nefariam in eodem numero

cum aliis per communicationem idiomatum dictis habet, veluti : Deus passus, mortuus est ; haec enim nullam labem moralem continent. *b) Patres* id ab initio profitentur. Secundum Origenem (Pr. II 6, 6) anima Christi quasi ferrum in igne sic semper in Verbo posita est, et ideo nec convertibilis dici potest, sed omne quod sentit et intellegit, Deus est; Cyrillus Alex. stolidos et amentes eos dicit, qui delirant Christum potuisse nescio quo modo peccare (Adv. anthropom. 23).

QUAEST. *Fundamentum impeccabilitatis* Christi *Scotus* et quidam alii in speciali Dei protectione ponunt, ergo impeccabilitatem externam statuunt. Quae sententia libera quidem est ; multo tamen *probabilior* et communior tenet causam proximam esse visionem beatificam et abundantiam gratiarum, remotam et radicalem vero unionem hypostaticam : impeccabilitas interna.

2. Libertas. — THES. **Christus homo vera libertate usus est.** *Certum.*

DEMONSTR. **Scr.** Iam propheta praedicit : «*Oblatus est, quia ipse voluit*» Is 53. Ipse Christus d. : «*Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollet eam a me, sed ego pono eam a meipso; et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum* (ἐντολήν) *accepi a Patre meo*» Jn 10. Evangelia identidem in aliis quoque libertatem arbitrii ei tribuunt : «*ambulabat in Galilaeam, non enim volebat in Iudaeam ambulare*» Jn 7 ; in cruce «noluit» acetum sumere M 27. **Tr.** *Augustinus* ad verba Christi laudata refert : ergo anima eum non deseruit invita, «sed quia voluit, quando voluit, quomodo voluit» (Trin. IV 13, 16). **R.** *a)* Sequitur ex *vera et integra natura humana Christi;* etenim libertatem arbitrii ad essentiam hominis pertinere quis est qui neget? (III 18, 1) *b)* Homines libertate peccantes in libertate erant potissimum sanandi ; atqui quod assumptum non est, sanatum non est. *c)* Christus redemptionem *promeruit;* atqui meriti conditio sine qua non est libertas.

Aeque certum est *liberam Christi voluntatem non potuisse adversari voluntati divinae.* Ipse Dominus dicit : «*Non quaero voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me*» Jn 5. Idem ratio theologica efficit tum ex impeccabilitate, etenim posse adversari voluntati divinae idem est ac posse peccare ; quum ex unione hypostatica : actiones enim sunt suppositorum; atqui suppositum in Christo est unum; ergo in quolibet casu particulari unus tantum actus ad effectum perducitur (§ 54, 3).

QUAEST. *Si Christus non potuit non implere mandatum Patris* mortem crucis imperans, quomodo mors Christi, salutis nostrae causa meritoria praecipua, libera fuit? *Si vero potuit transgredi,* quomodo sanctitas et obedientia eius absoluta salvantur? In hac quaestione, quam Lugo unam ex difficillimis totius theologiae habet, alii alia periclitabantur :

1. Multi cum *Franzelin et Billot* mandatum non strictum, *sed beneplacitum* intelligunt, quod potuit Christus absque peccati periculo renuere. At *a)* mandatum (ἐντολή) in N. T. nunquam beneplaciti significationem induit ; *b)* Christus erat obediens usque ad mortem crucis ; atqui obedientia «est specialis virtus, et eius speciale obiectum est praeceptum tacitum vel expressum» (2II 104, 2).

2. E mente *Lugonis* Christus potuit *dispensationem* mandati obtinere. Quod gratis omnino ponitur.

3. Ex opinione *Lessii et Vasquesii* Christus non quoad substantiam sed utique *quoad circumstantias* huius mandati fuit liber. At ex communi christifidelium sensu Christus morte, et non circumstantiis (tempore, duratione etc.) mortis suae nos redemit. Omnes hae tres sententiae eo quoque peccant, quod libertatem Christi cum vero mandato obliganti componi posse non putent.

4. *Molinistae* multi ita solvunt : Deus tale mandatum dedit Christo, cui eum obauditurum (scientia media) praeviderat ; multi vero *thomistae* e mente suae theoriae dicunt : dato etiam mandato obliganti Christus liber mansit sensu diviso etsi non sensu composito.

5. *Salmanticenses* ponunt : Christi anima, humana ut erat, vere sensit difficultates easque abhorruit, licet ne ad momentum quidem eisdem assenserit ; et sic indoles meritoria mortis sacrificii crucis salvatur. *Quidam recentiores* (Janssens, Baets etc.) *libertatem radicalem* (cf. in Lomb. III d. 18, 1, 2 ad 5 ; 4 ad 3) ad veram libertatem Christi asserendam satis esse contendunt, qua sc. Christus plena cognitione et dilectione mortem amplectebatur, etsi propter perfectionem moralem non potuit nolle id quod Deus mandaverat. Et his duabus sententiis nodus, quoad eius fieri potest, solvi videtur.

3. Gratia. — THES. 1. **Christus homo formaliter sanctus est sanctitate substantiali.** *Commune* contra scotistas.

EXPLIC. *Sanctitas substantialis* est sanctitas Verbi humanitatem Christi ad unitatem suae subsistentiae elevantis, qua intime Deo adiungitur et Deo gratus fit ; est ergo sanctitas personalis, increata, infinita, per unionem hypostaticam Christo homini propria.

DEMONSTR. **Scr.** et **Tr.** Innixi verbis prophetarum : «*Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me*» Is 61, et : «*Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae*» Ps 44, hagiographi N. T.-i Christum divinitate unctum esse dicunt. Patres vero nomen Christi = Uncti ita interpretantur cum *Nazianz:* «Divinitas unxit humanitatem, sanctificans non operatione sicut in aliis unctis, sed totius ungentis praesentia» (Or. 30, 21) ; secundum *August.* «unus Christus Verbum et homo, sanctificans hominem in Verbo» (explicans illa Christi verba : «Et pro eis sanctifico meipsum» in Jn 108, 5 ; cf. Trin. XV 26, 46). **R.** *a)* E mente s. Thomae gradus sanctitatis *propinquitate ad Deum* determinatur ; atqui homo Christus per unionem hypostaticam substantialiter propinquus est divinitati. *b)* Christus homo *per unionis gratiam fit impeccabilis, consors naturae divinae,* Filius Dei, heres gloriae caelestis ; atqui his sanctitas creaturae constituitur ; ergo Christus vere sanctus est per unionis gratiam (III 7, 13 ; Comp. 222).

Ex his etiam *indoles sanctitatis substantialis* colligitur : est sanctitas formalis, seu sanctificans per se et non per formam quandam creatam ; actu et non potentialiter seu radicaliter (Scotus) tantum Christum hominem Deo facit gratum. Idque non ita, quasi fiat forma inhaerens animae Christi, Deus enim ut ens absolutum forma inhaerens seu pars metaphysica fieri non potest; sed ita, ut Christi humanitas per intimam praesentiam in subsistentia Verbi metaphysice Deo adiungatur et consecretur.

THES. 2. **Christus homo habuit gratiam sanctificantem omnemque eius comitatum.** *Certum.*

DEMONSTR. **Scr.** In Litteris s. Christus identidem plenus gratiae et virtute Spiritus s. unctus dicitur, quod Patres ita interpretantur, ut Christus Deus det, Christus homo accipiat Spiritum s. (Aug. Trin. XV 26, 46). Deinde Scriptura multum laudat virtutes Christi, uti perfectum erga Deum amorem et devotionem (*«Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius qui misit me»* Jn 4), obedientiam, humilitatem, misericordiam etc.; atqui haec sunt gratiae comitatus. Item dona Spiritus s. ei data esse indicat Isaias de Messia vaticinans: *«Et requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini»* Is 11. **R.** *a)* Decuit ut *caput hominum*, de cuius plenitudine omnes nos gratiam accepturi eramus, ipsum quoque ea gratia frueretur. *b)* Debuit *in ordine intellegendi et volendi* (seu a «principio quo» agendi) formā inhaerenti supernaturaliter compleri id quod per gratiam substantialem in ordine subsistentiae et existentiae seu a «principio quod» erat datum (III 7, 1. 2. 5. 9). Nec fieri potuit, ut sanctitas illa omnium summa, qua Christus excelluit (§ 10, 2; 11, 1) non radicetur in gratia sanctificanti, quae in praesenti oeconomia est fons omnis verae sanctitatis.

Sequitur utique Christo *virtutes eas defuisse*, quae sanctitati substantiali repugnant; ita fides propter visionem, item spes quoad substantiam sperandorum (non vero quoad accidentalia, sc. externam exaltationem cf. § 61, 1), paenitentia propter impeccantiam, continentia propter immunitatem a concupiscentiis deerant; non autem spiritus timoris Domini (prop. Abaelardi damnata); utique timor ille filialis, non servilis intellegatur (III 7, 3. 4).

THES. 3. **Gratia creata Christi hominis est plenitudo gratiae.** *Certum.* Etenim *«Verbum caro factum est . . . Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiae et veritatis . . . Et de plenitudine nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia»* Jn 1. *Fundamentum* ergo plenitudinis ontologicum est unio hypostatica, *titulus* moralis est munus capitis.

QUAEST. 1. Ex his colligitur Christum plenum esse gratia sensu non modo relativo, sicut Scriptura teste quidam alii electi, v. g. Ioannes Baptista, Barnabas, Stephanus protomartyr et imprimis b. V. Maria, sed *sensu absoluto;* tantum enim gratiae accepit, quantum creaturae conferri potest. Quae quidem gratiae plenitudo non est univoce infinita dicenda (sic enim soli Deo sanctitas infinita convenit), sed potest *analogice infinita* praedicari, «eo quod non limitetur; quia sc. habet, quidquid ad rationem gratiae pertinere potest, eo quod secundum propositum Dei, cuius est gratiam mensurare, gratia confertur animae Christi sicut cuidam universali principio» (III 7, 11).

2. *Gratiae plenitudo inerat in Christo a primo conceptus instanti;* tunc enim ad verum perductum est eius fundamentum: unio hypostatica. Ergo illud Lucae: *«proficiebat gratia»* accipiendum est partim de progressu manifestationis externae, partim de augmento meriti.

4. THES. **Christus homo ad producendos effectus supernaturales, quibus potestas eius propria par non erat, speciali potestate instrumentali erat instructus.** *Certum.*

EXPLIC. Praeter *potestatem divinam* Verbi Christus potestate propria *humana quoque* utebatur, ad illos sc. effectus edendos, qui sunt animae convenientes, puta ad gubernandum corpus et ad disponendos humanos actus, et etiam ad illuminandos per gratiam et scientiam homines eo modo, quo est conveniens creaturae rationali (III 13). Sed *thesi* agitur de potestate ad effectus muneris messiani tales proferendos, qui potestatem humanam propriam superant, sicuti sunt miracula edere, peccata remittere.

DEMONSTR. **Scr.** Evangelia narrant a Christo per humanitatem esse facta miracula, remissa peccata. Ipse carnem suam cibum immortalitatis esse enuntiat Jn 6, et dicit potestatem se habere ponendi ac tollendi animam, seu propria virtute resurgendi Jn 10 ; et : «*Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra*» Mt 28. **Tr.** Patres vim vivificatricem carnis Christi multis praedicant ; imprimis *Athanasius, Cyrillus Alex.*, Aug. (in Jn 26, 13 ss.). **R.** *a)* Si Christus mediator ad munus propheticum sapientia eximia, ad munus sacerdotale sanctitate perfecta erat instructus, oportet ut *ad munus regium* potestate convenienti sit praeditus. *b)* Verbum *propter unionem hypostaticam* humanitate sua tamquam instrumento utitur, eique ad actiones deiviriles vim impertitur convenientem.

QUAEST. Quod ad *naturam* potestatis istius Christi attinet, ex opinione *scotistarum* est mere moralis : Christus homo precando et merendo Deum movet ad actiones theandricas faciendas. E *thomistarum* sententia insuper est physica. Verbum nempe ut agens principale humanitatem per potentiam obedientialem ad agendum supernaturalia instrumentaliter elevat. Quae sententia utut mysterium enuntians, tamen Scripturā commendatur, qua docemur virtutem de Christo exiisse, carnem eius et sanguinem habere vim ad servandum hominem in vitam aeternam, Christum insufflando dedisse Spiritum s. ; menti Patrum, qui multum de carne Christi vivificatrici loquuntur, propius accedit ; efficaciam sacramentorum ut instrumentorum Christi separatorum aptius illustrat (§ 86).

Caput 2. Soteriologia.

Proponitur 1. mysterium redemptionis ; 2. quaeritur de eius veritate, 3. efficacia, 4. relatione ad rationem naturalem ; de munere Christi 5. prophetico, 6. regio, 7. sacerdotali.

Tractatus de soteriologia. *Damascenus*: De fide orthodoxa III ; *Anselmus:* Cur Deus homo ; *Thom.* III 19—22. 24. 26. 46—56 ; *C. van Crombrugghe:* De soteriologiae christianae primis fontibus 1905 ; J. *Rivière:* Le dogme de la rédemption I. Étude historique 1905 ; Étude théologique [3]1931 ; G. *Pell:* Das Dogma von der Sünde und Erlösung im Lichte der Vernunft 1886 ; R. *Guardini:* Die Lehre des h. Bonaventura von der Erlösung 1921 ; B. *Funke:* Grundlagen und Voraussetzungen der Satisfaktionstheorie des h. Anselm 1903.

§ 59. Propositio mysterii redemptionis.

Statuuntur 1. summa mysterii, 2. Christus mediator caput, 3. haereses soteriologicae et propositio Ecclesiae.

1. Summa mysterii. — **Redemptio** sensu catholico in eo consistit, quod *Christus mediator naturalis Deum inter et homines ac caput generis*

humani operibus meritoriis, praesertim sacrificio crucis Deo hominum vice satisfecit pro reatu peccati eiusque paenis, humano generi restitutionem in gratiam Dei meruit et omnibus potestatem dedit denuo filios Dei adoptivos fieri. Quae ut rite intellegantur, diligentius considerandum est, quid et quo modo, seu potius quibus actibus Christus redemptor egerit.

1. *Quid?* Opus redemptionis in Litteris d. salus, iustificatio, instauratio, regeneratio, restitutio commercii divini dicitur : «*Vocabis nomen eius Iesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*» Mt 1 ; «*instaurare omnia in Christo*» Eph 1. Seu redemptio est restitutio status pristini, qui fuit ante peccatum originale ; at *universaliter*, obiective et indirecte, in actu primo, quoad sufficientiam ; *non vero in individuo*, subiective et directe, in actu secundo, quoad efficientiam ; namque redemptionis opus pro singulis non sortitur effectum, nisi eis applicetur.

2. *Quibus actibus? a) Finaliter* redemptionis factum duo momenta complectitur, secundum illud Apostoli : «*Eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii dilectionis suae*» Col 1 ; et : «*translati sumus de morte ad vitam*» 1 Jn 3. Momentum negativum redemptionis, positivum reconciliationis nomine potissimum venit. *Redemptio* enim sensu maxime proprio est recuperatio rei amissae soluto pretio ; praecipue recuperatio libertatis ex servitute. Ita ergo Christus nos redemit a servitute peccati, ut pretium infinitum vitae suae solverit. *Reconciliatione* Christus nos Deo iterum gratos fecit, ita ut iam non simus filii irae.

b) Formaliter factum redemptionis est mediatio Christi capitis, non mera impetratoria, ut falso volebant sociniani sed meritoria. Ex hac parte redemptio satisfactio et expiatio seu propitiatio potissimum dicitur. *Satisfactio* enim sensu latiore est reparatio iniuriae sive in rem (=damnum), sive in personam (=offensa) illatae; sensu strictiore est iniuriae alteri illatae compensatio. Homo per peccatum iniuriam omnium maximam Deo intulit, quam Christus ita compensavit, ut Deo in nostram vicem (satisfactione ergo vicaria) summum honorem praestiterit. *Expiatione* seu propitiatione Christus sustulit Dei indignationem, quam peccatum contraxerat, et priscam eius benevolentiam nobis conciliavit.

c) Materialiter Christus factum redemptionis per omnes actus totius vitae et distributive et collective acceptos perfecit, seu *tria munera: prophetae, regis, sacerdotis* exercendo. Quae tamen munera non sunt eiusdem gradus. Et in fontibus revelationis et ab Ecclesia *sacrificium crucis* ut factum redemptionis per excellentiam consideratur, tam quia est omnium operum Christi maxime meritorium, quam quia stipendium peccati, quod est mors, formaliter persolvit. Idcirco Christus munere sacerdotali potissimum fungendo nos redemit (obiective et in actu primo) ; munere prophetico et regio vero fructus redemptionis potissimum nobis impertit subiective et in actu secundo).

2. Christus mediator et caput. — THES. 1. **Christus est mediator isque unicus naturalis Deum inter et homines.** *De fide* iam ex epistula dogmatica Leonis M. ad Flavianum.

DEMONSTR. **Scr.** explicite docet : «*Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*» 1 Tim 2. **Tr.** Eadem est Patrum doctrina inde ab Irenaeo (III 18, 16) qui hac veritate tamquam argumento capitali contra gnosticos usus est (cf. § 60, 2).

Sensus plenior thesis est hic : 1. Christus est *mediator naturalis;*

etenim mediator est medius inter extrema, in unum ea coniungens (III 26, 1); atqui Christus duo extrema quorum est mediator, in unitatem personae suae coniungit. Inde efficitur 2. Christum *unicum* esse mediatorem naturalem ; nemo enim praeter Deum-hominem extrema quorum est mediator, unitate physica in se copulat. Nihilominus 3. Christus *ut homo* est mediator. Mediator enim medius inter duo extrema stet oportet ; ergo requiritur ut sit minor Deo et maior hominibus. Quod convenit Christo homini, qui ut homo minor est Patre, tamen homines longe excedit utpote dignitatis Verbi, in quo subsistit, particeps et plenitudine gratiae tam substantialis quam accidentalis fruens. Christus homo licet sit simul Deus, potest medius esse inter Deum (ergo etiam seipsum, ut est persona ss. Trinitatis) et homines ; etenim unica eius persona divina est virtualiter gemina.

THES. 2. **Christus est caput generis humani.** *Certum.*

DEMONSTR. **Scr.** Paulus hanc veritatem fuse tractat Eph et Col item 1 Cor 12 et Rom 12 : «*Omnia subiecit sub pedibus eius, et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius*» Eph 1 ; «*qui est caput omnis principatus et potestatis*» Col 2. **Tr.** Patres fere omnes ab Irenaeo incipientes, imprimis *Augustinus* in Ps et Cyrillus Alex. multis hanc veritatem sublimem et fecundam suavemque illustrant. **R.** Docente s. Thoma (Verit. 29, 4) caput *gubernatione, dignitate, causalitate* maxime super corpus eminet. Iam nunc Christus ut primogenitus ex fratribus et consubstantialis nobis intima unitate organica generi humano coniungitur ; Christus enim ut homo est caput nostrum (sicut et mediator), ergo conditionem fundamentalem gubernationis, unionem cum dirigendis, implet. Deinde ut homo caelestis dignitate infinite omnes superat. Denique ut caput morale pro nobis redemptionem meretur ; ut caput mysticum in membra veluti vitis in palmites iugiter virtutem suam in fideles influit : «de plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia» Jn 1 (cf. § 84, 3).

QUAEST. *Gratia capitis* in Christo formaliter nihil aliud est, quam potestas Christi hominis dona supernaturalia in membra corporis sui mystici, in Ecclesiam infundendi ; cuius potestatis radix est gratia unionis hypostaticae, principium quo autem plenitudo gratiae creatae.

3. Haereses soteriologicae. 1. *Rationalismus:* pelagiani, sociniani, protestantes liberales et modernistae veritatem peccati originalis plus minus abhorrentes opera et imprimis mortem Christi vim propitiatoriam ac indolem sacrificii habere infitiantur, et Christum sola doctrina, exemplo, et quum plurimum, intercessione (ita sociniani) esse redemptorem asserunt.

2. *Pseudomysticismum* profitentur gnostici, e quorum sententia radix peccati et corruptionis est unio animae cum materia prava, et redemptio est liberatio animae ex corporis amplexibus vel modo physico vel sola doctrina peragenda. Similiter theosophistae sentiunt. Protestantes orthodoxi contendebant Christum etiam reatum peccati nostri subiisse, propterea Deo vere odiosum esse factum et paenis etiam inferni affectum ; praedestinatis redemptionem etiam in actu secundo procuravit, ad quam capessendam sola fides fiducialis satis est.

Declarationes authenticae de redemptionis mysterio paucae tantum exstant : Symbolum *Nicaenum:* «*qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis . . . passus et mortuus est*». — *Ephesinum* c. 10 : «*Si quis dicit et pro se obtulisse semetipsum oblationem, et non potius pro*

nobis solis, a. s.» — *Clemens VI.* superabundantiam passionis Christi enuntiavit (*D* 550; cf. § 104, 1).

Tridentinum 5 c. 3 : «*Si quis hoc Adae peccatum. . . per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Iesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo factus nobis iustitia, sanctificatio et redemptio,* . . . a. s.»; 6 cp 7 : Causa meritoria nostrae salutis est Christus, «*qui cum essemus inimici, propter nimiam caritatem qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit et pro nobis Deo Patri satisfecit*». — *Pius X.* damnavit propositionem modernistarum doctrinam de morte piaculari Christi non esse evangelicam, sed tantum paulinam (*D* 2038).

§ 60. Veritas redemptionis.

Statuitur testimonium 1. Scripturae, 2. traditionis.

THES. **Iesus Christus tota humilitatis vita, praesertim mortis sacrificio ut caput generis humani eius vice Deo satisfecit et reconciliationem meruit.** *De fide* quoad sacrificium meritorium, *fidei proximum* quoad satisfactionem vicariam ex praecedentibus.

1. Testimonium s. Scripturae.

1. *In V. Testamento* prophetae et Psalmi testes sunt omnibus bona voluntate ad Deum tendentibus peccatorum remissionem et pacem cum Deo concedi. Causa efficiens huius reconciliationis est misericordia divina, et conditiones praecipuae a parte hominum sunt cor contritum et misericors, potissimum eleemosynas inopibus largiens, ac observatio legis. Praeter conditiones istas subiectivas etiam obiectivae, uti sacrificia, imprimis cruenta significantur : immo Messiae venturi sacrificium vicarium quoque satis indicatur. E doctrina Ps 21 actionis messianae hic erit fructus : «*Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terrae*». Is 53 de Messia, servo patienti Jahvae haec dicit : «*Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit . . . Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostrae super eum, et livore eius sanati sumus . . . Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum; sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum . . . In scientia* (= obedientia hebr.) *sua iustificabit ipse iustus servus meus multos et iniquitates eorum ipse portabit . . . et cum sceleratis reputatus est, et ipse peccata multorum tulit*». Secundum Dan 9 tempore messiano (in dimidio hebdomadis) «*deficiet hostia et sacrificium*», et Christus «*confirmabit pactum multis*».

2. *Synoptici.* «*Venit Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat*» Lc 19 ; venit ut medicus ad aegrotos, ut salvator ad peccatores, quibus proprio nomine peccata remittit. Conditiones subiectivae remissiones sunt paenitentia, caritas in proximos, imprimis ut et nos remittamus debitoribus nostris. Bis explicite mortem suam esse medium obiectivum peccatorum delendorum significat : «*Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis* (λύτρον = pretium redemptionis ἀντὶ πολλῶν)» Mt 20. Clarius adhuc in

caena ultima : «*Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*» Lc 22 ; «*hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*» Mt 26.

Certum est adversus protestantes liberales et modernistas Christum d. mortem suam arcessitam ab initio praevidisse et voluntario suscepisse. Etenim iam ineunte vita publica monuit auditores sponsum eis ablatum iri et tunc fore tempus lugendi et ieiunandi Mc 2 ; mors Baptistae morti suae praeluserat Mc 6. Paulo post Zebedaeos interrogavit num calicem suum bibere possent, et apostolos prohibuit ne de transfiguratione ante resurrectionem loquerentur. Imminente exitu praedicit se exaltandum esse : «*primum autem oportet illum multa pati et reprobari a generatione hac*» Lc 17. Ter solemniter et dilucide mortem suam discipulis praenuntiat : post confessionem Petri Caesareae, multa faciens miracula in Galilaea Mt 17, iter cum discipulis ad Ierusalem suscepturus Mt 20. Ultima hebdomade ante passionem parabolam narrat de domino vineae et unico eius filio ab operariis occiso Mt 21 ; ultimum se pascha cum discipulis celebraturum et a Maria Magdalena corpus sum ad sepeliendum unctum esse declarat Mt 26.

3. *Ioannes*. Apud Ioannem constans est Christi doctrina se venisse ut transferamur a morte ad vitam, de tenebris ad lucem. Quomodo? Diserte hoc exponit Nicodemo : «*Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis; ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*» Jn 3. Mortem illam voluntarie est suscepturus : «*Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*»; potestatem habet ponendi et tollendi et iterum sumendi animam suam. Mors illa voluntaria erit salus mundi : est granum frumenti cadens in terram, quod si ibi mortuum fuerit, multum fructum afferet Jn 12 ; «*panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*» Jn 6 ; «*et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*» Jn 12 ; «*ego sum pastor bonus; bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*» Jn 10.

4. *Paulus*. Summa doctrinae paulinae est mors piacularis Christi : «*Non enim iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum et hunc crucifixum*» 1 Cor 2, «*qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram*» Rom 4. Doctrinae paulinae quam Rom Eph et Heb ex asse proponunt, capita haec sunt :

a) Omnes homines erant debitores et filii irae coram Deo ; sed nunc reconciliati sumus per mortem Christi : «*Quum essemus inimici, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius*» Rom 5 ; «*Qui eratis aliquando longe, facti estis prope in sanguine Christi*» Eph 2.

b) Christum redemptorem ipse benignus Deus dedit ad manifestandam et misericordiam et iustitiam suam : «*Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*» 2 Cor 5 ; «*Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*» Rom 8. «Iustificati gratis per gratiam ipsius, *per redemptionem, quae est in Christo Iesu, quem pro-*

posuit Deus propitiationem (ἱλαστήριον) *per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiae suae*» Rom 3.

c) Mors Christi expiatoria est sacrificium vicarium : «*Unus mortuus pro omnibus*»; «*factus est peccatum pro nobis, qui non noverat peccatum*» 2 Cor 5 ; «*Delens quod adversus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci*» Col 2.

5. *Ceteri apostoli. Ioannes* eodem modo loquitur, atque Paulus : «*Ipse est propitiatio* (ἱλασμός) *pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed et pro totius mundi*» 1 Jn 2 ; «*In hoc est caritas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris*» 1 Jn 4. In Apocalypsi vidit agnum stantem quasi occisum Ap 5, et in Ierusalem caeleste non intrant, nisi qui sanguine agni sunt mundati Ap 7.

Secundum *Petrum* christiani aliquando, sicut ceteri, erant oves errantes, tenebrae, non-populus. Nunc iam non ita : «*Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum*» 1 Pet 2. Unde haec mutatio? Inde, quia «*Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis*» 1 Pet 3 ; «*peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*» 1 Pet 2 ; «*non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati*» 1 Pet 1. Similiter docent Iacobus et Iudas.

2. Testimonium traditionis. *Patres apostolici et scriptores s. 2.* doctrinam Scripturae, paulinam imprimis repetebant et persuasi erant fidem redemptionis per Christum factae tam altas radices in populo christiano egisse, ut gnosticorum errores christologicos veritatibus soteriologicis innixi repellerent : Si Christus non esset homo nisi ad speciem, vel anima humana careret, vel Deus non esset, nos non essemus vere redempti. Ita iam Ignatius arguit. Inde ab ineunti saeculo 3. Patres diligentius in modum redemptionis inquirentes auctores fuerunt sententiarum, quas nostri theorias redemptionis nominare delectantur, in quibus tractandis tamen non est praetermittendum a nemine Patrum ullam theoriam exclusive esse propugnatam ceterasve negatas.

1. *Theoriae mysticae* auctor est s. *Irenaeus*, qui inhaerens Paulo dicenti : «omnia instaurare (ἀνακεφαλαιώσασθαι = recapitulare) in Christo» Eph 1, docuit in Christo capite universum genus humanum intime Deo esse coniunctum, vi eius vivificatrici pervasum, et ita a mortis et diaboli potestate erutum. Ergo Christus incarnatione praesertim nos redemit. Sed factis quoque salutem nostram operatus est, morte imprimis, qua nos obedientiam docuit. Doctrinae recapitulationis adstipulantur Hippolytus, Methodius, Athanasius, Nyssenus, Epiphanius.

2. *Theoriae redemptoriae* auctor est *Origenes*. Ex opinione huius theoriae genus humanum per peccatum protoparentis mancipium diaboli est factum, qui seductione et fraude quidem, sed tamen ius verum in homines acquisivit. Christus in cruce seipsum tradendo pretium redempto-

rium (= mortem) diabolo solvit, at resurgendo potestati illius qui mortis habet imperium, se subtraxit, et ita fraudator ille antiquus ipse fraudem passus est. Assentiuntur Nyssenus, Basilius, Cyrillus Alex., Ambrosius, Augustinus (Trin. XIII 12 ss.), immo multi alii usque ad s. Thomam (III 49, 2) similia frequenter retractant. Isti tamen plerique negant satanae ius verum in homines convenisse, et ius fictum quo utebatur, ideo eum amisisse docent, quod manus in insontem violenter intulerit : diabolus ut piscis vorax Christum ut illecebram avide arripuit, hamum divinitatis absconditae non conspiciens, et ita captus est ; Nyssen. (Or. cat. 22). Theoria haec non multum laudatur, immo opinio Origenis pretium redemptionis diabolo esse solutum, respuenda est. Cum grano salis tamen teneri potest, ea parte sc., quatenus praedicat peccatum, cuius quasi advocatus est diabolus, non vi superatum esse a Christo, sed ostensione potestatis victricis humilitatis et patientiae et devotionis in Deum.

3. *Theoria satisfactionis* dilucide iam, ut vidimus, a s. Paulo proponitur, a Clemente R. (49, 6), Iustino (Dial. 95), Origene asseritur, a graecis s. 4. magis expolitur. *Athanasii* haec est doctrina (Incarn. Verbi 9) : Quum Verbum intellegeret non posse aliter hominum corruptionem solvi, nisi omnino morerentur, corpus mortale assumpsit, ut morti pro omnibus satis esset. Hinc corpus suum velut hostiam et victimam omni macula puram morti offerendo, statim mortem ab omnibus, suo pro aliis oblato, propulsavit. Hanc ut fere unicam doctrinam *latini* inde a Tertulliano et Cypriano usque ad Augustinum (Trin. IV 17 ; XIII 21 ; Faust. XX 21 ; Ench. 41 in Ps 21, 3) et Leonem sequuntur : «Venit d. Iesus, mortem suam pro morte omnium obtulit, sanguinem suum pro sanguine fudit universorum» (Ambr. Epist. 41). Haec deinde doctrina a scholasticis, potissimum a s. Anselmo exculta est.

Anselmus quaestionem posuit : Cur Deus homo ; seu quare non alium salvandi modum Deus elegerit? Et respondet : homines ad lacunas angelorum lapsorum supplendas erant destinati. Sed contra est factum. Protoparens peccando honoris loco irreverentiam omnium maximam, immo si consideratur dignitas eius qui offensus est, infinitam Deo intulit, pro qua aut poena erat luenda, aut satisfactio praestanda. Debuit Deus propter maiestatem suam satisfactionem eligere, quam autem homo totus in peccato implicitus praestare non potuit ; non enim habuit creatura miserrima unde, et non habuit peccator iniquus, quomodo solvat. Sic ergo necesse erat, ut ipse Deus fieret homo, qui ut Deus habuit unde satisfactionem solveret eamque offensae aequivalentem, infinitam nempe, et ut homo purissimus modo Deo placenti id facere potuit, et reapse fecit obedientiā et praesertim morte voluntaria, quam ut prorsus innocens alioqui non debuerat.

Haec deinde doctrina a *s. Bonaventura et Thoma aliquantulum emendata* est in hunc mundum : Deus non debuit satisfactionem exigere, id tamen conveniens erat quam maxime ; causa efficiens salutis nostrae est misericors Deus, Christus vero est causa meritoria. Et sic communis evasit et a Tridentino quoque proposita est ; nihil enim aliud est atque doctrina s. Pauli ratione philosophica expolita.

§ 61. Efficacia redemptionis.

Exponitur efficacia redemptionis 1. obiectiva, 2. extensiva, 3. intensiva.

1. Obiectum. — THES. **Christus vere et proprie meruit nobis restitutionem vitae supernaturalis, sibi exaltationem.** *Certum.*

1. Christus *vere et proprie meruit.* Est *fidei proximum* ex Tridentino docenti Christum esse causam meritoriam nostrae salutis. **Scr.** et **Tr.** id omnibus confirmat, quibus Christi vitam et imprimis mortem pretium redemptionis (ἀντίλυτρον) asserit Deumque propter Christi mortem nobis reconciliatum esse affirmat. **R.** In Christo omnes conditiones veri meriti (§ 77, 2) adsunt : ut viator posuit actus liberos, honestos, in statu gratiae, Deoque acceptissimos. Inde id quoque colligitur Christum iam a momento conceptionis suae mereri incepisse. Paulus Heb 10 hoc sensu Christi in ore ponit Ps 39 : «Ingrediens mundum dicit : Hostiam et oblationem noluisti ; corpus autem aptasti mihi. . . Tunc dixi : Ecce venio ; in capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus, voluntatem tuam . . . In qua voluntate sanctificati sumus».

2. *Nobis* meruit *a)* satisfactionem pro reatu culpae et paenae ; *b)* condonationem peccati originalis et omnium aliorum peccatorum, ut abunde patet ex § 60 allatis ; *c)* gratiam sanctificantem ; etenim nos iustificavit et sanctificavit ; *d)* vitam aeternam, utpote vitae supernaturalis coronam ; *e)* fregit potestatem diaboli, eo quod solvit vinculum peccati, quo servituti satanae eramus obligati, dedit vim superandi infestationes diaboli, et exemplo atque doctrina veram ipsius indolem manifestavit (III 49, 2) ; *f)* vicit mortem, eo quod fontem eius, peccatum obstruxit et resurrectione ut primogenitus e mortuis viam vitae aeternae aperuit. Reliquit tamen debilitates et concupiscentiam carnis, ut sint memoria lapsus necnon stimuli et occasiones meritorum.

3. *Sibi* meruit exaltationem : «*Nonne haec oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam?*» Lc 24. Secundum Paulum eo quod erat obediens usque ad mortem crucis, meruit tale nomen, in quo omne genu flectitur Eph 2. Theologi diligentius obiectum huius meriti determinaturi statuunt : Christus non meruit gratiam unionis et ea quae gratiam unionis immediate consequuntur : visionem beatificam, scientiam infusam, gratiam sanctificantem ; principium enim meriti non cadit sub meritum. Meruit autem resurrectionem, ascensionem, locum ad dexteram Patris, iudicium mundi et exaltationem ut caput corporis sui mystici. Haec enim omnia potuit mereri ; et quia perfectius est habere aliquid per meritum, quam contradictorium, convenit ut ea omnia titulo meriti acceperit (III 49, 6).

2. Extensio. — THES. **Christus omnes homines redemit.** *De fide* quoad fideles, *certum* immo fidei proximum quoad ceteros.

Docet *Trident.* 6 cp 2 iisdem ipsis verbis Rom 3 et 1 Jn 2 : «*Hunc proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solum pro nostris autem, sed etiam pro totius mundi*». Prop. *Iansenii* 5 : «Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse», damnata est ut «falsa et intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, haeretica».

DEMONSTR. **Scr.** Christus venit salvum facere, quod perierat; ergo opus redemptionis tam late patet, quam perditio, quae autem est universalis. Est agnus Dei, qui tollit peccatum mundi; est lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Secundum Paulum Christus est «*Salvator omnium hominum, maxime fidelium*» 1 Tim 4. «*Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus . . . Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*» 1 Tim 2. «*Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed et pro totius mundi*» 1 Jn 2. **Tr.** Patres antepelagianos ita sentire ipse Iansenius fatetur; de doctrina s. Augustini cf. § 72, 2. Ceterum quaenam fuerit mens Ecclesiae antiquae, ex eo colligitur, quod Gottschalcus praedestinatianismum profitens statim damnatus est (*D* 319).

QUAEST. *Pro angelis Christus probabilius non meruit* nisi gratias accidentales, v. g. augmentum scientiae mysteriorum, laetitiae ex progressu Ecclesiae conceptae. Etenim angeli boni interventione Christi meritoria non indigebant, mali vero incapaces erant. Ita theologi communius cum August. (Enchir. 16, 61) et Thoma (III 8, 3) contra Scotum. Si ergo secundum Apostolum Christus missus erat «*instaurare omnia sive in caelo sive in terra*» Eph 1, «*reconciliare omnia*» Col 1, intellege: Christus ubi homines Deo reconciliavit, homines sanctificatos etiam angelis sancta societate coniunxit, et ita integram restituit civitatem Dei, cuius ipse est caput.

ADDIT. «*Etsi Christus pro omnibus mortuus est, non omnes tamen eius beneficium recipiunt*» (Trident. 6 cp 3). Etenim Christus *obiective* et in actu primo redemptionem nobis meruit, quae ut in actum secundum adducatur seu subiective singulis obveniat, cooperatio quum singulorum, tum Ecclesiae requiritur. Ita docet ipse Christus d.: «*Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*» Mc 16. Ita etiam apostoli: «*Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*» Jn 1. Secundum Paulum Christus salus est obtemperantibus sibi Heb 5, qui adimplent in corpore suo, quod deest passionum eius Col 1. Petrus vero fideles hortatur: «*Magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis*» 2 Pet 1.

3. Intensio. — THES. **Christus secundum aequivalentiam, immo secundum abundantiam pro nobis satisfecit.** *Certum.*

DEMONSTR. **Scr.** Opus redemptionis saepe pretium (λύτρον, immo ἀντίλυτρον) vocatur; est ergo saltem eiusdem pretii atque res redimenda. Docet Heb 9 multis sacrificiis V. T.-i non deleri peccata, ita vero unico sacrificio Christi. Idem Apostolus dicit: «*Non sicut delictum, ita et donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit . . . Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia*» Rom 5. **Tr.** «Non tantum peccavimus, quantum ille iustitiā excelluit, qui pro nobis animam posuit» (Cyril. Hier. Cat. 13). «Longe plura quam debebamus solvit Christus, et

tanto plura, quanto prae parva stilla pelagus immensum» (Chrysost. in Rom 10). Similia multa et alii habent.

QUAEST. Theologi pressius determinaturi vim intensivam redemptionis hunc in modum *distinguunt: Satisfactio* est *congrua,* quando debitor tantum rependit, quantum potest, quod tamen debitum non adaequat ; est ergo satisfactio insufficiens. Alia est *aequivalens,* alia *superabundans,* quae ex terminis intelleguntur. Satisfactio sive aequivalens, sive abundans est *secundum rigorem iustitiae,* si debitum solvatur *a)* ad alterum ; *b)* ex bonis propriis, sub dominio satisfacientis constitutis ; *c)* aliunde indebitis ; quam igitur creditor ex iustitia commutativa accipere tenetur. His positis statuitur :

1. *Mors meritoria et satisfactio Christi est infiniti pretii.* Certum. Quae enim Litterae s. et Patres de superabundanti merito Christi et vi crucis loquuntur, aliter non sunt vera. Infinitas haec e mente scotistarum est extrinseca, seu ex acceptatione Dei oritur. Secundum veriorem sententiam thomistarum tamen est intrinseca. Etenim meritum mensuratur secundum principium internum, quod ultimo est suppositum, cuius sunt actiones. Atqui suppositum Christi est infinitae dignitatis. Licet ergo actiones Christi a principio «quo» sint finiti valoris, a principio «quod» sunt infiniti (III 1, 2). — Nec obiciatur : Offensa peccato in Deum commissa propter dignitatem offensi communiter infinita habetur ; sed tunc satisfactio infiniti pretii offensam aequat duntaxat et non superat. Etenim offensa secundum quid (moraliter, terminative) est infinita ; at satisfactio Christi propter divinitatem Verbi est infinita simpliciter, physice et obiective ; ergo infinite offensae magnitudinem superat (III 48, 2).

2. Satisfactio vicaria Christi *est secundum rigorem iustitiae.* Est sententia communior inter theologos post Tridentinum. Dato enim voluisse Deum pro debito hominum satisfactionem vicariam accipere et misisse Filium suum unigenitum ad opus illud perficiendum, Christus satisfactionem praestitit *a) ad alterum;* licet enim ut Verbum sit ipse quoque acceptor satisfactionis, ut homo tamen satisfactionem solvens est moraliter alius ; persona Christi physice una est moraliter seu virtualiter gemina. *b) Ex bonis propriis;* actus enim satisfactorii a principio «quo» utpote principii creati sunt quidem proprii Deo, sed a principio «quod» sunt proprii *huius* hominis (qui simul est Deus). *c) Aliunde indebitis.* Licet enim actus Christi sint Deo debiti titulo creationis, tamen a principio «quod» dignitatem et pretium infinitum accipiunt, et ita pluribus simul titulis implendis pares sunt ; ergo etiam titulo satisfactionis vicariae. Ex quibus inferes notione satisfactionis vicariae secundum rigorem iustitiae caute utendum esse.

§ 62. Mysterium redemptionis et ratio.

Considerantur 1. indoles mystica, 2. gratuitas, 3. possibilitas, 4. convenientia redemptionis.

1. Mysterium. — THES. **Redemptio per satisfactionem vicariam Christi facta est mysterium sensu stricto.** *Certum.*

DEMONSTR. **Scr.** «*Praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum... ut notum faceret nobis sacramentum* (μυστήριον) *voluntatis suae secundum beneplacitum eius*» Eph 1 ; «*Potestis legentes intellegere prudentiam meam in mysterio Christi, quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis apostolis eius et prophetis in Spiritu*» Eph 3.

R. Redemptio radicatur in mysteriis ss. Trinitatis, incarnationis, peccati originalis, inscrutabilis misericordiae divinae. Quum enim factum redemptionis opus sit misericordiae divinae, neque ex peccati existentia, neque ex Dei essentia deduci potest. Modus vero utpote actio Verbi incarnati, plenus est et ipse mysteriis.

Hoc *historia religionum* quoque confirmatur. Non est veri nominis religio quae redemptionis desiderio et conaminibus careat ; at vix una ad radicem malorum sanandorum, ad peccatum attingit ; sed vel vano theosophismo, vel plane shamanismo, vel ethicismo, uti buddhistae, indulgent, vel fato se subdunt ; ut videre licet ex conspectu historico § 1, 3. Nulla sanationem per satisfactionem vicariam secundae personae Trinitatis incarnatae praestandam perstringit. — Historiographi dogmatum rationalistae multis efferunt ideas soteriologicas *mysteriorum hellenismi*, ubi deus saepe nomen σωτήρ-is sortitur, tamquam liberator et salvator colitur, purgatio vero multis lustrationibus et ceremoniis exercetur. At haec omnia nihil sunt aliud ac expressio quaedam satis confusa desiderii universalis liberationis, quae nullam veram analogiam soteriologiae cristianae praebent : σωτῆρες erant adiutores malorum particularium, purgationes vero mysteriorum externae et magicae nihil commune cum instauratione spirituali christiana habent ; cf. § 1, 3. Quin christiani ex istis paganorum mysteriis doctrinas suas fundamentales mutuaverint, uti sunt soteriologicae, facta historica obstant (cf. § 13, 1 ; 87, 1).

2. Gratuitas. — THES. **Redemptio non est necessaria, sed gratuita omnino.** *De fide.*

Secundum Trident. 6 cp 1 homines post peccatum protoparentis «usque adeo servi erant peccati (Rom 6) et sub potestate diaboli ac mortis constituti, ut non modo gentes per vim naturae, sed ne iudaei quidem per ipsam etiam litteram legis Moysis inde liberari aut surgere possent». Secundum Apostolum sumus «*iustificati gratis per gratiam ipsius, quae est per redemptionem, quae est in Christo Iesu*» Rom 3. Idem Patres sentiunt cum Aug. (in Ps 129, 12). Ratio theologica exponitur per partes.

1. *Ab homine:* Est simpliciter impossibile, ut homo propriis viribus sibi redemptionem ullo modo procuret. Etenim *a)* bonum per peccatum amissum est *supernaturale*, quod propriis viribus acquiri non potuit, ergo neque recuperari. «Si non potuisti facere te, quomodo potes reficere te?» (August. in Ps 45, 14). — *b)* Etiam si a statu supernaturali abstrahatur, homo *in peccato constitutus* propriis viribus non potest Deo reconciliari ; etenim Deus maiestate infinitus non tenetur quamcunque satisfactionem pro offensione ab homine oblatam acceptare. Praeterea peccatum mors est animae ; atqui mortuus proprio marte non potest resurgere. — *c)* Homo peccato intricatus probabiliter *ne cognitionem quidem distinctam* status sui miserrimi absque revelatione acquirere potest. Gentes liberationem a peccato anhelantes et tentantes notionem redemptionis nimis detorquebant. Falsa est ergo opinio recentiorum monistarum (Hartmann) et protestantium liberalium *autosoteriam* somniantium.

2. *A Deo:* Nulla est proprietas divina, quae redemptionem hominum exigat. Si enim sapientiae, iustitiae, bonitati divinae non repugnat permissio peccati originalis, tunc neque duratio istius peccati ; eo enim quod pars creaturarum rationalium finem suum secundarium (beatitudinem) non assequatur, finis primarius creationis (gloria Dei manifestanda) non potest frustrari. Si ergo *Athanasius*, *Anselmus* (Cur Deus II 4, 1 ss.) et quidam alii necessitatem redemptionis quoad Deum asserunt, probabiliter

haec est eorum mens : Deus simulatque permisit peccatum, ab aeterno etiam redemptionem libere decrevit ; conditione deinde in tempore posita, seu peccato facto, eo ipso, necessitate consequenti, non consequentis, decretum illud aeternum ad effectum perduxit.

COROLL. 1. *Decretum redemptionis est aeternum et absolutum.* Est aeternum : Redempti sumus sanguine Christi, «*praecogniti quidem ante constitutionem mundi, manifestati autem novissimis temporibus*» 1 Pet 1 ; Agnus apocalypticus «*occisus est ab origine mundi*» Ap 13. Est absolutum : Secundum Tridentinum unica causa efficiens nostrae salutis est misericors Deus. «*Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum*» 2 Cor 5 ; id quod efficitur iam ex eo, quod voluntas Dei est penitus absoluta et immutabilis (in 2 Cor lect. 5).

2. *Modus redemptionis Deo erat liber omnino.* Teste Scriptura et traditione Verbum secundum beneplacitum Patris est incarnatum. S. Thomas (III 1, 2) docet potuisse Deum remittere peccatum absque ulla satisfactione, vel accepta satisfactione alicuius creaturae rationalis insontis, vel multis etiam aliis modis nobis prorsus ignotis.

3. Possibilitas. — THES. *Redemptio per satisfactionem Verbi incarnati erat possibilis.* Certum.

Rationalistae, imprimis sociniani, Kant, Strausz, Mill Stuart, Ritschl, Hartmann thesim hanc multis impugnant. Eorum cavillationes autem in doctrinam protestantium orthodoxorum plerumque cadunt, qui putabant Christum obedientiā activa etiam nostra vice omnia Deo praestitisse, ita ut sola fides fiducialis elicienda nobis maneat ; obedientiā passiva vero omnia pertulisse, etiam iram et vindictam Dei, qui ei quasi capro emissario reatum peccati et paenae quoque imposuerit. His praemissis statuimus :

1. *Redemptio generatim est possibilis* 1) *a Deo,* cuius sanctitas et iustitia id unum tantum poscit, ut peccatori personali non remittatur, nisi paenitenti. 2) *Ab homine* recte monet Thomas : Talis est hominis conditio, quamdiu in hac mortali vita vivit, quod sicut nec confirmatur in bono immobiliter, ita nec immobiliter obstinatur in malo. Pertinet igitur hoc ad conditionem humanae naturae, ut ab infectione peccati possit purgari (Comp. 205).

DIFF. 1. Peccatum nullum vere remitti potest. *Factum* etenim *infectum reddi nequit* (Socinus, Kant). — RESP. In remissione non factum, i. e. peccatum actuale tollitur, sed peccatum habituale, seu perversa relatio hominis ad Deum corrigitur.

2. Si Deus quocunque modo peccatori reconciliatur, desinit ei indignari ; ergo *mutatur.* — RESP. ubi de immutabilitate Dei (§ 27, 1).

2. *Redemptio per satisfactionem vicariam Verbi incarnati est possibilis,* si possibilis est ipsa Verbi incarnatio et substitutio vicaria capitis pro corpore. Quod utrumque probatum est (§ 55 et 59, 2).

DIFF. 1. Dignitas et sanctitas ordinis moralis postulat, ut ipse peccator, non vero alius peccati sequelas sentiat ; et plane *repugnat, ut insons peccatoris loco habeatur* eiusque vice puniatur. Ita Kant. — RESP. Haec omnia doctrinae protestantium orthodoxorum supra commemoratae congruunt, minime autem veritati catholicae, e cuius mente Christus redemptor non subit peccatum hominum, neque terminus irae et vindictae divinae fit, sed caritate motus, non invitus et coactus, sed voluntate debitum paenae solvendae suscipit ; ita tamen, ut homines peccatores nullo pacto ab obligatione pro viribus satisfaciendi et paenitendi absolvantur. Doctrina catholica est harmonia perfecta auto- et heterosoteriae.

2. *Omnis paena finem medicinalem prosequatur oportet;* at paena a Christo soluta non est nisi vindicativa (Strausz). — RESP. Paenarum a Deo inflictarum finis princeps est, ut ordo moralis salvus sit, seu ut Deus sanctissimus eiusque maiestas agnoscatur et manifestetur (§ 33, 2). Quod perfectissime fit vita et potissimum morte Christi piaculari, quae simul motiva quam efficacissima conatibus moralibus hominum exhibet, seu est etiam medicina omnium validissima debilitatis moralis nostrae.

3. *Indignum est Deo ut cruciatibus hominis insontis delectetur* et quasi Moloch quidam nonnisi sanguine et morte placari videatur. — RESP. Mors Christi tripliciter potest considerari : *a)* ut dissolutio vitae ; et sic Deus non vult mortem Christi, quia Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum. *b)* Ut scelus iudaeorum ; et sic est abominabilis coram sanctissima facie Dei. *c)* Ut specimen excellentissimum obedientiae et devotionis erga Deum et caritatis erga homines ; et sic a Deo maximi habetur.

4. Convenientia. — THES. 1. *Conveniens fuit ut homo a Deo redimatur.* 1) *Ab homine: a)* Homo etiam post lapsum non erat penitus corruptus nec in malo obstinatus ; ergo capax erat qui in communionem Dei reciperetur, eo vel magis, quia appetitu naturali adhuc in Deum ferebatur (Gent. IV 55 ad 4). *b)* Peccaverat non adeo ex malitia quam debilitate, a satana et sensibus seductus. *c)* Si homines singuli post lapsum protoparentum absque voluntatis suae pravitate ut Dei inimici nascuntur, conveniens est, ut etiam absque voluntatis propriae operatione in libertatem filiorum restituantur.

2) *A Deo:* Convenit *sapientiae* divinae, quae non laetatur in perditione vivorum, ut semina vitae spiritualis, quae etiam post lapsum integra manebant in homine, salvaret et foveret. Convenit *bonitati* divinae, ut hominum ex debilitate magis quam ex malitia lapsorum misereretur. Denique *potentia* et gloria Dei clarius elucet in genere humano, ubi mors absorpta est in victoria, quam in massa damnata.

THES. 2. *Conveniens fuit ut homo per satisfactionem vicariam Verbi incarnati redimeretur* (III 1, 1. 2 ; Gent. IV 54.55 ; Comp. 207. 288). Sic enim clarissime et efficacissime manifestatur 1) *Dei maiestas et potentia.* Etenim *a)* per incarnationem Verbi ima summis intime iunguntur, Deus ipse creaturis se dat easque ad summam dignitatem elevat ; incarnatione «tabernaculum Dei cum hominibus» in aeternum statuitur. *b)* Per mortem vero Dei-hominis ostendit supremam suam maiestatem, qua nec Filio proprio pepercit, et nos docuit quomodo virtus infirmitate perficiatur 2 Cor 12. — 2) *Sapientia* divina singulari modo commendatur. Etenim iustitia Dei apparet eo, quod satisfactionem perfectam postulaverit, et misericordia eo, quod Redemptorem satisfacere valentem nobis donaverit. Christus vero ut Verbum incarnatum plenissime Deum placavit, quin nos a cooperatione absolverit, immo quam efficacissima motiva addidit ; et ita perfectam auto- et heterosoteriae concordiam statuit. — 3) *Sanctitas* Dei quam disertissimum sibi documentum paravit : *a)* Quam aegre ferat Deus peccatum, eo ostendit, quod ad illud delendum neque Filio unigenito pepercerit ; et quanti faciat gratiam, eo probavit, quod ad eam restituendam talem dederit Redemptorem. *b)* «Maxime propterea Christus advenit, ut cognosceret homo, quantum eum diligat Deus» (Aug. Cat. rud. 4).

QUAEST. *Advenissetne Christus etiam si peccatum originale non fuisset commissum?* Est haec **de motivo ultimo incarnationis** quaestio celeberrima, ad quam

Thomistae et multi molinistae negative respondent. Etenim Litterae d. nullam aliam incarnationis causam afferunt, nisi quod «*venit Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat*» Lc 19. Item Patres : «Si enim non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset» (Iren. V 14) ; «*Si homo non periisset, Filius hominis non venisset*» (Aug. Sermo 175). Inde cantus Ecclesiae in sabbato sancto : «*O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem*»! Ratione vero theologica ita arguitur : Dei decreta aeterna sunt determinata non in genere tantum, sed in individuo. Ergo Christus ab aeterno passibilis erat decretus ; ita enim reapse incarnatus est. Atqui passibilitatem Christus respectu satisfactionis pro peccato praestandae induit. Ergo ab aeterno decretum erat, ut Christus propter peccatum incarnaretur.

Ex opinione *scotistarum*, quibus accedunt Albertus M., Bonaventura, Rupertus Tuitiensis, Suarez, Franciscus Salesius etc. Verbum etiam tunc incarnatum esset, si peccatum originale non esset factum ; ad id enim est destinatus, ut sit corona universi, tabernaculum Dei cum hominibus. Deus idcirco tantum admisit peccatum, quia prius (logice) decreverat eius reparationem per Verbum incarnandum faciendam. Rationes : *a) Scriptura* non quid Deus prius intenderit, sed solum quid factum sit, enuntiat ; tamen indicat finem primarium incarnationis esse, ut sit caput universi, et ut regnum Dei constituat; praesertim Prov 8, Jn 6, Eph 1, Col 1, Heb 1. 2 etc. *b)* Ita sunt intellegendi etiam *Patres*, qui solum factum narrant, et quaestionem de motivo ultimo incarnationis nondum movent. *c)* Incarnatio est opus *pretii infinite* maioris, quam reparatio peccati. Atqui Dei sapientiam dedecet maius eligere propter minus ; eo vel minus, quia e sententia adversaria operis omnium praestantissimi i. e. incarnationis id esset occasio et motivum, quod est vilissimum et omnium maxime abominabile, i. e. peccatum.

DIACRISIS. Thomas iunior (in Lomb. III d. 1, 1, 3) adhuc utramque sententiam probabilem habuit ; Molina, Salmanticenses utramque coniungunt ; et recte monet *Bonaventura:* «Quis autem horum modorum dicendi verior sit, novit ille, qui pro nobis incarnari dignatus est. Quis etiam horum alteri praeponendus sit, difficile est videre, pro eo quod uterque modus catholicus est et a viris catholicis sustinetur» (in Lomb. III d. 1, 2 concl.). Sententiae thomistarum rationes externae (imprimis traditio), scotistarum internae favent. Si vero ad principia istarum scholarum animum attendimus, sententia scotista optime thomismo congruit.

THES. 3. *Conveniens fuit ut redemptio per Verbum incarnatum fieret.* Potuit enim etiam Pater vel Spiritus s. vel tota Trinitas incarnari et nos redimere. Convenit tamen ut *a)* imago Dei creata et per peccatum in pravum detorta per imaginem Dei increatam restitueretur ; *b)* ut adoptionem filiorum amissam per Filium Dei naturalem reciperemus ; *c)* ut ignorantia per peccatum invalescens a Sapientia aeterna personali depelleretur.

THES. 4. *Conveniens fuit ut Verbum divinum in plenitudine temporum ad redemptionem perficiendam incarnaretur.* Dicit enim Apostolus : «*Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret*» Gal 4. Quamvis Dei decreta aeterna mysterii velo sint tecta, iuvat tamen s. Thoma duce indicare

decreti illius causam probabilem: Conveniens fuit quam maxime, ut Christus qui *finis* est, promissionum serie absoluta adveniat; item ut *principium* vitae novae in exordio instaurationis appareat (III 1, 5—6).

Praesertim vero conveniens fuit, ut adventus Christi digne praepararetur. Quae quidem *praeparatio* erat et negativa et positiva. *Negative:* Deus «*dimisit omnes gentes ingredi vias suas*» (Act 14), ut experientia discerent, quam miserum sit longe esse a Deo, et ita in vehementius desiderium redemptoris excitarentur. Negativa ista praeparatio ethnicis potissimum obvenit; sed populus electus quoque suas in ea habebat partes; imprimis legislatio mosaica praeceptis suis plurimis et gravissimis «*paedagogus fuit in Christo*» Gal 3. *Positive* Deus fovit et nutrivit fidem veri Dei et spem redemptionis, idque maxime in populo electo per revelationes et prophetismum, in gentibus vero beneficiis naturalibus, et e mente apologetarum et Alexandrinorum per Λόγον σπερματικόν, ita ut fatente s. Augustino (Ep. 102, 12) gentes quoque salutem in Christo obtinere quirent (cf. § 14, 2).

§ 63. Christus propheta.

Statuuntur 1. factum, 2. perfectio muneris prophetici Christi.

1. Factum. — THES. **Christus est summus magister seu propheta hominum.** *De fide* ex ordinario magisterio Ecclesiae adversus rationalistas et protestantes liberales, qui Christum volunt quidem heroem religiosum, sed veritatis aeternae magistrum auctoritativum et inde etiam magisterium Ecclesiae respuunt.

DEMONSTR. **Scr.** Messias magister venturus a prophetis annuntiatur: «*Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies*» Deut 15; «*Testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus*» Is 55. «*Filii Sion, exultate et laetamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis doctorem iustitia*» Ioel 2. Christus hoc comprobat: «*Vos vocatis me Magister et Domine; et bene dicitis: sum etenim*» Jn 13. «*Nec vocemini magistri, quia magister vester unus est: Christus*» Mt 23. Et ita agit: propria auctoritate Legem veterem corrigit et interpretatur Mt 5; postulat ut omnes ipsum audiant alioqui perituri Lc 10; apostolos docendi auctoritate instruit Mt 28; et in omnibus se magistrum absolutae auctoritatis divinitus missum exhibet atque comprobat (§ 10-14). Talem Pater eum testatur: «*Hic est Filius meus dilectus . . . ipsum audite!*» Mt 3. Talem apostoli profitentur: «*Domine, ad quem ibimus; verba vitae aeternae habes*» Jn 6 (ita Petrus); et Paulus: «*Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio*» Heb 1. Et talem populus eum post multiplicationem panis agnoscit: «*Hic est vere propheta* (ὁ προφήτης), *qui venturus est in mundum*» Jn 6. **Tr.** Patres imprimis *Alexandrini Christum* ut summum sapientiae magistrum, evangelium eius ut philosophiam omnium nobilissimam celebrant, quin tamen totum redemptionis opus in doctrina ponant.

R. *Propheta* sensu pleno est praeco, qui Deo mittente et aspirante divina nuntiat; sensu eminenti est revelans arcana, praesertim futura

(cf. § 8). Quia Christus est sapientia aeterna in carne apparens, eo ipso ornatus est ea sapientia et doctrina, qua et se legatum divinum probet (§ 12, 1), et summo omnium magisterio fungi possit. Et re vera *opus redemptionis mancum esset*, si ignorantia ex peccato originali imminens non sanaretur. Ideo ipse enuntiat: «*Veritas liberabit vos*» Jn 8. «*Ego sum lux mundi; qui sequitur me, non ambulat in tenebris.*» Teste Apostolo «*eramus aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino*». Baptismus apud Apostolum et christianos priscos φωτισμός, illuminatio vocatur.

2. Perfectio. — THES. *Magisterium Christi est perfectissimum:*

1) *A magistro*, qui plenam scientiam habet rerum maxime sublimium: «*Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*» Jn 1; neque inferiorum expers est: «*Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato*» Heb 4. Deinde ut caput mysticum generis humani non docet modo, sed et lumen et vim verbis addit; est *lux illuminans omnem hominem* venientem in hunc mundum Jn 1; «*Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via et aperiret nobis Scripturas?*» ita discipuli castellum Emmaus petentes Lc 24.

2) *A materia* doctrina Christi est perfecta *a)* obiective et extensive, utpote omnes scientiae sapientiae ac thesauros complectens et omnibus saeculis futuris destinata: «*Caelum et terra transibnut, verba autem mea non transibunt*» Mt 24; Christus est ille paterfamilias, qui «*profert de thesauro suo nova et vetera*». Est perfecta *b)* intensive, eo quod omne desiderium veritatis et indigentias animae impleat (§ 13).

3) *A modo docendi a)* «*Stupebant* (turbae) *super doctrina eius; erat enim docens eos, quasi potestatem habens, et non sicut scribae eorum et pharisaei*» Mt 7; seu ex plenitudine sapientiae et toto animo docuit nihil nisi ad ipsam veritatem attendens *b)* Caepit «*facere et docere*» (Act 1): «*Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis*» Jn 13; omnibus enim vitae momentis nos Christus docuit; cathedra ipsi erat quum praesepe, tum patibulum crucis. *c) Mediis* docendi aptissimis usus est veritates subtiles rebus adiacentibus illustrando, vivam vocem litterae occidenti praeferendo, vivum et authenticum magisterium Ecclesiae instituendo (§ 79).

§ 64. Christus sacerdos.

Statuuntur 1. sacerdotium, 2. sacrificium Christi.

1. Sacerdotium. — THES. **Christus est unicus summus sacerdos Novi Testamenti.** *De fide.*

Adversantur *nestoriani* sacerdotem Christum alium atque Verbum aeternum esse asserentes; et *sociniani* caeleste sacerdotium Christi tantummodo admittentes. Docet *Trident.* 22 cp 1: Oportuit «sacerdotem alium (a sacerdotibus v. Legis) secundum ordinem Melchisedech surgere, d. n. I. Christum, qui posset omnes, quotquot sanctificandi erant, consummare et ad perfectum adducere».

DEMONSTR. **Scr.** In V. T. Christus venturus sacerdos fore praenuntiatur: «*Iuravit Dominus et non paenitebit eum: Tu es sacerdos in*

aeternum secundum ordinem Melchisedech» Ps 109. «*Iste asperget* (sanguine sacrificii sui) *gentes multas*» Is 52. Ipse Christus d. functiones sacerdotales sibi vindicat: animam suam dat redemptionem, sanguinem effundit pro hominum peccatis; orat pro populo eumque sanctificat: peccata remittendo, baptismum, Eucharistiam instituendo. Sacerdotium Christi Heb ex professo tractat. Omnium primo quid ad sacerdotis dignitatem requiratur, statuit: «*Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis; qui condolere possit iis, qui ignorant et errant . . . Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret*» Heb 5. Deinde multis ostendit sacerdotium illud utpote secundum ordinem Melchisedech constitutum longe praestare sacerdotio V. T.-i, eo praesertim, quod sit aeternum et actu unico consummetur.

Tr. Apud Patres apostolicos Christus sacerdos aeternus dicitur; iam Clem. R. 36, 1; Ign. Phil. 9, 1; Polyc. 12, 2 etc.; apologetae e doctrina Heb eius sacerdotium illustrant. Secundum *Tert.* (Marc. IV. 9) est «catholicus Patris sacerdos»; secundum *Cypr.* (Ep. 63) Christus est summus sacerdos, ceteri n. Legis sacerdotes sunt sacerdotes participative; cf. Aug. Civ. X 20. — **R.** *Sacerdos* est mediator legitima auctoritate ad peragenda sacra, praesertim ad verum sacrificium conferendum constitutus. Atqui Christus d. utpote unicus naturalis mediator Dei et hominum modo eminenti est minister legitime constitutus ad sacra facienda (§ 59, 2).

ADDIT. 1. *Sacerdotium Christi incipit momento conceptionis eius.* Etenim titulus, quo mediator constituitur ac sanctitate substantiali ad munus sacerdotale consecratur, est unio hypostatica. Ideo dicit Apostolus: «*Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fierit, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te*» Heb 5; neque aliud momentum assignari potest, quo sacerdotis munus assumpserit: non baptismus in Iordano, qui est iam exercitium sacerdotii (cf. Mt 3, 14); non ascensio, quando sacrificium iam consummatum erat.

2. *Sacerdotium Christi in aeternum durabit.* E vaticinio psalmistae Christus est «*sacerdos in aeternum*». Paulus dicit: «*Alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere; hic autem eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium*» Heb 7. Aeternum sacerdotium caeleste Christi d. non est continuatio formalis sacerdotii terreni (Thalhofer), quia sacrificium crucis iam oblatum et meritum redemptionis iam consummatum est; sed neque mere interpretativum sacerdotium (Vasquez). Sed Christus d. hinc quidem dignitatem sacerdotalem in aeternum prae se fert, illinc vero animum sacerdotalem *exercet*, tam effective, «*semper vivens ad interpellandum pro nobis*» Heb 7, quam affective, imprimis sacrificium corporis sui mystici eucharisticum procurando. Post iudicium vero manet et dignitas et affectus sacerdotalis, et probabiliter efficacia quoque nobis non satis nota in beatos; etenim «*lucerna caelestis Ierusalem est Agnus*» Ap 21.

2. Sacrificium. — THES. **Christus in ara crucis semetipsum verum sacrificium obtulit.** *De fide* adversus omnes rationalistas a nestorianis

et socinianis usque ad nostros. Iam *Ephesinum* anathematizat eum qui dixerit Christum pro se obtulisse semetipsum oblationem, et *Trid.* 22 cp 1 declarat: «semel seipsum in ara crucis morte intercedente Deo Patri obtulit».

DEMONSTR. **Scr.** In V. T. existebant veri nominis sacrificia, quae erant typi unici sacrificii n. Legis, quod ergo pariter est verum sacrificium. Christus d. identidem docet se propitiationem dari pro peccatis, corpus et sanguinem suum effundi pro peccatis (§ 60, 1). Dilucide rem proponit Paulus: Christus «*tradidit semetipsum oblationem* (προφοράν) *et hostiam* (θυσίαν = sacrificium cruentum) *Deo in odorem suavitatis*» Eph 5; «*Pascha* (= victima paschalis) *nostrum immolatus est Christus*» 1 Cor 5; *Deus «eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum* (= hostiam pro peccato) *fecit*» 2 Cor 5. Ex asse de re explicat Heb. Demonstrato Christum esse verum sacerdotem, subiungit: Omnis pontifex «*ad offerendum munera et hostias constituitur; unde necesse est et hunc habere aliquid quod offerat*». Quid? «*Christus assistens pontifex futurorum bonorum per amplius et perfectius tabernaculum non manu factum, i. e. non huius creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta aeterna redemptione inventa*» Heb 9. **Tr.** Testimonium Patrum satis apparet ex iis, quae de veritate redemptionis per mortem Christi piacularem docent (§ 60, 2).

R. *Sacrificium* liturgicum definitur: oblatio rei sensibilis per ministrum legitimum soli Deo facta ad supremam eius maiestatem protestandam et communionem perficiendam (cf. § 98, 1). Atqui mors Christi his veri sacrificii dotibus instructa est; adest minister legitimus: Christus mediator; res sensibilis: humanitas Christi; actio sacrifica interna: obedientia et plena sui-traditio ad Deum; eiusque manifestatio externa: oblatio Christi ad mortem eiusque executio; item finis: adoratio perfectissima maiestatis divinae et impetratio comunionis intimae cum Deo.

§ 65. Christus rex.

Statuuntur 1. factum; 2. regnum Christi in statu humilitatis, 3. in statu exaltationis.

1. Factum. — THES. **Christus sensu eximio est rex generis humani.** *De fide* ex symbolo: «*cuius regni non erit finis*»; et ordinario Ecclesiae magisterio, v. g. «*Tu rex gloriae Christe!*» ex Te Deum; institutio festi Christi regis (Pius XI. «Quas primum» 1925).

EXPLIC. Vere *rex* est, qui summa iurisdictionis potestate ad communitatem in bonum commune dirigendam utitur, seu potestatem legislativam, iudicialem, executivam exercet, quibus communiter potestas dominii adiungitur. Qui vere est rex, subditis bona temporalia communia procurat eosque efficaciter ab hostibus defendit.

DEMONSTR. **Scr.** Messiam venturum prophetae regem fore vaticinantur: «*Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius*» Is 9; «*Et dedit ei potestatem et honorem et regnum, et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient; potestas eius*

potestas aeterna, et regnum eius quod non corrumpetur» Dan 7. Angelus deinde Mariae nuntiavit : «*Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis*» Lc 1. Magi quaerebant «*qui natus est regem iudaeorum*» Mt 2. Ipse Dominus coram Pilato regem se confessus est Jn 18 ; et titulus cruci eius affixus clamabat : «*Hic est Iesus, rex iudaeorum*» Mt 27. Secundum Paulum «*oportet illum regnare, donec ponet omnes inimicos sub pedibus eius*» 1 Cor 15. Secundum Ioannem prout ei in visione apparuit, «*habet in vestimento et femore suo scriptum: rex regum et dominus dominantium*» Ap 19. **Tr.** Patrum quis fuerit sensus, iam vel ex eo colligitur, quod Christum Dominum (κύριος) nuncupare ipsis sicut et hagiographis familiarissimum erat. Deinde dignitatem regiam Christi vaticiniis e V. T.-o illustrare, item Christo applicare illud (interpolatum) psalmi 44 : «*regnavit a ligno Deus*» pergebant. Augustinus in Civitate Dei totus regimini Christi illustrando incumbit. **R.** Unio hypostatica *titulum ontologicum*, factum redemptionis titulum *moralem* Christo addit, ut summa rerum inter homines potiretur.

2. Dignitatem regiam Christus **in statu humilitatis** his exercuit :

1. *Fundavit regnum suum* idque longe alio modo, atque regibus huius terrae mos est. Magna charta regni huius est sermo montanus ; ius civile fides et baptismus ; ius privatum : «*Qui maior est vestrum, erit minister vester*» Mt 23. Regnum hoc post mortem propagavit, et persecutionibus ac humiliationibus immissis firmavit solidavitque. Regnum a Christo fundatum est Ecclesia (§ 78).

2. *Leges dedit* hominibus. Trident. (6 c. 21.) damnavit sententiam novatorum s. 16: «*Christum Iesum a Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant.*» Ipse enim dat mandata, quae si quis servet, vivet ; apostolis mandatum dedit, ut doceant homines servare omnia quae praeceperat eis M 28 ; cf M 5-7, ubi Christus auctoritative v. Legem interpretatur. Neque aliter Paulus libertatis christianae assertor sentit (1 Cor 9, 21 ; Gal 6, 2) ; *libertas christiana* ab ipso commendata est libertas non a lege Christi, sed a servitute legis mosaicae, a peccato et ab animo servili. Iam Didache viam geminam vitae et mortis exhibet ; «Christus viam vitae nobis monstravit, proponens legem a Patre acceptam». Ratione quoque colligitur Deum omnium dominum atque ordinis moralis auctorem, etiamsi naturam humanam induat, non posse exuere absolutam illam maiestatem et potestatem divinam, quae omnis potestatis legislativae est radix. — Consecutio potestatis legislativae est iudicialis, de qua in eschatologia et ecclesiologia § 79, 2 ; 114, 2.

3. Christus in statu humilitatis regimen eo imprimis exercuit, quod *propria experientia* miserias subditorum et indigentias comperit, ut *pastor bonus* et medicus tenerrimus indigentiis eorum subvenit, caritate amorem eorum sibi conciliavit, et hostium impetui se ipse obtulit. *Gloriam* suam regiam tamen non omnino latere voluit, immo prodigiis nativitatem et mortem comitantibus, miraculis in vita publica editis et transfiguratione dominum vitae, daemonum, naturae satis se comprobavit.

QUAEST. *Dominium Christi in res temporales.* — Quaestio haec medio aevo propter nexum cum potestate politica pontificis romani multum agitabatur (cf. theoriam duorum gladiorum). Statuimus cum Suaresio et Lugone contra Bellarminum : *Christus in res temporales omnes habet potestatem dominii directam in actu primo.* Est enim rex regum et

dominus dominantium, cui data est omnis potestas in caelo et in terra. Id ratione quoque efficitur: fundamentum talis potestatis atque dignitatis est persona, non natura ; atqui Christi persona utpote divina est omnium creator et rex. — *In actu secundo,* seu secundum exercitium Christus in vita humana potestate illa dominii plerumque *non utebatur.* Etenim recusavit regimen politicum a turbis ei oblatum ; homini roganti : «Dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem» respondit : «*Homo, quis me constituit iudicem aut divisorem super vos?*» Lc 12. Et coram Pilato confessus est : «*Regnum meum non est de hoc mundo*» Jn 18.

Certum est etiam ex evangeliis Christum et apostolos habuisse *peculium,* prout Ioannes XXII. recte constituit adversus spirituales extremos. ; nec ullas partes cum «communismo» habet.

3. In statu exaltationis Christus regiam potestatem eo caepit manifestare quod ad inferos descendit, e mortuis resurrexit et in caelum ascendit, ut ita in nomine eius omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum Phil 2.

THES. 1. **Christus post mortem cum anima ad inferos descendit.** *De fide.* Apostolicum inde a saeculo 4. (in Hispania, Gallia, Aquileia) habet : «*descendit ad inferos*»; item Athanasianum. Deinde damnata est Abaelardi propositio 18. animam Christi non per se, sed per potentiam tantum descendisse. Lateran. IV. docet : «*Descendit in anima, resurrexit in carne, ascenditque in utroque*».

DEMONSTR. **Scr.** «*Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, in quo et his, qui in carcere erant spiritibus veniens praedicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noe*» 1 Pet 3. Hoc loco ceterum satis difficili intellectu descensio explicite proponitur. «*Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terrae?*» Eph 4 ; item in nomine Iesu omne genu flectatur oportet, primum infernorum Phil 2. Ex his locis disertis intellegantur obscuriores : «*Ero mors tua o mors; morsus tuus inferne!*» Os 5 ; «*Non derelinques animam meam in inferno*» Ps 15 etc. Gratis ergo ab iis qui ex rationalistis huius temporis religionis historiam exercent, asseritur fidem descensionis ex babyloniorum vel graecorum vel aegyptiorum mythis esse mutuatam. **Tr.** Patrum testimonium est unanime a diebus Ignatii (Magn. 9, 2), Iustini (Dial. 72), Iren. (III 20, 4) et etiam in perantiquis apocryphis v. g. in odis Salomonis legitur. **R.** non factum confirmat, quod apriori statui non potest, sed plures ponit

QUAEST. 1. *Quis* descendit? — Descendit anima Christi hypostatice cum Verbo unita.

2. *Quo* descendit? — Inferni nomine accipi potest *a)* locus damnationis aeternae. Eo descendisse Christum secundum substantiam docuit Calvinus ; at est blasphemum ; *b)* purgatorium ; *c)* limbus puerorum. Non est probabile illa loca a Christo esse visitata ; nulla etenim ratio potest assignari ; nec hoc a revelatione indicatur ; *d)* limbus patrum, ubi nimirum iusti V. T.-i e sententia s. Augustini et latinorum, quae est communior, vel etiam iusti philosophorum (Socrates, Platon etc. secundum Alexandrinos et plerosque graecos) beatitudinem aeternam in Deo assequendam exspectabant.

3. *Quem in finem* descendit? — *a) Momentum christologicum descensus,* seu quid Christus sibi descensione aquisiverit : manifestare inferis opus redemptionis esse consummatum, mortem et infernum victum ; simulque ut cultum inferorum exciperet (III 52, 4). *b)* Momentum *soteriologicum,* seu quid hominibus acquisierit : fructus redemptionis iis applicare, qui redemptionis opere nondum peracto a caelo ingrediendo arcebantur, eisque caelum aperire.

THES. 2. **Christus post mortem die tertia resurrexit.** *De fide* ex omnibus ab initio symbolis. Est dogma fundamentale contra omnes rationalistas inde a sadducaeis. Demonstratur § 11, 3.

Momentum resurrectionis 1) *christologicum. a) Ontologice:* Christus iterum assumpsit et pro semper sibi univit, quod ex unione hypostatica suum erat, corpus (de cicatricibus III 54, 4) nimirum et animam. In hac materia quaeritur, quae sit *causa efficiens resurrectionis;* et dicendum est : Causa efficiens est ss. Trinitas in communi, per appropriationem Pater, qui in N. T. iterum per appropriationem simpliciter «Deus» dicitur ; inde frequens illa locutio apostoli : Deus Christum suscitavit. Quia ergo Verbum quoque est causa efficiens resurrectionis et insuper eius est terminus, Christus frequenter affirmat propria virtute se resurrexisse. — *b) Apologetice* resurrectio gloriosa tertia demum die post mortem facta clare manifestat Christum, qui in pugna cum mortis imperatore ad speciem occubuerat, victorem gloriosum extitisse. — *c) Ethice,* seu moraliter Christus illam gloriam externam corporis et animae accepit, quam morte sibi meruerat.

2) Momentum *soteriologicum : a)* Resurrectio Christi d. est causa exemplaris atque instrumentalis resurrectionis nostrae. Adest ratio etiam symbolica, quam Apostolus his indicat : «An ignoratis, quia *quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsis baptizati sumus?* Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem ; *ut quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus*» Rom 6. Ideo Ecclesia antiqua triplicem celebravit nativitatem Christi : ex Patre, ex Virgine, e sepulchro. — *b)* Resurrectione Christus opus redemptionis externe (non quoad meritum) quoque absolvit et fructus eius omnibus vocatis iam impendit : «Christus traditus est propter delicta nostra et resurrexit propter iustificationem nostram» Rom 4 (III 56, 1 ad 3 ; Comp. 236—8). Quam ob rem festum redemptionis ab Ecclesia non in parasceve sed die resurrectionis celebratur.

THES. 3. **Christus post resurrectionem cum corpore suo glorificato in caelos ascendit.** *De fide* ex omnibus symbolis.

DEMONSTR. **Scr.** Christus praedixerat : «*Nonne haec oportuit Christum pati et ita intrare in gloriam suam?*» Lc 24. Deinde narrantibus evangelistis quadragesimo die post resurrectionem videntibus illis in monte Olivarum elevatus est in caelum, et sedet a dextris Dei (Act 1 ; Mc 16) et iterum venturus est iudicare vivos et mortuos. **Tr.** Traditionis testimonium est unanime et nunquam obnubilatum ; ita iam Iren. I 10, 1 ; Tert. Prax 2 ; Praescr. 13 ; Orig. Pr. praef. 4. Festum ascensionis una cum resurrectione et pentecoste est ex antiquissimis Ecclesiae.

Momentum 1) christologicum: a) Christus per ascensionem gloriam externam corporis et animae occupavit eamque plenam atque aeternam, quam in statu humilitatis meruerat. Hoc symbolice eo manifestatur, quod elevatus est, seu ad eum gloriae locum nobis prorsus ignotum se retulit, ubi Deus beatis vitam aeternae gloriae paravit (III 58). Nota : *Causa efficiens* principalis ascensionis est ss. Trinitas (per appropriationem Pater), pro-

xime ipsum Verbum, quod propria virtute humanitatem suam elevavit; instrumentalis vero est anima Christi glorificata, quae virtute a Verbo accepta corpus suum dirigit quorsum placet. — *b)* Maiestatem illam et dignitatem super omnem creaturam suscepit, quam redemptionis opere meruerat. Hoc ita enuntiatur, quod *sedet ad dexteram Patris* utique non localiter, sed symbolice; sc. humanitas sua pro capacitate particeps maiestatis et dignitatis divinae est effecta, ita tamen ut dignitatis ordo divinus servetur: «*Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus*» 1 Cor 15.

2) Momentum *soteriologicum: a)* Christus exaltatus ut caput Ecclesiae et sacerdos in aeternum, «*factus in spiritum vivificantem*» (1 Cor 15) virtutem iugiter in membra sua influit, ita ut opus redemptionis obiective perfectum subiective quoque absolvatur. Primum factum huius muneris erat missio Spiritus s. die pentecostes. *b)* Alacriter exercet regimen super homines, non modo in fideles sed omnes omnino, ut omnes demum agnoscant Christi meritum et gloriam. Ultimus actus huius regiminis externi erit iudicium universale.

Caput 3. Mariologia.

Quaeritur 1. de Maria virgine Dei genitrice, 2. de Maria gratia plena, 3. de Maria matre gloriosa.

Tractatus de mariologia. J. J. *Bourassé:* Summa aurea de laudibus B. M. V. vol. 13 1866 ss.; L. *Schütz:* Summa Mariana 5 vol. 1903-21; — J. *Bover:* Sintesis organica de la Mariologia 1929; E. *Campana:* Maria nel dogma cattolico [3]1928; A. M. *Lépicier:* De B. M. V. matre Dei [5]1926; J. S. *Terrien:* La Mère de Dieu et la Mère des hommes 4 vol. [2]1900. — C. *Passaglia:* De immaculato Deiparae semper Virginis conceptu 3 vol. 1854; A. de *Roskovány:* B. V. M. in suo conceptu immaculata ex monumentis omnium saeculorum declarata vol. 13 1873-92; J. *Ernst:* Die leibliche Himmelfahrt Marias historisch nach ihrer Definierbarkeit beleuchtet 1921; F. X. *Godts:* Définibilité dogmatique de l'Assomption de la t. s. Vièrge 1924; J. *Bittremieux:* De mediatione universali B. M. V. 1926; L. *Leloir:* La médiation mariale dans la théologie contemporaine 1933. — A. *Schäfer:* Die Gottesmutter in der h. Schrift [2]1900; Th. *Livius:* Die allerseeligste Jungfrau bei den Vätern der ersten sechs Jahrhunderte 2 vol. 1901, 1907; Ph. *Friedrich:* Die Mariologie des h. Augustinus 1907; F. *Morgott:* Die Mariologie des h. Thomas 1878; C. *Balic:* J. Duns Scoti Theologiae Marianae elementa 1933.

§ 66. Maria virgo Dei genitrix.

Statuitur 1. Maria mater Dei, 2. Maria semper virgo.

1. Mater Dei. — THES. **Maria vere et proprie est mater Dei.** *De fide.*

Adversantur omnes qui inde ab ebionitis divinitatem Christi negant, et *nestoriani* qui Mariam Χριστότοκον tantum praedicari voluerunt. Contra eos Ephesinum c. 1 definivit: «*Si quis non confitetur Deum esse veraciter Emmanuel et propterea Dei genitricem* (θεότοκον) *sacram Virginem, a. s.*» Ita etiam Chalced. et Constantin. III addens: Mariam «vere et proprie» esse matrem Dei.

DEMONSTR. **Scr.** Litterae s. thesim non formaliter quidem, sed aequivalenter produnt: «*Ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen eius Emmanuel*» Is 7. Gabriel nuntiat Mariae: «*Ecce concipies in*

utero et paries filium . . . et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei» Lc 1. Evangelistae deinde Mariam simpliciter matrem Christi appellant; at quum Christum Deum doceant, implicite Mariam Deiparam asserunt. Si Christus d. Jn 2 eam «mulierem» appellat, forsitan indicare vult munus a Deo commissum multo pluris esse habendum, quam vincula carnis (cf. B. Bartmann: Christus ein Gegner des Marienkultes? 1909). **Tr.** Symbolum apostolicum simpliciter statuit: natum ex Maria virgine. Sed iam Patres apostolici diserte loquuntur. Ita *Ignatius* Eph. 7: «Deus noster Iesus Christus parturiebatur a Maria» (cf. Arist. Ap. 2, 6; Iust. I 22; Iren. III 16, 5; Tert. Carn. Chr. 17. 21 etc.). Medio saeculo 3. probabiliter Origene auctore *titulus Deiparae* invaluit, quem deinde Patres sollemnem habebant etiam ante Cyrillum Alex. Iam *Iulianus* apostata accusat christianos, quod non cessarent Mariam Deiparam appellare; et *Nyssenus* (Epist. 101) dicit: «Si quis sanctam Mariam Deiparam esse non credit, extra divinitatem est».

R. *Maternitas* ad naturam filii quidem refertur tamquam ad terminum incompletum; sed terminus completus est hypostasis filii. Quia ergo B. V. Maria Christo homini nascituro omnia praestitit, quae ex lege naturae a Deo statuta mulieres in filiis generandis adsolent, vere genuit Christum hominem, qui autem quoad hypostasim est vere Deus; ergo vere genuit Deum; non quasi divinam naturam genuerit, ut falso insimulantur nestoriani et rationalistae, sed quia homo quem vere genuit, non in se, sed solum in Verbo aeterno subsistentiam habet.

COROLL. 1. Propter veram B. V. Mariae maternitatem Christus vere genitus est in tempore a muliere, qui ab aeterno a Patre generatur; et inde *de Christo duas filiationes:* aeternam alteram, alteram temporalem asserere licet, *sed unum tantum filium.* Idem enim filius eademque persona Verbi est, quae ab aeterno relatione filiationis trinitariae fruitur, et tempore novam relationem filiationis humanae induit, quin desineret filius Patris aeternus et immutabilis manere. Etenim relatio filiationis temporalis a b. Maria Virgine tantum est realis, a Verbo utpote Deo est mere logica (cf. etiam § 56, 1).

2. **Matrem Dei esse est dignitas omnium maxima, quae personae creatae obtingere potest.** *Certum.* — DEMONSTR. **Scr.** Id iam salutatio angelica significat: «*Benedicta tu in mulieribus*»; item Elisabeth: «*Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?*» Lc 1. Et ipse B. Virgo: «*Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*». **Tr.** Patres (iam Orig. in Lc 6) omnes uno ore assentiuntur Ecclesiae canenti: «Exaltata est sancta Dei Genitrix super choros angelorum». **R.** Praestantissimum omnium operum Dei est incarnatio; atqui maternitas est conditio incarnationis perficiendae; ergo particeps fit dignitatis Verbi incarnati.

E mente scholasticorum *Maria quoad maternitatem infinitam habet dignitatem;* quod equidem non est impossibile, quum ad relationem et non ad qualitatem inhaerentem spectet (I 25, 6 ad 4). — Maria ex maternitate Christi *peculiarem necessitudinem eamque intimam cum ss. Trinitate* induit; Est enim mater Verbi, sponsa Spiritus s., filia Patris et totius Trinitatis θεόπαις, ut aiunt graeci. Inde efficitur, ut dignitas Deiparae non possit de condigno mereri (III 2, 1). Si ergo hymnus habet: «quem meruisti portare», meritum de congruo intellegatur oportet. Inepte tamen B. V. Maria cum quibusdam recentioribus complementum ss. Trinitatis diceretur. Nulla enim creatura, ne praestantissima quidem in eodem numero cum Divinitate haberi potest.

3. *Maternitas B. V. Mariam non physice* quidem *sanctificat*, ut voluit Ripalda ; recte enim monet Augustinus Virg. 3 : «Materna propinquitas nihil Mariae profuisset, nisi felicius Christum corde quam carne gestasset»; tamen maxime est conveniens, ut illa, quae genuit Unigenitum a Patre plenum gratiae et veritatis, prae omnibus aliis maiora privilegia gratiae receperit (III 27, 1). Quae gratiae privilegia ad tria apte revocantur : perpetua virginitas, immaculata sanctitas, glorificatio secundum corpus et animam.

2. Virginitas. — THES. **Beata Maria est virgo ante partum, in partu et post partum** ; *seu Christum nullo viro intercedente de Spiritu s. concepit, eumque illaesa virginitate peperit, nec postea virum cognovit. De fide.*

Adversantur Cerinthus, *ebionitae*, talmud totam thesim infitiantes ; *Helvidius* laicus, qui virginitatem ante partum, *Iovinianus* monachus et *Bonosus* episcopus, qui virginitatem in partu et post partum negabant ; item *antidicomarianitae*, secta arabica s. 6, *lollardi* s. 14. virginitatem in partu, *sociniani* et protestantes plerique virginitatem in partu et post partum negantes. Iam Apostolicum ponit : «*conceptum de Spiritu s., natum ex Maria Virgine*». Constant. II Mariam semper virginem, ἀειπάρθενος, appellat. Constant. III: «*Mariae illibata virginitas, quae ante partum, in partu et post partum est interminabilis*».

DEMONSTR. 1. *Maria virgo* **ante partum.** — **Scr.** Is 7 dicit : «*Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet et pariet* (hebr.: הִרָה וִילֶדֶת = concipiens et pariens) *filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel*». Locus iste etsi a iudaeis vix Messiae sit applicatus, ex interpretatione authentica evangelistarum (Mt 1, 18 ss.) certe est messianus, et praenuntiat Messiae conceptionem supernaturalem : *a)* Virgo (hebr. הָעַלְמָה) potest virgo intacta accipi ; *b)* debet ita intellegi ; datur enim in signum ; partus autem communis non est signum. Confirmatur eo, quod Sept. verbum illud hebraeum per παρθένος reddit. Ceterum V. T. Messiae nunquam patrem terrenum tribuit. De conceptu Christi narrant evangelistae : Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Nazareth «*ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph . . . et nomen virginis Maria*». Post annuntiationem «*dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens angelus dixit ei: Spiritus s. superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*» Lc 1. «*Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu s.*» Mt 1. Non obstant *genealogiae* Mt 1 et Lc 3, quae Ioseph non habent patrem naturalem Christi. *Lectio Syri Sinaitici*, quae quibusdam catholicis quoque placet : «Iacob genuit Ioseph ; Ioseph . . . genuit Iesum» si non est «dittografia», generationem legalem prae oculis habet, et in eodem censu est habenda atque si Ioseph quandoque simpliciter pater Iesu dicatur.

Tr. Si paucissimi haeretici ante commemorati excipiantur, omnes Mariam virginem esse testantur. Iam *Ignatius* (Smyrn. 1) fatetur : «ex virgine natus» ; *Tert.* (Carn. Chr. 18) «Sicut nondum natus ex virgine Patrem Deum habere potuit sine homine matre, aeque cum de virgine nasceretur, potuit matrem habere hominem sine homine patre». Ulteriores

saepe ad conceptionem virginalem referunt illud prophetae: «*Creavit Deus novum super terram: circumdabit femina virum*» Jer 31.

R. *Non potest a priori demonstrari* Verbum modo virginali incarnari debuisse; solum enim peccatum per se incarnationi repugnat. At tamen quam *maxime decuit*, ut *a) Patri aeterno*, a quo omnis paternitas in caelo et in terra nominatur, nemo in paternitate Verbi adnumeraretur; *b)* ut qui *modo virginali in sinu Patris* aeterni conceptus est, eodem modo in sinu matris conciperetur; *c)* ut *secundus Adam* ad peccatum antiquum auferendum missus nullo modo illam primi Adam hereditatem contraheret; neque modo minus digno originem duceret, quam primus Adam e limo virgineo factus; *d)* ut qui dedit potestatem hominibus *filios Dei* fieri, filios inquam, qui non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, et ipse hoc modo nasceretur (III 28, 19; Gent. IV 45; Compendium 229).

DIFF. Ex opinione rationalistarum recentiorum doctrina conceptionis virginalis non ad historiam sed ad fidem priscam christianam pertinet. Etenim genealogiae ortum communem Christi indicant; Marcus, Ioannes et Paulus non norunt conceptionem virginalem, et mythologiae gentium multa similia exhibent. — RESP. *a)* Parallela mythologica non sunt ad rem; etenim *α)* semper principium quoddam paternum indicant; ardor vero libidinis quem plerumque spirant, a casto mysterio conceptus virginalis longissime distat; *β)* mythologiae ethnicorum nullam efficaciam in narrationes evangelistarum exercebant, utpote quae hebraismis scatentes fontes indigenas clament. *b)* Silentium Marci et Ioannis veritati ab aliis narratae non repugnat; Paulus semel rem perstringit: «Misit Deus Filium suum, factum ex muliere» Gal 4. *c)* Neque genealogiae obsunt; etenim qui eas texunt, Matthaeus et Lucas conceptionem virginalem explicite ac diserte narrant.

COROLL. Conceptio virginalis Christi *causam efficientem* habet Deum, per appropriationem Spiritum s., qui tamen non generationis paternae humanae vicem gerit, sed actione creatrici ea quae alioqui patris humani sunt, praestat; omnis enim relatio Dei ad b. Mariam V. est relatio Creatoris ad creaturam.

ADDIT. *S. Ioseph* vere est maritus B. V. Mariae, licet ab evangelistis plerumque sponsus dicatur. Matrimonium enim consensus facit, non copula (III 29, 2; 28, 4). Voluit autem Deus, ut Christus *in matrimonio*, quamvis non ex matrimonio nasceretur, ut infans materque eius tutorem haberet et physicum et socialem, et ut mysterium incarnationis a praecoce manifestatione nec non ab infestationibus nefariis defenderetur. Propter hanc praecellentem dignitatem, qua s. Ioseph *pater Christi* est (utique legalis tantum), et quia «erat vir iustus», s. Ioseph merito cultu eximio (protoduliae) honoratur et summus Patronus familiarum christianarum atque Ecclesiae habetur.

2. *Maria virgo* **in partu.** — **Scr.** Partum virginalem fors iam Is 7 gemino participio: virgo «*concipiens et pariens*» significat. Item probabiliter Luc 2 *partum Mariae narrans* indicat: «Nulla ibi obstetrix, nulla muliercularum sedulitas intercessit; pannis inquit involvit infantem et reclinavit in praesepio» (Hieron. Helvid. 4). Non obstat, quod Maria «*postquam impleti sunt dies purgationis eius, secundum legem Moysis eum in templum tulit*» Lc 2. Ibi enim evangelista quid de lege faciendum erat, non vero quid physiologice factum sit, narrat. **Tr.** Testse antiquissimi

sunt quaedam apocrypha : Odae Salomonis, Protoevangelium Iacobi, Ascensio Isaiae ; sed viri ecclesiastici quoque diserte rem testantur. Ita *Iren.* (IV 33) : «Filius Dei, filius hominis, purus pure puram aperiens vulvam». Patres (Ambr. Inst. virg. VIII 52 ; Aug. Ench. 10. 34 ; serm. 184, 1 etc.) deinde ad Mariam V. referre defectantur illud prophetae : «*Porta haec clausa erit; non aperietur, et vir non transibit per eam; quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam*» Ez 44.

R. Convenit quam maxime, ut *a)* qui *ex sinu Patris* aeterni incorrupto generatus est, neque matris sinum violaret ; immo maxime fuit inconveniens, ut qui ad mundum salvandum venerat, sanctissimam matrem iam primo ingressu in mundum integritate spoliaret et non magis salvam incolumemque servaret. *b)* Maria *typum* gerit *Ecclesiae*, quae «quotidie parit membra sua et virgo est» (August.). *c)* Christus super mari deambulando, e sepulchro signato resurgendo, ianuis clausis apparendo satis indicavit se non teneri communibus *legibus naturae;* nihil ergo mirum, si iam primo ingressu in mundum leges illas superaverit.

3. *Maria virgo* **post partum.** — **Scr.** Litteris s. satis indicatur : Ex quaestione Mariae ad angelum «*Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*» L 1, Patres recte inferunt in votis fuisse B. V. Mariae matrimonium nunquam consummare, immo eam virginitatem perpetuam vovisse. Christus d. in cruce matrem suam Ioanni commendat, quod non potest intellegi, si Maria alios quoque habuisset filios. Qui etenim in s. Scriptura *fratres et sorores Christi* d. dicuntur, (Iacobus, Ioseph, Simeon, Iudas et fors Iesus Iustus Mt 13 ; Mc 6 ; Gal 1 ; Col 1) nunquam filii vel filiae Mariae nuncupantur, et probabiliter sunt (e sententia Hegesippi) liberi Cleophae seu Alphaei et Mariae cuiusdam, sororis vel potius consobrinae B. V. Mariae. Neque neglegendum est, quod evangelistae indicant, eos fuisse maiores natu quam Christus. **Tr.** Patrum mens eo manifestatur, quod adversus Helvidium et antidicomarianitas monographiis virginitatem perpetuam Mariae vindicarent, uti Hieronymus, Epiphanius, Ambrosius.

R. Non potest a priori demonstrari indignum prorsus esse Verbo incarnato fratres vel sorores secundum carnem habuisse. Attamen maxime decuit ut Filius Patris unigenitus etiam matris maneat filius unigenitus. Deinde dignitati Deiparae eximio modo consulitur, si tota eius maternitas Filio Dei innitatur.

DIFF. Evangelia quandoque ita loquuntur, quasi Maria commercium maritale cum Ioseph habuisset. — RESP. Si evangelista dicit : «*Antequam convenirent, inventa est in utero habens*» Mt 1, non sequitur quod postea convenerint, sed Scriptura quid factum non sit ostendit ; veluti si dixerim : Antequam in portu pranderem, ad Africam navigavi ; Helvidius antequam paenitentiam ageret, morte praeventus est (Hieron.). Item : «*non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*» Mt 1 in eum sensum accipiendum est atque illud Psalmistae : «Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum» ; ex quo sc. stolide colligeretur post inimicorum subiectionem cessare regnum caeleste Christi d. Quod autem ad «primogenitum» attinet, mos est s. Scripturarum, ut primogenitum non eum vocent, quem fratres sequuntur, sed eum, qui primus natus est.

§ 67. Maria gratia plena.

Statuuntur 1. immaculata conceptio, 2. immunitas a peccato et fomite, 3. plenitudo gratiae B. V. Mariae.

1. Immaculata conceptio. — THES. **Maria Virgo sine peccato originali concepta est.** *De fide.* Bulla dogmatica «Ineffabilis Deus» Pii IX. a. 1854 edita decernit: «*Definimus doctrinam quae tenet B. Virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam*».

EXPLIC. 1. Agitur *de conceptione passiva* B. Mariae, et nihil de activa, seu de actu generandi parentum B. Virginis edicitur. — 2. Maria immunis est *a primo instanti* suae conceptionis, seu ex eo instanti, ubi anima eius semini concepto infundebatur. — 3. Asseritur *immunitas* ab omni peccati originalis labe, ergo primarie et explicite immunitas a defectu peccabili gratiae sanctificantis, et concomitanter atque implicite immunitas a concupiscentia, quae est elementum quasi-materiale peccati originalis. — 4. Est speciale *privilegium* nulli ex posteris Adae praeter B. Virginem obveniens. — 5. Maria incolumis est servata *intuitu meritorum Christi.* Seu Maria ut Adae filia et ipsa contraxerat *debitum* incurrendi peccatum originale, saltem *remotum,* ea parte nimirum, quatenus Adam patrem physicum habuit; ex multorum sententia etiam *proximum:* Adam patrem habens etiam moralem, in cuius praevaricatione etiam ipsa continebatur, sicut et nos. Reapse tamen non contraxit ipsum peccatum, a quo ex speciali privilegio propter Christi merita praeservata est; seu etiam ipsa redemptione existit libera a peccato originis, redemptione tamen praevia: *praeredemptione.* — 6. Est doctrina *revelata,* seu fontibus fidei saltem implicite formaliter contineatur oportet, non ut mera conclusio theologica.

DEMONSTR. **Scr.** 1. Protoevangelium: «*Inimicitias ponam inter te,* dicit Dominus serpenti, *et mulierem, et semen tuum et semen illius; ipsa* (hebr.: הוא = ipsum sc. semen) *conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius* (hebr. conteres calcaneum eius)» Gen 3. Ponamus locum hunc esse indirecte messianum. Tunc ad litteram enuntiat inimicitias inter semen mulieris seu homines quosdam, et inter semen diaboli seu homines atque angelos perversos; et victoriam seminis mulieris praedicit. Quod si contra lucem evangeliorum diligentius inspiciatur, apparet victoriam plenam protoevangelio praenuntiatam a Christo esse latam ex diabolo: «*In hoc apparuit Filius hominis, ut dissolvat opera diaboli*» 1 Jn 3; «*Nunc iudicium est mundi; nunc princeps huius mundi eicietur foras*» Jn 12. At si semen mulieris oppugnans satanam intelligendum est individuum determinatum, tunc in promptu est etiam mulierem quandam individuam satanae victori, Christo speciali modo coniunctam accipi; quae iterum ex evangeliorum lumine non est nisi B. V. Maria; ad quam ergo etiam inimicitiae perfectae contra diabolum et victoria ex eo ferenda extendantur oportet. His autem plena illius mulieris immunitas a peccato quovis, ab originali potissimum asseritur. Omni enim

peccato diabolus victoriam consequitur, et peccator non inimicitias, sed amicitiam cum satana, peccati patre init.

2. Salutatio angelica : «*Ave gratia plena* (κεχαριτομένη), *benedicta tu in mulieribus*» (hebraismus : summe, magis quam ceterae benedicta) Lc 1. Plenitudo gratiae, quae ab angelo imprimis respectu maternitatis seu muneris praedicatur, tunc tantum ad verum perducitur, si nullo modo ne quoad tempus quidem restringatur ; si enim fuisset tempus vel brevissimum, quo Maria in peccato erat, iam non esset vere plena gratia, nec magis benedicta, quam ceterae mulieres ; non enim superaret Evam sine peccato originali procreatam.

3. Accedunt loci alii minus diserti, rationem typicam vel mysticam prae se ferentes : Elogia V. T.-i de Sapientia aeterna elata caute in b. Virginem quoque referri possunt ; deinde Cant 4, 5 : «*Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te*»: «*amica mea, columba mea, immaculata mea!*» Item in b. Virginem conferri potest visio Ap 12 de muliere amicta sole, sub cuius pedibus luna, symbolum inconstantiae et peccabilitatis conspicitur, cuius soboles vincit draconem.

Tr. 1. Patres iam perantiqui *parallelismum ponunt inter Evam et Mariam*, utramque virginem et sanctam ab initio : Eva «inobediens facta, et sibi et universo generi humano causa facta est mortis ; sic et Maria . . . obediens et sibi et universo generi humano causa facta est salutis» Iren. III 22, 4 (cf. Iust. Dial. 100 ; Aug. Agon. chr. 24). Quomodo autem causa salutis extitisset aliis, si ipsa aliquando in morte fuisset?

2. Mariam intime cum *Christo coniungunt et typis* multis eius sanctitatem inviolatam enuntiant : est arca foederis incorrupta (Hippolyt.), terra illibata, ex qua formatus est Adam secundus ; turris David inexpugnabilis, hortus conclusus Salomonis, vellus Gedeon rorem suscipiens.

3. *Summis elogiis* laudes Mariae eiusque sanctitatem celebrant ; est sanctissima, intemerata, illibata, ἄχραντος, ἄμωμος, ἀπειρόκακος. *Ephrem* (Carm. Nisib. 27) explicite dicit : «Non enim in te Domine, labes est, nec ulla in matre tua est macula». Potissimum *Augustinus:* Omnes nos peccatores esse confiteamur oportet, «excepta s. Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus quum de peccatis agitur, habere volo quaestionem» (Nat. et gr. 36, 42). «Non transcribimus diabolo Mariam conditione nascendi, sed ideo, quia ipsa conditio solvitur gratiā renascendi» (Iul. imperf. IV 122). Similiter loquitur Ambrosius. His omnibus autem conceptio immaculata saltem implicite asseritur.

4. Dogma formaliter enucleatum est *cum festo conceptionis Mariae. a)* Quod festum a graecis inde a s. 8. ineunte celebratum pro obiecto habebat quidem conceptionem miraculosam Mariae ex Anna sterili, sed in praeconiis festivis sanctificatio Mariae in utero matris facta multis laudibus effertur. — *b)* Festum inde ad partes graecas Italiae, Neapolim, Ravennam, translatum c. a. 1000 in Normandia, Anglia et Hibernia quoque propagabatur, ubi theologi quidam Angli cca a. 1120 *(Eadmer:* De conceptione Mariae et *Osbert:* Epistula ad Anselmum) primi explicite docent, propter sanctitatem infinitam Christi eius matrem quoque a primo instanti esse sanctam omnino, et hanc recte sanctitatem originalem esse celebrandam in festo conceptionis. — *c)* Quum deinde a. 1140 canonici Lug-

dunenses quoque festum inducere vellent, *S. Bernardus* Ep. 174 restitit docendo conceptum immaculatum Mariae non posse celebrari. Etenim B. V. Maria sanctificata fuit utique antequam nasceretur, sicut etiam Ieremias et Ioannes praecursor Domini, sed non ante conceptum, tunc enim nondum extitit ; sed neque in conceptu, qui absque libidine non fit, nec ideo inter amplexus maritales sanctitas se immiscere potest ; solus Christus est sanctus in conceptu, quia et conceptus a Spiritu Sancto. Bernardo adstipulantur *scholastici magni s. 13.*, Halensis, Bonaventura, Albertus, Thomas (III 27, 2; 3, 7; Quodl. 6, 7), diligentius iam distinguentes : Maria ante animationem non potuit sanctificari, quum anima sit sedes sanctitatis ; num in animatione, referente s. Thoma dubitatur ; multis probabile videtur ; probabilius tamen sanctificata est brevi post animationem. Alioqui omnes hi magni theologi talia asserunt principia, ex quibus immaculatus conceptus concludi potest ; ipsi vero conclusionem illam declinabant, quia universalitati peccati originalis ac universali necessitati redemptionis repugnare videbatur. — *d)* Quo modo cum his veritatibus componendus sit conceptus immaculatus, *Duns Scotus* primus post magistrum Guilelmum Guarensem ostendit. Ex eius mente Maria V. secundum ordinem naturae erat filia Adae ac proinde debito peccati originalis obnoxia et ipsa ; secundum ordinem temporis autem prius erat filia adoptionis (θεόπαις) atque ideo propter merita Christi, quae ipsam quasi praeveniebant, liberata est a peccato originali, cuius debitum et ipsa contraxerat. «Alii post casum erecti sunt, Maria V. quasi in ipso casu sustenta est, ne rueret; sicut exemplum ponitur de duobus cadentibus in luto»: praeredemptio, redemptio anticipata. Postquam possibilitatem dogmaticam conceptionis immaculatae ita ostenderat, factum ipsum probabile posuit ex illo Eadmeri principio : potuit (sc. Deus) ; decuit (Mariam) ; ergo fecit. — *e)* Exinde franciscani conceptum immaculatum asserere pergebant, acriter contradicentibus dominicanis plerisque (exceptis Ambrosio Catharino, Ioanne a s. Thoma, Natali Alexandro). Acclamabant theologi e societate Iesu et aliis congregationibus nuper ortis, ita ut Petrus Canisius iam referat : «qui secus modo sentiunt, eorum sane rarus est numerus».

Interim *magisterium authenticum* Ecclesiae quoque alacriter doctrinae partes istius capiebat: Concilium Basileense (1439) tunc utique iam schismaticum doctrinam definiverat ; Tridentinum s. 5. declaravit «*non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem;* sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti papae IV.» ; qui sc. festum indulgentiis ditaverat (1476), quod deinde Pius V. (1568) pro universa Ecclesia praescripsit et Clemens XI. festis fori adiunxit (1708). Paulus V. (1616) publicam defensionem, Gregorius XV. (1622) etiam privatam (dominicanis exceptis) thesis oppositae prohibuit, et Pius IX. 1854 interrogatis episcopis totius orbis doctrinam ex cathedra definivit.

R. *Praeredemptio* per se etiam pro toto genere humano possibilis fuit. Conveniens autem fuit quam maxime pro B. V. Maria : *a)* «*Gloria filiorum patres* (et matres) *eorum*» Prov 17 ; decuit ergo, ut Christus virtutem suae redemptionis eximio atque speciali modo in matrem effunderet. *b)* Maria est *limus*, ex quo secundus Adam formatus est ; decuit autem, ut ille limus puritate eum adaequaret, ex quo primus Adam erat sumptus. *c)* Decuit, ut *secunda Eva* a prima non superaretur sanctitate et puritate ; atqui prima Eva absque originis peccato erat constituta. *d)* Maria est *regina caelorum*, quorum Christus est rex. Iam vero docente Ulpiano «princeps legibus subditus non est ; augusta vero licet sit subdita, princeps tamen eadem privilegia illi concedit, quae ipse habet».

2. Immunitas. — THES. 1. **Maria Virgo immunis fuit ab omni peccato tam gravi quam levi personali.** *Veritas catholica.* Trident. enim 6 c. 23 docet: «*Si quis hominem semel iustificatum dixerit . . . posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de b. Virgine tenet Ecclesia, a. s.*»

DEMONSTR. **Scr.** Thesis implicite continetur *protoevangelio*, quo omnis communicatio Mariae cum diabolo peccati auctore excluditur. Peccatum personale etiam plenitudini gratiae ab angelo B. Mariae Virgini annuntiatae repugnat.

Tr. Patres non modo summis encomiis sanctitatem Mariae celebrant, sed cum Augustino nullum sermonem de Maria habere volunt, ubi de peccato agitur. Quae Basilius, Chrysostomus et quidam alii *de imperfectionibus* b. Virginis, veluti de importunitate vel dominandi libidine in nuptiis Canae exhibita, vel plane de dubii gladio animam eius transeunti afferunt, monente Petavio praepostere sunt dicta et probabiliter ex idea minus laudabili de imperfectiore indole morali mulierum sunt enata. **R.** Decuit «*causam salutis nostrae*» (Iren.), ut ipsa plenius de salutis fontibus hauserit; et convenit dignitati matris Filii Dei et filiae ss. Trinitatis, ut templum sit Spiritus s. nulla peccati labe faedatum.

THES. 2. **Maria Virgo immunis fuit a concupiscentia et actuali et habituali.** *Certum.* Est consecutio conceptus immaculati. In praesenti enim salutis ordine concupiscentia est sequela peccati originalis. Implicite ergo protoevangelio continetur et enuntiatur bulla Ineffabilis Deus, ubi b. Virgo ab omni peccati originalis labe immunis praeservata dicitur; namque ad labem peccati originalis etiam concupiscentia pertinet, quippe quae ex peccato sit et ad peccatum inclinet.

QUAEST. 1. Quoad *modum* huius immunitatis antiquiores docent fomitem iam in prima sanctificatione Mariae ligatum seu consopitum, in conceptione Christi deinde extinctum esse. Recentiores tamen probabilius tenent fuisse iam in primo instanti suae existentiae extinctum; etenim titulus fomitis, peccatum originale iam tunc deerat.

2. Immunitas plena b. Virginis ab omni omnino peccato *pro fundamento* impeccabilitatem quandam postulat. Haec *Mariae impeccabilitas* non est eiusdem naturae ac impeccabilitas Christi, quae in unione hypostatica radices fixit, ita ut absolute et physice excludatur omnis peccandi possibilitas. Mariae quum persona creata sit, possibilitas deficiendi in abstracto manet, quae si reapse nunquam in actum deducitur, causa est ordinatio Dei positiva, quae dignitatem matris Dei respicit. Est ergo species quaedam confirmationis in gratia, seu non impeccabilitas physica, sicut Christi, sed moralis tantum.

3. Plenitudo gratiae. — THES. **Maria est gratia plena.** *De fide* ex ordinario magisterio Ecclesiae, item ex evidenti doctrina s. Scripturae; cf. salutationem angelicam.

Theologice ex conceptu immaculato efficitur, ut Maria a primo instanti originis suae gratia sanctificanti frueretur; etenim peccatum originale non arcetur nisi gratia sanctificanti. Plenitudo gratiae vero conicitur ex dignitate Mariae; etsi enim b. Virgo maternitate divina non physice et quasi substantialiter sanctificetur (§ 66, 1), tamen ex Dei

sapientia colligitur, ut quam ad munus omnium dignissimum vocaverat, eam etiam dotibus ad illud rite obeundum convenientibus quam amplissimis instrueret, et extensive et intensive :

Extensive Maria gratia sanctificanti et eius pleno comitatu utebatur ; ergo *virtutibus* quoque enituit, in quibus a s. Litteris maxime commendantur eius fides, obedientia, humilitas, castitas, devotio, zelus Spiritus Sancti. *Charismatis* deinde, quae a Deo ulli unquam sanctorum collata cernuntur, nec statui vocationive Mariae repugnant, ipsa quoque a Deo ornata est. S. Thomas sapientiam, prophetiae spiritum et donum miraculorum ei maxime vindicat. Fundamento solido tamen caret quorundam recentiorum opinio Mariam etiam in somno meruisse, vel scientiam infusam omnium mysteriorum vel plane visionem beatificam habuisse ; laudatur enim in evangeliis eius fides ; at vero fides visioni opponitur.

Intensive: plenitudo gratiae semper ad mensuram illius personae determinatur, de qua asseritur. Quum B. V. Maria dignitate omnes personas creatas superet, plenitudo gratiae quoque ipsi propria *omnes creaturarum gratias excedit* certo distributive, seu gratia Mariae maior est quam gratia cuivis alii creaturae collata ; secundum quosdam (Suarez, Liguori) etiam collective, seu Maria plus gratiae habet quam omnes homines et angeli simul. Gratia Mariae tamen non est infinita dicenda, nisi secundum quid et analogice ; eo sc. sensu, quod in genere maternitatis divinae est summa, nec in eodem genere superari potest. — Quae gratiae plenitudo non obstat quominus Maria usque ad finem vitae in gratia creverit. *Augebatur* gratia b. Virginis et opere operantis, actibus sc. meritoriis, et opere operato, imprimis conceptione Verbi, probabiliter etiam sacramentis : baptismi, confirmationis, Eucharistiae. Docente s. Thoma (III 27, 5) tria sunt stadia gratiae augendae in b. Virgine : conceptio sua, conceptus Filii, glorificatio.

§ 68. Maria mater gloriosa.

Statuitur glorificatio Mariae 1. quoad corpus, 2. quoad animam.

1. Quoad corpus. — THES. 1. *Maria mortua est.* Certum.

Historice de tempore, circumstantiis, loco exitus b. Virginis non adeo constat. Epiphanius, qui primus in hanc rem diligentius inquisivit, dicit : «Sive igitur mortua sit, nescimus, sive sepulta sit» (Haer. 78). Ex immaculato conceptu autem effici videtur eam non fuisse morti obnoxiam, utpote quae mortis semen non susceperit. Nihilominus certo mortua est. Id suadetur 1) *ratione theologica:* mors enim est lex universalis status praesentis, ita ut eam etiam Christus d. subiverit ; non est ergo, cur mater eius excipiatur. Eo vel minus, quia morte Mariae ad oculos quasi ostenditur et ipsam contraxisse debitum incurrendi Adae peccatum, cuius stipendium, mortem nimirum et ipsa solverit. 2) *Ratione historica:* Dormitio seu transitus, κοίμησις b. Mariae est festum Marianum omnium antiquissimum. In Ecclesia semper communis fuit persuasio Mariam mortuam esse, quae etiam secreta festi Assumptionis exprimitur : «quam etsi pro conditione carnis migrasse cognoscimus».

Non obstat veritas conceptionis immaculatae. Si enim immunitas a peccato originali in baptisatis non est obex mortis, neque Christo d. causa fuit non moriendi, idem de b. Virgine erit dicendum. Etenim mors in se non est peccaminosum quid, sed est consecutio et paena peccati tantum.

THES. 2. *Maria post mortem non est corruptioni data, sed* **est quoad corpus quoque glorificata.** *Certum.* Demonstrat illud

1) *Ratio theologica:* E doctrina protoevangelii Maria, mater victoris satanae etiam ipsa plenam victoriam de satana retulit, cuius potestas docentibus s. Paulo et Iacobo in concupiscentia, in peccato et in morte manifestatur. Mors quidem non in se, ut finis vitae terrenae, sed ut abominabilis corruptio et dissolutio turpitudinem peccati et potestatem diaboli destructoris manifestat. Maria non plenam victoriam de satana retulisset, si concupiscentiam integritate, peccatum immaculata sanctitate superasset quidem, mortis corruptioni vero succubuiset. Sequitur, quod communius docetur a theologis, Mariam immunem fuisse a doloribus mortis, mortuamque esse non morbo correptam, sed amore languentem, cupientem dissolvi et esse cum Christo. Idem suadent

2) *Ratio legalis:* Maria immunis fuit a peccato originali ; ergo libera erat a lege solvendi stipendium peccati, quod est corruptio ac dissolutio corporis morte illata.

3) *Ratio oeconomica:* Maria Christum edendo vitam et salutem et incorruptionem generi humano donavit ; conveniens ergo erat, ut ipsa prima de illa integritate, idque plenius hauriret ; eo vel magis, quia propter mysterium incarnationis «caro Christi est caro Mariae».

4) *Ratio analogica:* Maria incolumi virginitate edidit Salvatorem ; conveniens ergo erat, ut corpus illud a mortis imperatore quoque illibata et incorrupta custodiretur.

THES. 3. **Maria post mortem cum corpore glorificato in caelum assumpta est.** *Sententia pia communis et probabilissima,* quae absque temeritate negari non potest. Probatur

1) *Theologice:* Est corollarium propositionis praecedentis. Si enim b. Virgo post mortem quoad corpus glorificata est, tunc eo ipso in caelum est assumpta ; namque caelum est status glorificationis potissimum, et concomitanter dumtaxat locus. Maria e mente Patrum est arca Dei incorrupta, cui applicare licet illud Ps 131 : «Surge Domine in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae».

2) *Dogmatice* est confirmandum ; historice enim non videtur probari posse. Etenim primus fons scriptus, qui fusius de exitu b. Virginis narrat, est Transitus B. M. Virginis, scriptum apocryphum exeunte s. 4. natum, quod cum aliis apocryphis eorumque narrationibus a Gelasio papa († 495) reiectum est. Primus auctor ecclesiasticus dormitionem b. Virginis enarrans s. Gregorius Turonensis ex isto apocrypho materiam sumpsit. Festi assumptionis primus testis fidedignus est Modestus patriarcha hierosolymitanus († 634) ; Θεοτόκου μνήμη a monachis Palestinensibus iam saeculo 5., immo in Syria cca a. 380 celebrata num festum transitus fuerti nescitur. — Quidquid de hac re sit, certum est festum assumptionis iam plus mille annis publice in Ecclesia celebrari ; eiusque obiectum multis encomiis praedicatur ac liturgice proponitur, quod considerata infallibilitate et sanctitate Ecclesiae esset dogmatice impossibile, si doctrina festivitatis obiectum manifestans, assumptio gloriosa fidei consentanea non esset. Ita legem credendi statuit lex supplicandi. Neque praetermittendum est deesse omnino reliquias b. Virginis, neque tumuli memoriam superesse. Cuius facti ratio sufficiens non videtur esse nisi factum assumptionis.

Utrum doctrina assumptionis ut dogma definiri possit, ex eo pendet, utrum revelata sit saltem implicite, nec ne. Videtur esse explicatio plenior protoevangelii, saltem ea parte, quatenus propositione secunda enuntiatur, et ideo (salvo iudicio Ecclesiae) doctrinae hoc sensu definiendae nihil obstat.

2. Quoad animam. — THES. 1. **Maria Virgo est mediatrix nostrae salutis.** *Certum.*

DEMONSTR. **Scr.** Litteris d. implicite proponitur eo quod edicitur Mariam mundo dedisse Salvatorem: «*Pariet autem filium; et vocabis nomen eius Iesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*» Mt 1; ergo mater Salvatoris est quodammodo etiam mater salvandorum. Teste protoevangelio et ipsa in satana vincendo suas partes peculiares atque personales habet. **Tr.** *Patres* Mariam cum Eva conferunt eique tales atque maiores in nostra salute paranda partes tribuunt, quales Eva in vita physica generis humani propaganda habuit. Iam s. Irenaeus (III 22, 4; V 19, 1; cf. Iust. Dial. 100) eam causam nostrae salutis, advocatam cooperantem dispositioni Dei appellat, quae regenerat homines. *Liturgia* Ecclesiae docente Maria Virgo est mater divinae gratiae, ianua caeli, advocata, mediatrix nostra; et familiare est ei applicare Mariae illud Prov 8: «*Qui me invenerit, inveniet vitam et hauriet salutem a Domino*». **R.** Maria est *mater christianorum;* omnes enim christifideles (docente Apostolo Rom 8) fratres sunt Christi, ergo mater Christi est mater christianorum; id quod iam Origen. (in Jn praef. 6) ex verbis Christi in cruce patientis: «Ecce mater tua» Jn 19 colligit. Atqui matris est vitam filiis communicare. Sicut ergo prima illa Heva erat «mater cunctorum viventium», ita secunda ista Heva mater est omnium in Christo supernaturaliter viventium: «plane mater membrorum eius, quod nos sumus, quia cooperata est caritate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius capitis membra sunt» (August. Virg. 6).

Quod ad *naturam mediationis* istius attinet, Maria est mediatrix salutis nostrae tam acquirendae quam distribuendae.

1) *In salute humani generis acquirenda* Maria non est quidem causa eiusdem ordinis atque Christus Dominus; unus est enim mediator Dei et hominum homo Christus Iesus; qui ergo b. Mariam concausam nostrae salutis vel corredemptricem nuncupari volunt, caute titulis istis utantur oportet. Christus efficienter est causa nostrae salutis; b. Virgo est causa dispositiva et occasionalis tantummodo, eo quod *a) physice* corpus praestitit Verbo incarnando; immo conditio incarnationis facta est; ex eius enim verbo: «fiat mihi secundum verbum tuum» incarnatio dependebat (III 30, 1); *b) moraliter* b. Virgo Filium carissimum abdicando, eumque in cruce Patri offerendo, Filio patienti compatiendo causa instrumentalis facta est salutis nostrae merendae.

2) *In fructibus redemptionis distribuendis a)* ut redemptionis efficaciam prima experta «martyrumque prima rosa» est quasi causa exemplaris nostrae salutis et stella matutina spem nostrae gloriae futurae excitans ac nutriens. *b)* Ut pia mater pro familia sua christiana apud Patrem et Filium intercedit. Quae Mariae intercessio est α) efficacissima, quia Maria omnium maxime propinqua est ss. Trinitati; Christus d. ipse primum miraculum intercessioni s. matris adnuens fecit; et Ecclesia iam vel praxi, lege orandi idem profitetur («Memorare»).

β) **In praesenti salutis ordine omnis gratia mediante Maria datur.** Est *pia et probabilis* sententia. Valde enim est probabile, ita ordinari a Deo, ut unde fons gratiae hominibus patuit, inde etiam rivuli gratiae continuo scaturiant, iis quoque, qui ignorantes ad misericordiae matrem precibus non accedunt. Hanc sententiam iam mariologi saeculi 8. (Ger-

manus patriarcha, Theodorus Studita etc.) propugnant ; deinde Bernardus, Albertus Magnus, Bernardinus, imprimis Alphonsus Liguori eam profitentur, qua etiam Leo XIII. (in Encyclica de rosario 1891) utitur ; Pius X. et XI., Benedict XV. eam repetunt; idem Ecclesia indicat, quum Mariam advocatam nostram, vitam et spem, matremque gratiarum appellat. Ratione theologica probatur *a)* non esse impossibile B. Virgini nosse omnium hominum omnes necessitates supernaturales quovis instanti ; etenim beati in Deo omnia vident, quae nosse eos decet quaeve nosse rationabiliter appetunt (2 II 83, 4 ad 2); *b)* thesi non derogatur sive sacramentorum sive meritorum efficaciae quoad gratiam impertiendam. Etenim universalis Mariae mediatio utpote liberum Dei decretum concinne inseritur in hunc oeconomiae ordinem, eiusque nec leges tollit nec instituta minuit.

Tota haec *mediatio Mariae minime derogat dignitati unius mediatoris Christi*, ut protestantes catholicis obiciunt. Unicus enim mediator principalis est Christus, qui vim suae mediationis eo quoque ostendit, quod Maria causa instrumentali utitur.

THES. 2. **Maria prae ceteris sanctis cultu hyperduliae veneranda est.** *Certum.*

DEMONSTR. **Scr.** Mariam singulari honore esse prosequendam satis significat salutatio pia angeli, deinde exultatio et veneratio Elisabeth, denique ipsa Maria praenuntians dehinc se beatam esse dicendam ab omnibus generationibus.

Tr. *Tribus primis saeculis* Maria a Patribus multis quidem effertur laudibus, imaginibus quoque (iam in catacumbis) depingitur, sed formaliter et explicite in se non honoratur. Huius rei causae sunt : hinc quidem ille priscorum christianorum mos, ut sancti martyres in die obitus potissimum honorarentur ; iam vero de Mariae morte eiusque die et circumstantiis nihil prorsus compertum erat. Illinc autem pietate christiana Maria a Filio suo minime separabatur, sed intime coniuncta tamquam unum totale venerationi erat. Conveniens quoque fuit, ut sicut Filii, ita et matris exaltationem praecederet humilitas. *Saeculo 4.* apud Graecos iam templa in honorem b. Virginis erigebantur, festum celebrabatur, et mater gratiae privatim invocabatur ; immo a Patribus iam reprehendendus erat excessus collyridianorum, qui Mariae placentas offerebant. Inde ab Ephesino, quod titulum honoris Deiparae ab erroribus vindicaverat, in dies augebatur. Eodem tempore *in occidente* adhuc imitatione et laudibus magis pietas erga matrem Salvatoris manifestabatur ; cf. exhortationes et instructiones ss. Hieronymi, Ambrosii, Augustini ad virgines. A saeculo deinde 8. et orientales et occidentales omnibus modis id unum nituntur ut ad verum perducatur prophetia : «*Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*» Lc 2. **R.** Mariam maiore omnium sanctorum honore esse venerandam sequitur ex maiore eius dignitate. Immo impossibile est vere adorare et credere Christum, quin sancta eius mater colatur. Effectibus dehinc probatur, quam intime Maria ad Christum pertineat (2II 103, 4 ad 2) : Magis enim ibi creditur et diligitur Christus, ubi sancta eius mater colitur.

TRACTATUS QUINTUS DE GRATIA.

Disseritur 1. de gratia actuali, 2. de gratia habituali.

Tractatus de gratia. *Anselmus:* De concordia praescientiae et praedestinationis necnon gratiae Dei cum libero arbitrio ; *Thomas:* 1II 109—114 ; Gent. III 148—164 ; posttridentini commentantes decretum Trid. se s. 6 : *Andreas Vega:* De iustificatione ; D. *Soto:* De natura et gratia, *Stapleton:* De universa iustificationis doctrina ; Th. *Lemos:* Panoplia gratiae ; *Suarez:* De gratia ; M. J. *Scheeben:* Natur und Gnade 1862 et pluries ; Cl. *Schrader:* De triplici ordine 1864 ; J. *Kuhn:* Dei christliche Lehre von der göttlichen Gnade 1868 ; D. *Palmieri:* De gratia divina actuali 1885 ; N. del *Prado:* De gratia et libero arbitrio 3 vol. 1907 ; G. van *Noort:* Tractatus de gratia Christi 1920 ; H. *Lange:* De gratia 1929. — A. *Rademacher:* Die übernatürliche Lebensordnung nach der paulinischen und johanneischen Theologie 1903 ; I. *Habert:* Theologiae patrum graecorum vindicatae circa universam materiam gratiae 1646 ; O. *Rottmanner:* Der Augustinismus 1892 ; M. *Glossner:* Die Lehre des h. Thomas vom Wesen der Gnade 1871 ; P. *Minges:* Die Gnadenlehre des Duns Scotus auf ihren angeblichen Pelagianismus und Semipelagianismus geprüft 1906; F. X. *Jansen:* Bajus et le bajanisme 1927.

Caput 1. De gratia actuali.

Quaeritur 1. de essentia, 2. necessitate, 3. efficacia, 4. oeconomia gratiae actualis, ubi etiam 5. de praedestinatione.

§ 69. Essentia gratiae actualis.

Statuuntur 1. notio, 2. essentia morphologica, 3. ontologica gratiae actualis.

1. Notio gratiae. — Gratia consuetudine sermonis et biblica et profana est favor, divinus potissimum, vel venustas (gracilitas) excitans favorem, vel vero donum ex favore praestitum, vel denique animus gratus erga faventem. Plerumque tamen ut *donum gratuitum* accipitur, ubi gratuitum consideratur ut elementum quasi formale : «Si autem gratia, iam non ex operibus ; alioquin gratia iam non est gratia» Rom 11 ; «Quid est gratia? Gratis data» (Aug. in Jn 3, 9). Sensu theologico plerumque est donum Dei *supernaturale* et favor divinus talia dona largiens. Donum igitur creationis, praesertim providentiae, quamvis gratuitum omnino, improprie duntaxat gratia vocatur, uti : «omnium nutrix gratia Dei» Sap 16 (1II 110, 1).

Divisio. — 1. *Gratia increata et creata.* Increata est tam ipse Deus ut dator : favor divinus aeternus, quam Deus ut donum personale increatum : Spiritus s.; gratia creata est donum supernaturale aliud ab ipso

Deo. Utrumque complectitur illud Rom 5 : «Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum s., qui datus est nobis».

2. Gratia creata iterum est alia *externa*, *interna* alia. Ad gratiam externam pertinent facta et instituta supernaturalia, quae ad finem creaturarum supernaturalem i. e. ad visionem Dei beatificam adipiscendam referuntur, veluti incarnatio, Scriptura, Ecclesia. Gratia interna vero est virtus divina supernaturalis animam immediate afficiens. Gratiae externae ordinantur ad internas.

3. Interna est iterum *gratis data et gratum faciens*. Gratia gratis data ordinatur ad sanctificationem aliorum, et est vel ordinaria, muneri annexa, sicuti infallibilitas pontificis romani ; vel vero extraordinaria, seu *charismata*, quorum 1 Cor 12—14 viginti numerantur (de quibus III 111, 4). Nominantur gratis datae, tam quia absque respectu ad dignitatem accipientis conferuntur, sicut v. c. Balae, Iudae, Caiphae (Jn 11), quam ex eo, quod Dominus dicit : «Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemones eicite : gratis accepistis, gratis date» Mt 10. Gratia gratum faciens, seu salutaris est donum supernaturale animam ipsam afficiens et ad propriam sanctificationem conferens ; et est iterum vel *actualis* seu auxilium, adiutorium : virtus supernaturalis ad actus salutares ponendos communicata ; vel *habitualis* seu sanctificans, iustificans, quae est habitus supernaturalis animae infusus.

Omnes istae gratiae sunt gratiae vel *Creatoris vel Redemptoris*, prout vel respectu meritorum Christi Redemptoris dantur vel non. *Differentia* inter utramque est haec : *a)* gratia Creatoris datur non dignis, Redemptoris datur indignis ; *b)* Creatoris est tantummodo elevans, Redemptoris est simul sanans seu medicinalis. Distinctio inter utramque ex opinione scotistarum est mentalis, quum ex eorum doctrina omnis gratia sit Christi vel capitis vel Redemptoris (cf. § 62, 4) ; secundum thomistas et plerosque molinistas est realis.

Momentum. — Salus a Christo d. acquisita subiective et directe, in actu secundo et individualiter per gratiam ad effectum perducitur. Per ipsam peccatum originale tollitur, imago ss. Trinitatis animae imprimitur, aeterna communio supernaturalis cum Deo inchoatur. Tota ergo *vita christiana* in ea acquirenda, servanda, augenda vertitur. In gratiae mysterium omnia cetera *mysteria* confluunt. Ex quo et dignitas huius materiae et difficultas colligitur ; neque mirum est, quod circa gratiam gravissimi errores pelagianorum et novatorum saeculi 16., nec non controversia inter theologos omnium celeberrima et diuturna thomistarum et molinistarum orta sint. —

Si de *essentia gratiae actualis* quaeratur, non est praetermittendum essentiam seu quidditatem cuiuscunque rei tribus viis investigari posse : *finaliter* seu teleologice, si quaeritur ad quid illa res valeat ; et sic dicendum : gratiam actualem esse virtutem supernaturalem, necessariam ad actus salutares ponendos (§ 70) ; *formaliter* seu morphologice, si effectus formales illius rei considerantur ; et metaphysice seu *ontologice*, si categoria metaphysica, cuius effectus formales sunt manifestationes, indagatur.

2. Essentia morphologica gratiae. — THES. 1. **Existit gratia illuminationis et inspirationis.** *De fide.*

EXPLIC. *Illuminatio* ad mentem spectat et potest fieri extrinsecus

institutione tam verbali, quam reali (etiam exemplis), et intrinsecus cogitationibus et illuminationibus internis ; *inspiratio* seu aspiratio vero ad voluntatem refertur, et iterum est vel externa exhortationibus, monitis, iussis excitata, vel interna, quae fit piis affectibus ex animo elicitis. Uterque et illuminandi et aspirandi modus gratiae, maxime autem internus, qui a *pelagianis* negabatur, ab Ecclesiae magisterio proponitur ; iam *Arausic. II.* eos anathematizat, qui dixerint posse hominem bonum aliquod quod ad salutem pertinet vitae aeternae cogitare aut eligere absque illuminatione et inspiratione Spiritus s. Ita etiam Trid. 6 c. 5 (§ 70, 1).

DEMONSTR. **Scr.** Litterae d. illustrationem externam supernaturalem multis praedicant : «*Lex Domini immaculata, sapientiam praestans parvulis, illuminans oculos*» Ps 18 ; Christus reliquit exemplum, ut sequamur vestigia eius 1 Pet 2. Sed clare etiam internam proponunt : Christus d. dicit : «*Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. Est scriptum in prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei*» Jn 6. Trahuntur ergo fideles ad Christum ea parte a Deo, quatenus sunt docibiles Dei, seu a mente. Christus est «*lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*» Jn 1 ; licet non omnibus praedicet verbum Dei. Item apostoli : «*Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*» 1 Cor 3 ; ergo ad praedicationem hominum Dei incrementum intrinsecus accedat oportet. «*Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos; sed sicut unctio eius docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium*» 1 Jn 2. — Inspirationem voluntatis internam s. Litterae non adeo distincte exhibent ; sed tamen quum Deus trahere, incrementum dare, ungere dicitur, voluntatis motio implicite indicatur. Explicite docent : «*Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate*» Phil 2.

Tr. Pro omnibus sit unus «doctor gratiae» s. *Augustinus:* «Magisteria forinsecus adiutoria quaedam sunt et admonitiones ; cathedram in caelo habet, qui corda tenet . . . Interior magister est qui docet ; Christus docet, inspiratio ipsius docet. Ubi inspiratio et unctio illius non est, forinsecus inaniter perstrepunt verba» (in Jn 1, 3, 13 ; cf. Mor. Ecl. II 17, 55, et integrum opus De magistro). Istius magistri interioris motionem saepe piam cogitationem, vocationem altam et scecretam, locutionem in cogitatione, aperitionem veritatis nominat. Gratiam vero aspirationis, quae imprimis erat vindicanda contra pelagianos, sic comprobat : in opere salutis minus est mentis munus ; non est ergo iustum illud minus Deo tribuere, maius vero, voluntatis contentiones salutares homini relinquere. Haec voluntatis motio divina ab eo delectatio caelestis, spiritus caritatis, sanctum desiderium, inspiratio dilectionis, suavitatis etc. vocatur.

R. Si datur hominibus *adiutorium supernaturale ad actus quosdam humanos ponendos*, et mentem et voluntatem tangat oportet ; namque haec sunt principia actuum humanorum ; idque intrinsecus, alioqui adiutorium non est vere, i. e. substantialiter supernaturale, sed tantum quoad modum (1II 111, 2 ; 112, 2 ; 2II 8, 1. 4).

QUAEST. *Extendunturne gratiae appulsus etiam ad facultates inferiores*, ad cognitionem sensitivam et ad affectus? — Si consideratur illud Aristotelis : ἀνεὺ φαντάσματος οὔκ ἐστι νοεῖν, necnon factum illud psychologicum

quod voluntas non movetur nisi affectibus excitata, videtur affirmandum. Pulchre totam materiam complectitur *Prosper* (Ctra collatorem 7) : «Veritas dicit : Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. Si ergo nemo venit, nisi attractus, omnes qui quocunque modo veniunt, attrahuntur. Trahit itaque ad Deum *contemplatio elementorum*, omniumque quae in iis sunt, ordinatissima pulchritudo. Invisibilia enim eius a constitutione mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur Rom 1. Trahit *timor;* principium enim sapientiae timor Domini Prov 1. Trahit *laetitia;* quoniam laetatus sum in his quae dicta sunt mihi : in domum Domini ibimus Ps 121. Trahunt *delectationes:* quam dulcia enim faucibus meis eloquia tua, super mel et favum ori meo Ps 118. Et quis perspicere aut enumerare possit, per quos affectus visitatio Dei animum ducat humanum, ut quae fugiebat sequatur, quae oderat diligat, quae fastidiebat esuriat, ac subita commutatione mirabili quae clausa fuerant sint aperta, quae onerosa levia, quae amara sint dulcia, quae obscura sint lucida !»

ADDIT. Gratia actualis *quum moraliter tum physice* mentem illuminat et voluntati aspirat. Moraliter : exhibendo obiecta et motiva, excitatione, vocatione, delectatione, ut s. Litterae docent ; physice : immediato tactu auxilium et novam vim facultatibus addendo, quod in s. Scriptura incrementum, unctio, vivificatio etc. audit.

THES. 2. **Existit gratia excitans seu vocans et adiuvans.** *Certum* ex Araus. II et Trid. 6 c. 4 (§ 71, 1).

EXPLIC. Gratia excitans praecedit actum voluntatis deliberatum, seu extenditur ad actus primos, *elicitos;* gratia vero adiuvans actum deliberatum comitatur seu ad actus secundos, *exercitos* refertur.

DEMONSTR. **Ser.** Secundum Paulum «*Deus vocavit nos vocatione sua sancta*» 2 Tim 1. In Ap 3 ipse Dominus dicit : «*Ecce sto ad ostium et pulso: si quis audierit vocem meam et aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum et coenabo cum illo et ipse mecum*». **Tr.** Docente *Augustino* voluntas non potest moveri nisi aliquid occurrerit, quod delectet et invitet animam ; hoc autem ut occurrat, non est in hominis potestate (Ad Simpl. I 2, 22). Dei misericordia «nolentem praevenit ut velit, volentem subsequitur, ne frustra velit» (Enchir. 32).

R. Gratia actualis est adiutorium supernaturale ad actus salutares ponendos, qui utique actus humani esse debent. Atqui *actus vere humani* non sunt nisi actus deliberati (actus secundi, exerciti), quos lege psychica actus indeliberati (actus primi, eliciti) praecedant oportet, uti sunt cogitationes repentinae, lumina, consilia suggesta, afflatus, affectus inspirati, e quibus deinde actus deliberati enascuntur (cf. conversionem Aug. «Tolle, lege» Conf. VIII 12). Gratia ergo tunc demum verum adiutorium ad actus humanos ponendos praestabit, si ad utrumque, tam ad actus indeliberatos suggerendos, quam ad actus deliberatos excitandos immediate concurrat.

ADDIT. Eiusdem tenoris est distinctio *gratiae operantis*, quae operatur in nobis sine nobis, ergo ante consensum voluntatis, *et cooperantis* sc. cum voluntate. Utramque etiam s. Litterae indicant : «Omnia opera nostra operatus es nobis» Is 26 ; «apostoli praedicaverunt ubique Domino cooperante» Mc 16 ; «Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere» Phil 2. — Idem vult distinctio gratiae *praevenientis* (actum liberum) *et subsequentis* (assensum voluntatis) ; deinde *praevenientis, comitantis et subsequentis* actum liberum. Hae gratiae significantur, ubi Ps 58. 22 dicitur : «misericordia Dei praeveniet me» et : «misericordia eius subsequetur me». Eandem

petimus dum oramus : «Actiones nostras quaesumus Domine aspirando praeveni et adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur». Easdem distinctiones antiqui cum Thoma (1II 111, 2) paulo aliter interpretantur. — Manifestum est gratiam concomitantem utpote cui voluntas cooperetur, semper effectum sortiri ; non ita operans, seu praeveniens. Haec est distinctio gratiae *efficacis et inefficacis* (cf. § 71).

THES. 3. **Existit gratia medicinalis et gratia elevans.** *Certum.*

Etenim post peccatum originale adsunt quidem facultates physicae ad actus morales ponendos, sed tot *difficultatibus* praepeditae, ut adiumento sananti indigeant, sicut aegrotus medicina vel baculo ad ambulandum. Haec est gratia medicinalis seu sanans, quae per se est tantum supernaturalis quoad modum, quum nihil agat nisi quod virium naturalium debilitatem suppleat. Ad *actus salutares* utpote vere supernaturales ponendos autem requiritur, ut potentiae naturales compleantur, seu ad tale quid faciendum eleventur, ad quod natura omnino et semper deficit : gratia elevans, quae est supernaturalis quoad substantiam.

3. Essentia ontologica gratiae. — THES. **Gratia actualis est motio Dei supernaturalis distincta tam a Deo moventi quam ab actibus salutaribus, etiam ab actibus indeliberatis praeparantibus ;** *et reducitur ad categoriam qualitatis.*

PROB. 1. Gratia actualis *est motio divina supernaturalis.* Eo enim datur, ut facultates humanae ad actus salutares ponendos applicentur. Atqui talis applicatio fit apta motione communicata, veluti lingua ita ad loquelam applicatur, ut apte ab anima moveatur. Motio ad actus salutares est supernaturalis, quia debet esse proportionata illis actibus, ad quos movet. Facultates naturales hominis ex potentia obedientiali sunt capaces ad tales motiones supernaturales recipiendos (1II 110, 2 c.). — 2. Verumtamen gratia *non est ipse Deus movens* seu non est omnipotens voluntas Dei, prout Paschasius Quesnel opinabatur, propterea a Clemente XI. damnatus (Bulla Unigenitus 1713) ; voluntati Dei omnipotenti enim nunquam resistitur ; gratiae autem potest quis reluctari. — 3. At gratia actualis *neque in ipsis actibus salutaribus est ponenda,* sicut Arnaldus iansenista volebat. Sic enim omnis gratia esset efficax, quod equidem verum non est ; praeterea ex doctrina revelationis actus salutares sunt fructus gratiae, non vero ipsa gratia.

In his theologi catholici consentiunt. At in diversas iam abeunt sententias, ubi quaeritur, in quonam accurate momento distincto tam a Dei motione quam ab actibus salutaribus sit reponenda gratia actualis.

Ex molinistarum opinione gratiae actuales sunt actus indeliberati, puta cogitationes repentinae et lumina, afflatus et affectus pii immediate ab ipso Deo subiecti, ergo actus vitales, quibus anima immediate et proxime ad actus salutares libere ponendos disponitur et perficitur, ita ut distinctio gratiae praevenientis et concomitantis non sit nisi virtualis. Supernaturalitas istorum actuum vero inde repetitur, quod actus indeli-

berati ad actus salutares seu supernaturales ordinentur (sunt ergo intentionaliter, non entitative supernaturales), et per intimam assistentiam Dei (per concursum simultaneum supernaturalem) excitentur. Hoc satis est ad indolem supernaturalem actuum deliberatorum quoque salvandam, quippe qui ex indeliberatis tamquam flores ex gemma enascantur.

Hanc suam sententiam molinistae *probant a)* argumento *theologico:* in fontibus revelationis gratia actualis excitatio, tractio, pulsatio, illuminatio etc. dicitur, quae sunt actus psychici. *b)* Argumento *philosophico:* «actus moventis in moto est motus mobilis» (1II 110, 2 c); atqui gratia omnibus fatentibus est motio divina; ergo.

Haec sententia *a thomistis reicitur* ex his causis: *a)* Non videtur satis salvari supernaturalitas actuum salutarium, si gratia actualis in eundem numerum cum actibus quibusdam psychicis refertur, quippe qui e potentiis naturalibus eliciti entitative naturales maneant; ordinatio ad actus salutares et intima Dei assistentia sunt res in Deo manentes et igitur ad supernaturalitatem actuum indeliberatorum nihil conferentes. *b)* E doctrina s. Litterarum gratia saepe donum Dei, medicina, semen divinum, lumen etc. dicitur; atqui istis non tantum a Deo sed etiam a suscipiente eiusque actibus ut res sui generis satis distinguitur. *c)* Argumenta molinistarum rem non decidunt. Quoad argumentum theologicum: A scriptoribus sacris immo a Patribus et theologis antetridentinis quaestio essentiae metaphysicae gratiae actualis nondum formaliter posita erat; ergo neque ex his fontibus decidi potest. Quoad argumentum philosophicum: illud s. Thomae verum est, si motionis terminus ultimus consideretur; sed non potest teneri, si momenta intermedia inter Deum moventem et animam motam respiciantur.

Ex thomistarum mente ergo gratia actualis est accidens supernaturale sui generis praecedens omnem actum humanum (est ex hac parte non vitalis); est tactus quidam divinus, cuius est *a)* facultates naturales ita elevare et complere, ut actus indeliberatos, ex quibus actus salutares gignantur, ponere possint: gratia praeveniens, excitans seu operans; deinde *b)* facultates sic elevatas et praeparatas ad ipsum actum salutarem applicare: gratia adiuvans seu concomitans, quae ergo est nova gratia ab excitanti re distincta. Hoc accidens supernaturale ex opinione thomistarum antiquiorum est ordinatio quaedam dynamica, veluti est collineatio teli; ergo ad categoriam passionis pertinet; e recentiorum mente vero est quasi-qualitas, qualitas fluens. Definitur ergo *virtus fluens supernaturalis intrinsecus perficiens animae potentias easque applicans ad actum supernaturalem deliberatum.*

Opponunt molinistae qualitatem fluentem esse contradictionem philosophicam, nec Aristoteli notam; deinde ex thomistarum mente gratiam actualem esse qualitatem mortuam. Reponunt thomistae: *a)* Aristoteles utpote philosophus a revelatione longe distans multa ignoravit, quae Deus electis paravit. *b)* Gratia actualis est quidem qualitas non vitalis entitative, sed est vitalis causative; ordinatur enim ad actus vitales et indeliberatos et deliberatos possibiles reddendos. Haec exceptio ceterum in gratiam sanctificantem redundat, quippe quae ex ferme omnium sententia est habitus entitativus, ergo pariter qualitas non vitalis. Omnibus diligenter expensis sententia thomistarum et revelationi et muneri ac dignitati gratiae magis convenire videtur.

COROLL. *Gratia actualis* utpote ens non psychicum formaliter *non*

est obiectum experientiae psychicae. Existentia eius in individuo conici potest ex effectibus, praesertim naturae adversantibus (cf. Kempis III 54 : Prosper supra n. 2) et extraordinariis, uti in vita sanctorum, imprimis in conversionibus ; et certo colligitur ex dogmatis necessitatis et universalitatis gratiae (§ 70. 72).

QUAEST. *Quomodo differunt gratiae* supra enumeratae ? — Quum gratiae actuales sint virtutes supernaturales potentiam supernaturalem conferentes, ita distinguantur oportet, sicut potentiae, seu *secundum obiecta specifica.* Ergo distinctio metaphysica est saltem inter gratiam illuminationis et aspirationis, deinde inter gratiam elevantem et sanantem ; ex mente thomistarum etiam inter gratiam excitantem et adiuvantem, quae secundum molinistas virtualiter tantum distinguuntur.

§ 70. Necessitas gratiae.

Statuitur necessitas gratiae 1. generatim, 2. pro iniustis, 3. pro iustis ; 4. non-necessitas.

Veritas catholica de necessitate gratiae (actualis potissimum sed non exclusive) adversus haereses apte sic proponitur :

Gratia *est* necessaria *A) generatim:*
1. ad omnem actum salutarem (pelagiani)
B) speciatim: a) non iustificatis
2. ad initium fidei (semipelagiani)
3. ad totam legem servandam } (pelagiani et
b) iustificatis } semipelagiani)
4. ad perseverandum
5. ad quodcunque opus salutare
6. peculiaris gratia ad vitanda venialia
Gratia *non est* necessaria 7. ad omnem actum honestum (novatores et iansenistae).

1. Generatim. — THES. **Gratia interna absolute et physice est necessaria ad omnem actum salutarem.** *De fide.*

EXPLIC. *Actus salutaris* est actus ordinatus ad finem supernaturalem vel mediate, uti credere, sperare, paenitere, converti ; vel vero immediate, uti sunt actus boni iustificatorum. Ad tales actus necessaria est gratia interna, seu intrinsecus illuminans intellectum et aspirans voluntatem ; idque physice, seu sine gratiae auxilio deest ipsa facultas ad tales actus ponendos ; et absolute, seu ad quemcunque actum salutarem cuiusvis hominis. — *Adversantur* manichaei et pelagiani, qui «modis causisque diversis gratiam Christi simul oppugnant» (August.). Quum e *gnosticorum et manichaeorum* opinione anima e materia prava redimenda emanatio sit Dei, ius ac potestatem habet propria virtute revertendi ad Deum auctorem lucis, nullo gratiae auxilio indigens. Gravioris momenti est error pelagianorum, quorum auctor *Pelagius* a. 405 Romam veniens adiutorem Caelestium et fautorem Iulianum, doctum episcopum Ecclanensem nactus docuit hunc in modum : 1. Peccatum Adae eiusque consecutiones non transierunt in omne genus humanum. 2. Potest homo per vires naturales liberi arbitrii totam legem servare, omnes tentationes superare, sanctus fieri et vitam aeternam adipisci. 3. Praeter liberum arbitrium, quod gratia Creatoris est, admittitur etiam gratia Christi, adultis ad peccatorum remissionem et regnum caelorum (quod quo modo a vita aeterna differat, non liquet) consequendum utilis, non necessaria ; quam quisque mereri potest actibus per liberum arbitrium exercitis. Num etiam gratiam internam

admiserint, disputatur ; certum est autem, constanter impugnatam esse ab eis gratiam internam aspirationis. Veritatis catholicae defensorem tunc Deus *s. Augustinum* suscitavit, qui cum amicis et discipulis, Hieronymo, Mario Mercatore laico, Orosio presbytero hispano, Paulino diacono mediolanensi, Prospero et Hilario laicis gallis, synodis imprimis Milevitana a. 416 et Carthaginensi a. 418 celebratis et scriptis pelagianismum debellavit. Quae omnia ab Innocentio I. et Zosimo (epistula tractoria) confirmata demum Arausicano II. a. 529 sancta sunt.

Definivit Ecclesia synodo *Carthaginensi* (c. 5) quod a Trident. 6 c. 2 repetitum est : «*Si qu. d. ad hoc solum divinam gratiam per Iesum Christum dari, ut facilius homo iuste vivere ac vitam aeternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque sed aegre tamen et difficulter posset, a. s.*» Et *Araus. II.* (c. 7) : «*Si quis per naturae vigorem bonum aliquod quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare ut expedit aut eligere posse affirmat absque illuminatione et inspiratione Spiritus s., haeretico fallitur spiritu*».

DEMONSTR. **Scr.** V. T. totum et verbis et factis adstipulatur Ieremiae oranti : «*Converte me et convertar, quia tu es Dominus Deus meus*» Jer 31. Sap 8 ait : «*Scivi quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det; et hoc ipsum erat sapientiae, scire cuius esset hoc donum*». Prophetae pro tempore messiano frequenter cor novum et animam novam necessariam fore enunciant. Christus re vera iam in sermone montano radicitus novam vitam postulat («facite arborem bonam et fructus eius bonos» Mt 12), cuius principium est «*spiritus bonus*» apud synopticos, «*Spiritus s.*» apud Ioannem, ex quo nisi quis renascatur, non intrabit in regnum caelorum. Necessitatem absolutam et physicam huius novi spiritus etiam explicite docet : «*Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum*» Jn 6. «*Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis facere*» Jn 15. His enim concursus Christi, ergo supernaturalis absolute necessarius ponitur. Paulus, potissimum Rom, Gal, Eph (haec tria sunt quasi evangelium gratiae) docet : eramus aliquando filii irae et servi peccati omnes, ergo ad salutem nihil valentes. Nunc subventum est nobis : «*Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum: non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est*» 2 Cor 3. «*Neque volentis, neque currentuis sed miserentis est Dei*» sc. consecutio gratiae finalis Rom 9. «*Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu s.*» 1 Cor 12.

Tr. Patres etiam antepelagiani licet contra gnosticos et manichaeos vires naturae earumque vigorem quandoque iusto plus extollant, gratiae necessitatem absolutam omnes affirmant, si excipiatur forsitan Iustinus, qui Heraclitum et Socratem philosophiā esse christianos factos dictitat (I 10. 46). *Irenaeus* v. g. hominem gratia carentem terrae aridae comparat, quae nullum fructum proferre potest (III 17, 2); e mente *Chrysostomi* (in 1 Cor 7) sicut oculus lumine sic indiget anima Spiritu Sancto. Clarius

adhuc loquuntur Latini iam inde a Tertulliano (Anima 21) et Cypriano, utpote quibus non fuerit cum gnosticis disceptandum, quorum omnium consensum ergo *s. Augustinus* merito appellat in tractatibus antipelagianis, quorum praecipua sunt : De peccatorum merito et remissione, De natura et gratia, De gestis Pelagii, Contra duas epistulas Pelagianas, Ctra Iulianum, et amplissimum Opus imperfectum ctra Iulian. Quum Pelagius in operibus bonis distinxerit posse, velle, esse, et illud posse tantummodo a Deo repetierit, Augustinus affirmat etiam velle et esse a Deo originem sumere, immo existere etiam «adiutorium adiunctum naturae atque doctrinae per inspirationem flagrantissimae et luminosisimae caritatis», quod quis nullo pacto mereri potest. Ad quod probandum multa ex s. Litteris et Patribus, imprimis Cypriano, Ambrosio et Nazianzeno affert, et sicut Caelestinus I. pelagianos ad vitam et consuetudinem christianorum pro gratia continuo orantium remittit, ita ut «legem credendi statuat lex supplicandi» *(D* 139).

R. Duce Thoma necessitas universalis gratiae efficitur sic : *Finis* noster, ad quem reapse vocati sumus, est supernaturalis omnino, naturae vires physice et absolute excedens. Ut ergo homo actus huic fini proportionatos ponere possit, virtus nova superaddita accedat oportet, quae est gratia. Gratiae actualis necessitas vero eo evincitur, quod nulla potentia educitur in actum, nisi mota per ens actu ; ita iam in naturalibus, eo magis in supernaturalibus (1II 109, 5).

DIFF. 1. Docente Paulo «*gentes naturaliter ea quae legis sunt faciunt*» Rom 2. — RESP. Ex contextu Apostolus hic naturam non gratiae sed Legi opponens affirmat potestatem naturae, ergo gratiae necessariae quaestionem ne tangit quidem.

2. *Iniustum est* immo immorale, ut homo a Deo ad talem finem prosequendum obligetur, cui assequendo impar est. Ita rationalistae inde a socinianis. — RESP. *a)* Minime est iniustum vocare hominem ad finem supernaturalem et simul vires supernaturales proportionatas praeparare. *b)* Deus est Dominus absolutus creaturarum, ad cuius nutum ac vocationem omnes audientes esse debent, nec alia prae aliis fastidiose velle aut nolle ; eo magis quia multo maius est bonum vocari ad finem supernaturalem, quam in ordine naturali relinqui. Quod bonum tantum abest ut alienum sit a natura humana, ut etiam maxime ei conveniat (§ 5, 3) ; et si est gratuitum, minime quietismo favet, imo cooperationem maxime intensam ab homine exigit (§ 71).

2. Iniustis. — THES. 1. **Gratia interna absolute et physice necessaria est ad initium fidei et ad omnem actum praeparatorium iustificationis.** *De fide* ex Araus. II. et Trid.

Adversantur *semipelagiani*, quorum erroris summa haec est : 1. Initium fidei, seu conatus ad fidem, pius credulitatis affectus est in potestate hominis. 2. Iustificatus propriis viribus potest perseverare ; 3. peccator potest gratiam saltem secundum aequitatem quandam (de congruo) mereri. 4. Infantibus nondum merentibus gratia datur propter praevisa merita; quod assertum nunquam tamen censura notatum est. Huius doctrinae a Ioanne *Cassiano* (Collationes Patrum 13) abbate Massiliensi (inde Massilienses) oriundae Augustinus ab amicis gallis certior factus quaedam scripta opposuit, quorum capita praecipua «Indiculo» collecta Caelestinus papa gallis a. 431 imposuit. Nihilominus *Faustus Regiensis* et probabiliter Vincentius

Lerinensis semipelagiane docere pergebant, dum demum agente s. Caesario Arelatensi *Arausicanum II.* a. 529 errorem penitus arceret, c. 5. apostolicis dogmatis adversarium probans eum qui «*sicut augmentum, ita et initium fidei ipsumque credulitatis affectum non per gratiae donum, sed naturaliter nobis inesse* dicit». Trident. (6 c. 3) denique eum anathematizat, qui dixerit «*sine praevenientis Spiritus s. inspiratione atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere aut paenitere posse sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur*».

DEMONSTR. **Scr.** Ubi Christus d. absolutam necessitatem gratiae ad quodcunque opus salutare pronuntiat, explicite fidem quoque respicit : «*Sunt quidam ex vobis qui non credunt . . . Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo*» Jn 6. Dein absque restrictione dicit : «*Sine me nihil potestis facere*» In 15 ; et gratias agit Patri propterea, quod sapientiam suam parvulis revelaverit ; qui tamen proprios actus nondum praestant. S. Paulus generatim docet initium salutis opus Dei esse : «*Quis prior dedit illi et retribuetur ei? Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia*» Rom 11; «*caepit in vobis opus bonum*» Phil 1 ; et quod Augustinus (Praedest s. 3, 7) magni habuit : «*Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*» 1 Cor 4 ; et specialiter de fide : «*Gratia enim salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis; Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur*» Eph 2. **Tr.** *Augustinus* sic interpretatur verbum Domini : «Dominus autem ut responderet futuro Pelagio, non ait : sine me difficile potestis aliquid facere, sed ait: sine me nihil potestis facere . . . Non ait : sine me nihil potestis perficere, sed facere. Nam si perficere dixisset, possent isti dicere : non ad incipiendum bonum, quod a nobis est, sed perficiendum esse Dei adiutorium necessarium. Hoc uno verbo initium finemque comprehendit» (Ep. Pelag. II 8). Deinde simulatque certior factus est semipelagianorum doctrinae, eam alacriter aggressus scriptis impugnare caepit : De gratia et libero arbitrio, De correptione et gratia, De dono perseverantiae, De praedestinatione sanctorum.

Si quidam Patres graeci, *Chrysostomus* (in Phil 6, 4. 5) potissimum talia habent, quae materialiter non differunt a loquendi modo semipelagiano, certo tamen *a)* nemo eorum ex asse semipelagianismum profitetur ; *b)* saepe exhortando loquuntur, gratiam praevenientem supponendo ; *c)* haereticis nondum litigantibus securius loquebantur, eo magis quia ipsis cum gnosticis, manichaeis et fatalistis voluntatem et naturam deprimentibus erat agendum. Quum ex professo loquuntur, recte docent ; ita v. c. Chrysostomus : «Ne fides quidem ex nobis ; nam si Deus non venisset, si non vocasset, quomodo potuissemus credere?» (in 1 Cor 12), quem ceterum Caelestinus I. non laudasset ut virum orthodoxum, si semipelagianismi esset suspectus.

R. *Initium alicuis actionis psychicae eiusdem est generis atque continuatio;* si ergo homo ex propriis viribus posset primum passum salutis ponere, tunc etiam sequentes, et ita iam non gratia sed suis facultatibus acquireret salutem ; quod est falsum ex thesi praecedenti. Semipelagianismus est pelagianismus latens.

DIFF. 1. Sacrae Litterae nonnunquam ita loquuntur et adhortantur, *quasi in hominis potestate sit initium salutis capere.* — RESP. «In s. Litteris

quum dicitur : ‚Convertimini ad me et ego convertar ad vos' Zach 1, libertatis nostrae admonemur ; quum respondemus : ‚Converte nos Domine ad te et convertemur' Thren 5, Dei nos gratia praeveniri confitemur». Ita Trident. 5 cp 6.

2. Paulus dicit : «*Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non invenio*» Rom 7. — RESP. Apostolus ibi de singulis facultatibus ad invicem collatis eloquitur, non de relatione naturae et gratiae, de qua quid sentiat, dicit Phil 2 : «Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere».

THES. 2. **Sine gratiae auxilio impossibile est homini diu servare totam legem moralem.** *Sententia communis.*

EXPLIC. Thesi *observatio legis materialis* et non formalis, seu non observatio legis ut voluntatis divinae, item tentationum superatio, quae in lege servanda continetur, non formalis, sed simpliciter honesta tantum intellegitur. «*Diu*» longius tempus dicit, certo ultra diem. Impotentia ad legem servandam thesi statuta est *moralis*, non physica ; et igitur gratia cuius necessitas pronuntiatur, est medicinalis, non elevans. Adversantur pelagiani et semipelagiani (cf. etiam § 5, 2).

DEMONSTR. **Scr.** Rom 2 asserit neque iudaeos neque gentes servare legem, cuius cognoscendae et implendae tamen habent facultatem ; 7 istius impotentiae rationem reddit gravitatem et diuturnitatem tentationum e concupiscentia provenientium. E sententia multorum Patrum et plurimorum exegetarum recentiorum Apostolus hic de statu merae naturae agit, ergo formaliter thesim nostram proponit. **Tr.** *Augustinus* Apostoli doctrinam ex asse tractat in opere De spiritu et Littera et fuse exponit in alio : De natura et gratia. Tridentinum significat hanc doctrinam, ubi de natura propter peccatum originale debilitata loquitur.

R. *a) Neque iusti* sine Dei gratia diu stare possunt, quum et ipsis orandum sit : «Ne nos inducas in tentationem». A fortiori ergo iniusti. *b)* Ad totam legem moralem servandam omnesque tentationes superandas *magna requiritur constantia, vigor et vigilantia animi*, quum in statu praesenti obscuratio, stultitia, distractio mentis, debilitas, instabilitas, languor, tarditas voluntatis increbruerit. «Cogitationes enim mortalium timidae, et incertae providentiae nostrae. Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Et difficile aestimamus, quae in terra sunt ; et quae in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quae autem in caelis sunt, quis investigabit?» Sap 9.

DIFF. Si gentibus desunt vires ad totam legem servandam, *quo demum pacto a Deo damnari possunt propter legem non servatam?* — RESP. *a)* Thesis nostra quid iuris sit statuit ; quaestionem facti vero, utrum gentes reapse sine gratia sibi relinquantur, an saltem orationis gratiam sufficientem acceperint (1II 109, 8 ad 1) non tangit. *b)* Certum est unumquemque ea parte tantum a Deo iudicari, quatenus reus est ; etiam si nos lateat quousque in concreto aliquis mentis et voluntatis compos atque moraliter responsabilis sit.

3. Iustis. — THES. 1. **Iustificatis gratia actualis ad quodvis opus salutare est necessaria.** *Sententia comunior*, probabiliter *fidei proxima.*

Statuit enim Araus. II. c. 9 : «*Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur, operatur*». Et Trid. 6 cp 16 : «*Ille ipse Christus Iesus tamquam caput in membra et tamquam vitis in palmites in ipsos iustificatos iugiter virtutem influit, quae virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur*».

DEMONSTR. **Scr.** Scriptura, ubi de necessitate gratiae actualis ad opera salutaria loquitur, nusquam inter fideles et infideles, inter peccatores et iustificatos distinguit ; immo Christus d. apostolis, ergo iustificatis dixit : «*Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum*». Si secundum Apostolum Deus operatur in nobis velle et perficere, deinde si christifideles frequenter monentur, ut orent et vigilent, haec vix aliter atque de gratiae auxiliis accipi possunt. **Tr.** Neque Patres ubi de necessitate auxiliorum loquuntur, inter fideles et peccatores distinguunt. Immo docente s. *Augustino* (Nat. et gr. 24) etiam «sanati iam a Deo medico nostro ambulare non possumus, nisi illo adiuvante ; et sicut oculus etiam sanus luce indiget ad videndum, ita etiam perfectissime iustificatus, nisi aeterna luce divinitus adiuvetur, recte vivere non potest». Cf. orationem : Actiones nostras.

R. *Videntur iusti non indigere* gratia actuali ad quodvis opus salutare ; etenim per gratiam sanctificantem et virtutes infusas eorum potentiae supernaturaliter elevatae sunt, et ideo per concursum Dei naturalem possunt evehi ad actum. Ita Molina et Bellarminus. At *a)* quum omnis potentia non nisi per ens actu in actum educatur, appulsus movens potentiam ad actum etiam in supernaturalibus requiritur ; qui non videtur convenienter in concursu naturali poni posse, quippe qui non sit proportionatus potentiae supernaturali. Ergo requiritur *appulsus supernaturalis;* qui est gratia actualis. *b)* Iustificatus potest agere talia, quae non ex potentiis supernaturalibus i. e. virtutibus proveniunt, puta peccare ; ergo potentiae supernaturales motione efficaci indigent, ut actus connaturales proferant ; quae est gratia actualis.

THES. 2. **Iustificati absque speciali Dei auxilio non possunt perseverare in accepta gratia.** *De fide.*

EXPLIC. Thesis de gratia perseverantiae agit. Perseverentia vero est alia habitualis seu posse perseverare, alia actualis, seu actu perseverare ; quae est vel temporalis seu imperfecta, vel vero finalis seu perfecta, quando nempe finis vitae cum statu gratiae coniungitur. Thesis *perseverantiam habitualem eamque imperfectam* vult intellegi ; actualis et finalis enim a Tridentino «magnum illud usque in finem perseverandi donum» dicitur ; de quo in additamento ad thesim erit dicendum. Adversatur Pelagius, qui contradictorium tenet, et semipelagiani, qui putant posse aliquem mereri perseverantiam. Definivit Trident. 6 c. 22 : «*Si qu. d. iustificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseverare posse, vel cum eo non posse, a. s.*»

DEMONSTR. **Scr.** Pii saepe monentur, ut orent pro perseverantia ; ergo ea non continetur auxiliis communibus. Idem facit Christus d.: «*Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi*» Jn 17 ; Paulus : «*semper sollicitus pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti*» Col 4. **Tr.** *Augustinus* speciali opere De dono perseverantiae comprobat, quando oratur a sanctis, nihil pene posci quam perseverantiam.

R. Post protoparentis peccatum talis est mentis humanae obscuritas et distractio talisque voluntatis debilitas et inconstantia, ut licet adsit facultas physica ad singulos actus salutares ponendos, sine speciali auxilio deficiat potestas moralis ad totam seriem actuum ponendam ; namque *specialis difficultas ex assiduitate vigilantiae et constantiae* ad perseverandum necessariae oritur (1II 109, 9. 10 ; Gent. III 155). Quae gratia per-

severantiae ex communiore sententia *non est gratia ontologice distincta a gratiis actualibus ordinariis;* sed est cumulus omnium gratiarum actualium internarum et externarum, quarum auxilio quis perseverare potest. Atque ideo a speciali actu misericordiae divinae illud largientis repetitur quidem, sed non videtur exigere specialem gratiam internam novam.

COROLL. *Iustificatus quovis instanti habet gratiam, quacum perseverare potest.* Docente Paulo Rom 5 commendat Deus caritatem suam in nobis : quoniam quum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est ; «multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius salvi erimus». Et in vehementissima tentatione audire meruit : «*Sufficit tibi gratia mea*» 2 Cor 12. Inde perseverantia etiam praecepto iniungitur a Christo d. : «*Manete in me*» Jn 15 ; et : «*Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae*» Ap 2.

ADDIT. «*Magnum illud usque in finem perseverandi donum*» (Trid. 6 c. 16 ; «donum» utpote non obiectum meriti ; «magnum», quia beatitudinem aeternam affert) est aliud *passivum:* apud infantes et amentes in gratia morientes, et est specialis providentia, de qua Sap 4 : «*Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius . . . Placita enim erat Deo anima illius; propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum*». Aliud est *activum ;* apud adultos, exigens eorum cooperationem, et ibi videtur esse cumulus assiduus gratiarum efficacium praedestinatis concessus. Potest docente Augustino (Don. persev. 6, 10) orando mereri. Imo : «*Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis*» 2 Pet 1.

Species gratiae perseverantiae est *gratia confirmationis,* qua quidam (b. Maria V., apostoli) donati gratiam sanctificantem semel acceptam nunquam amiserunt (Verit. 24, 9. 10).

THES. 3. **Homo semel iustificatus non potest in tota vita peccata omnia venialia vitare sine speciali Dei privilegio.** *De fide.*

EXPLIC. Peccata venialia sumuntur non tantum deliberata, sed semideliberata, seu *subreptitia* potissimum ; tota vita est notabile tempus (certo ultra diem) ; omnia venialia intelleguntur *collective* et non distributive sumpta ; non posse est *impotentia moralis,* non physica. Talis gratia quae certo Virgini Mariae concessa erat, est speciale *privilegium;* ergo non est, sicut perseverantia speciale quidem auxilium, omnibus tamen iustificatis pervia. Adversantur pelagiani docentes posse quemvis hominem propriis viribus impeccantiam consequi. Dogma sanctum est a Milevit. II., Araus. II., et totidem verbis a Trident. 6 c. 23 (cf. § 67, 2).

DEMONSTR. **Scr.** Omnibus etiam sanctis orandum est : «*Dimitte nobis debita nostra*» Mt 6. «*In multis enim offendimus omnes*» Iac 3 ; quod de venialibus est dictum ; namque «omnis qui in eo (Christo) manet, non peccat» (sc. graviter) 1 Jn 3. Quod Sapiens habet : «*Septies cadit iustus*» (Prov 24) non est ad rem ; sed de infortuniis est accipiendum. **Tr.** Secundum *Augustinum* iusti non frustra in orationibus dicunt : Dimitte nobis debita nostra. «Si omnes illos sanctos et sanctas quum hic viverent, congregare possemus et interrogare, utrum essent sine peccato, . . . nonne una voce clamarent : Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est» (Natura et gr. 35).

R. Manet in iustificato quoque ex Adae hereditate *fomes concupiscentiae, imperfectio iudicii, inconstantia voluntatis, defatigatio resistentiae;* quibus fit, ut homo singulos quidem motus concupiscentiae reprimere possit, sed dum alteri resistere nititur, fortassis alter insurgit, ad quem repellendum iam non erit satis vigil (1II 109, 8).

DIFF. *Qui potest maius, potest etiam minus.* Iustus potest vitare omnia et singula mortalia; ergo etiam venialia. — RESP. Principium laudatum non semper valet; ad minora agenda saepe maior vigilantia, constantia, vigor requiritur, quam ad magna facienda. Accedit quod venialia utpote a fine aeterno assequendo non arcentia non sunt in eodem numero atque mortalia habenda; universim facilius est vulnera lethalia declinare, quam levia omnia vitare.

4. Non-necessitas. — *Gratia non est necessaria ad quemcunque actum moraliter honestum.* Haec veritas pro negatione haereticorum apte his tribus thesibus exponitur:

THES. 1. **Non est necessaria gratia caritatis seu status gratiae ad quodvis opus moraliter honestum**; *et ideo non omnia opera peccatoris eo ipso sunt peccata. De fide.*

Adversatur *Lutherus* docens naturam humanam per peccatum originale ita esse corruptam, ut ex se nisi peccare non possit, etiam si ad iustificationem se velit praeparare. Contra quem Trid. 6 c. 7: «*Si qu. d. opera omnia quae ante iustificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vere esse peccata, a. s.*» Item *Baius* putavit unicum ordinem moralem esse possibilem, eum nempe in quo primus homo constitutus fuerat; quo ruente ex se iam nihil nisi deficere potest; ad quodcunque opus honestum iam caritas infusa est necessaria. Qui error magis adhuc a *Iansenio* excolebatur: Post peccatum delectatio terrestris homini dominatur, quae nisi delectatione caelesti victrici superetur, animam ineluctabiliter ad peccandum trahit. Omnia illorum placita cum Quesnelii et Pistoriensium placitis eiusdem farinae damnata sunt (cf. § 48, 3).

DEMONSTR. **Scr.** et **Tr.** S. Litteris, a Patribus necnon communi Ecclesiae praxi *peccatores* saepissime *ad paenitentiam*, conversionem, orationem, eleemosynam, ieiunium monentur, imo obligantur, eum in finem, ut se ad communionem cum Deo obtinendam praeparent. Atqui Deus neminem ad peccandum provocat et hortatur. **R.** Ut opus aliquod moraliter honestum ponatur, satis est *scientia normae ethicae et liberum arbitrium.* Atqui ex doctrina catholica ea per peccatum originale non sunt extincta (1II 18, 4; 72, 1; § 50, 4).

DIFF. 1. «*Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere*» Mt 7. — RESP. Eiusmodo effatis, uti sunt etiam: «Nemo potest duobus dominis servire» Mt 6; «qui non est mecum, contra me est»; «qui non colligit mecum, dispergit» Lc 11 Christus d. non quomodo iudicanda sint opera et intentiones singulorum docet, sed ad qualem perfectionem et animi fortitudinem in regno caelorum adnitendum sit, adversus pharisaeos et sadducaeos inculcat. Quomodo vero homines in concreto ab eo iudicentur, ostendit, ubi discipuli quendam prohiberent a daemoniis eiciendis, «quia non sequitur nobiscum». Dicit enim Dominus: «Nolite prohibere; qui enim non est adversum vos, pro vobis est» Lc 9; item scribae pluris habenti mandatum caritatis quam sacrificia dicit: «Non es longe a regno Dei» Mc 12. Ergo agnoscit Dominus etiam opera bona non e caritate perfecta provenientia.

2. *Augustinus*, cui insistunt ianseniani, dicit : «*Regnat ibi carnalis cupiditas, ubi non est Dei caritas*» (Enchir. 117, 31) ; item : «Quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat sine caritate, nullo modo fiet bene» (Gr. lib. arb. 18). — RESP. *a)* Augustinus, sicut ipse Christus d. in supra dictis, *exemplar et normam perfectionis christianae* in omnibus prosequitur, et vitae interioris peritus ut erat, optime novit neminem diu stare posse tepidum, sed si non toto corde sequatur Christum, mox ad diabolum deficere atque in peccata prolabi. Sed optime novit reapse semper multos existere non penitus peccatores : «Ad salutem nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cuiuslibet pessimi invenitur» (Spirit. litt. 25, 48). *b) More platonico* Augustinus haud raro genus infimum pro specie eminenti, v. g. libertatem pro libertate paradisiaca, opus bonum pro opere meritorio, filium Dei pro perseverante ponit ; interdum etiam econtrario speciem quampiam pro genere infimo, veluti si omnem actum caritatis etiam initialis iam simpliciter caritatem vocat. Sic potuit dicere, esse peccatum quidquid sine caritate fit. Effata ergo eius ceterum polemica adversus pelagianos, caute sunt interpretanda.

THES. 2. **Non est necessaria gratia fidei ad quodvis opus moraliter honestum** ; *et ideo non omnia opera infidelium eo ipso sunt peccata. Certum.*

Damnata est etenim propositio *Baii:* «Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia».

DEMONSTR. **Scr.** In Litteris s. ethnici gravissime quidem reprehenduntur, nihilominus minime omnia eorum opera peccata habentur : Laudantur *obstetrices Aegyptiae* mulieribus Israel propitiae Ez 1 ; *Nabuchodonosor* Aegyptum praemio accipit a Deo, eo quod erat virga puniens in manu eius Ez 29. Testante Christo d. etiam gentes actus quosdam communis amoris erga proximos faciunt Mt 5, et dicente Paulo «*gentes quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt*» Rom 2. Ubi dicit : «*Quod non est ex fide, peccatum est*» Rom 14, ex contextu fides pro conscientia morali accipienda est.

Tr. A Patribus antepelagianis facultates morales gentium multis asseri, immo extolli (ab apologetis et Alexandrinis), etiam apud iansenios in confesso est. Sed neque *Augustinus*, quem suum esse opinantur, aliter censet : *Romanis* propter bona opera quaedam naturalia est collatum imperium mundanum eiusque gloria (Civ. V 12-5) ; laudanda est conversio *Polemonis* platonici ad sobrietatem (Ep. 144, 2). Sed ille experientia compertum habet virtutes ethnicorum ex defectu debitae intentionis necnon ex superbia persaepe esse reapse vitia. Deinde praetermittendum non est Augustino distinctionem statuum possibilium (§ 48, 3) nondum in promptu fuisse ; ac proinde censere potuit opera paganorum comparata cum norma status et vocationis supernaturalis, qui de facto est unicus existens, nihil valere et peccata esse. **R.** Quum infidelibus quoque praesto sit *cognitio* saltem aliqua legis moralis, neque penitus extincta sit *libertas*, non est cur eis facultas honesta quaedam agendi denegetur.

THES. 3. **Non est necessaria gratia actualis ad quodvis opus moraliter honestum,** *et ideo non omnia opera ex meris naturae facultatibus progenita eo ipso sunt peccata. Certum.*

Adversatur *Lutherus*, contra quem Trident. 6 cp 1 docet liberum arbitrium per peccatum originale minime esse extinctum, licet sit attenuatum. Praeterea damnata est propositio *Baii:* «Liberum arbitrium sine gratiae adiutorio non nisi ad peccandum valet».

DEMONSTR. **Scr.** Ubi *Paulus* Rom 2 gentes inexcusabiles dicit,

causam non ponit gratiam reiectam, sed conscientiam spretam. Ubi vero hominum mens et cor ad peccandum tantum intentum esse dicitur (v. c. Gen 6, 5), moraliter id et pro ordine supernaturali dicitur. **Tr.** Ad Patres antepelagianos quod attinet, tantum abest ut thesim nostram negent, ut etiam iusto plus quandoque liberum arbitrium celebrent. Et si *Augustinus* nonnunquam ita loquitur, quasi liberum arbitrium per peccatum originale extinctum sit, et si post eum Caelestinus I. et *Araus.* II. doceant hominem «de suo non habere nisi mendacium et peccatum», animus referendus est ad ea, quae supra de modo loquendi platonico, nec non de neglecta distinctione statuum possibilium, item de experientia psychica Augustini dicta sunt. Ceterum ipse etiam ad finem vitae professus est : «Semper est autem in nobis voluntas libera» (Gr. lib. arb. 15, 31). **R.** Si *rationalis hominis natura per peccatum non est penitus corrupta,* sequitur adesse facultatem saltem in levioribus actus legi morali cognitae conformare, veluti sunt grato animo esse, verum dicere, coniugem et pueros amare ; quae interdum sunt faciliora, quam mala opera contraria.

QUAEST. *Potestne homo absque adiutorio gratiae perfecte diligere Deum?* — Antiqui cum Thoma (1II 109, 3) amorem perfectum pro amore super omnia accipientes plerumque negabant id in statu naturae lapsae absque gratia medicinali fieri posse, Duns Scoto affirmante. Recentiores vero distinguunt inter amorem Dei effective et affective summum ; et amorem *effective* summum absque gratia possibilem esse communiter negant, quandoquidem idem esset atque totam legem moralem diutius servare, quod communiter impossibile dicitur (supra n. 2) ; amorem *affective* summum vero saltem pro breviore tempore etiam sine gratia possibilem esse probabilius docent.

ADDIT. *Vasquez* docuit in praesenti salutis ordine impossibile esse cuicunque aliquod opus bonum perficere absque gratia Christi. Ut autem doctrinam Baii damnatam declinaret, asseruit existere etiam actus moraliter indifferentes, sicut ante iam Scotus censuerat ; gratiam vero ad quodcunque opus honestum necessariam esse cogitationem congruam voluit, quae entitative est in ordine naturali. Sententia haec a theologis communiter reicitur ea potissimum de causa, quod gratiae sensum a communiter recepto alienum tribuit. *Ripalda* (De ente supernat. 20, 2) eo mitigavit Vasquesii doctrinam, ut quodvis opus honestum etiam ethnicorum a gratia entitative supernaturali praeveniatur, ita ut opera bona absque gratia sint quidem possibilia, sed reapse non fiant. Rationes : ordo praesens est supernaturalis, ita ut a Scriptura et Augustino omnia opera vere bona in eodem quasi numero habeantur ; deinde providentia omnes, etiam ethnicos complectitur. Hanc opinionem, cui non videtur deneganda aliqua probabilitas, *Palmieri* ad opera bona fidelium restringit.

§ 71. Efficacia gratiae et liberum arbitrium.

Statuitur 1. propositio Ecclesiae ; deinde 2. quid scholae theologorum in hac materia senserint.

1. Propositio Ecclesiae. — THES. 1. **Existit gratia efficax, seu talis cui voluntas infallibiliter assentitur.** *De fide.*

Negatur a pelagianis, qui liberum arbitrium potentiam prorsus in-

differentem nulli potestati subiectam neminique parentem habent. Contra eos thesis ab Ecclesia proponitur, ubi Deus nostrae salutis vel bonorum operum nostrorum auctor edicitur v. g. Trid. 6 c. 4.

DEMONSTR. **Scr.** «*Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini; quocunque voluerit, inclinabit illud*» Prov 21 ; «*Auferam cor lapideum de carne vestra et dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri; et faciam, ut in praeceptis meis ambuletis et iudicia mea custodiatis*» Ez 36. Christus d. saepius de gratia perseverantiae finali loquitur, quae certo est efficax ; item Apostolus laetatur, quod gratia Dei in eo vacua non fuerit 1 Cor 15. **Tr.** Iam *Tertullianus* gratiam fortiorem naturā esse praedicat, utpote quae etiam ex lapidibus filios Abrahae suscitare possit (Anima 21). *Augustinus* gratiae efficaciam ita extollit, ut quandoque libertatem negare videatur ; «auxilium quo» ipsius nihil est nisi gratia efficax (cf. infra thes. 3). *Ecclesia orat:* «Ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates» (sabb. post dom. IV. quadr.).

R. *Fiunt opera salutaria;* atqui propter gratiae necessitatem non sine gratia fiunt. Ergo existit gratia, quae effectum sortitur. Quia autem gratia est donum Dei, et Deus omnia quae in tempore dat, ab aeterno in individuo determinavit, ergo tales gratiae ut efficaces ab aeterno determinatae erant, et igitur infallibiliter effectum suum assequuntur ; Dei enim voluntas determinata ad verum perducitur.

THES. 2. **Voluntas sub gratiae etiam efficacis motu libera manet.** *De fide* ex Tridentino.

Docuit *Lutherus* hominem post lapsum protoparentis esse veluti lapidem vel truncum mere passive a Deo agitatum ; esse quasi iumentum, cui modo Deus modo diabolus insidens quorsum vult vehitur. Ex Calvini opinione mansit quidem homini vitalitas post peccatum, sed extincta est libertas, quae ne gratiā quidem excitari potest. Contra quos Trid. 6 c. 4 definivit : «*Si qu. d. liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac praeparet, neque posse dissentire, si velit;* sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, *a. s.*» E mente *iansenistarum* libertas per peccatum non est quidem exstincta, sed tamen certo delectationi terrestri succumbit, nisi superetur a delectatione victrici caelesti. «Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur», et «semipelagiani in hoc tantum errarunt, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere et obtemperare» (prop. Iansenii damnatae 2. et 4.).

DEMONSTR. **Scr.** Litterae s. pro suo concreto loquendi modo utrumque asserunt, et efficaciam gratiae, et libertatem conaminum humanorum : «*Convertimini ad me, et ego convertar ad vos*» Zach 1. Eodem modo Christus d.: Beatitudo caelestis est denarius, quem Deus cui vult largitur ; tamen est merces bonae negotiationis (parabola operariorum in vinea et talentorum). Apostolus : «*Gratia autem Dei sum id quod sum; et gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum*» 1 Cor 15. «Voluntati eius quis resistit?» Rom 9 ; et tamen omnibus epistulis hortatur fideles, «*ne in vacuum gratiam Dei* reciperent» 2 Cor 6. Salus non est quidem currentis, sed miserentis Dei Rom 5 ; et tamen hortatur : «*Sic currite, ut comprehendatis*» 1 Cor 9.

Utrumque sic complectitur : «*Cum metu et tremore vestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere*» Phil 2.

Tr. Patres antepelagiani fatente etiam Calvino (Instit. II 3, 10) nostram thesim profitentur. Ita etiam *Augustinus* ante Pelagium. Postea voluntatem divinam salvantem eiusque efficaciam acriter quidem asserit, quin tamen libertatem neglegat. Immo sub fine vitae (a. 426 vel 247) librum De gratia et libero arbitrio edidit adversus eos, «qui sic defendunt gratiam ut auferant libertatem». Quod falsum est omnino : «Neque enim voluntas arbitrii ideo tollitur, quia iuvatur ; sed ideo iuvatur, quia non tollitur» (Epist. 117). Praedicat et ipse doctrinam fundamentalem Litterarum s.: Per gratiam homines «aguntur ut agant, non ut ipsi nihil agant» (Corr. gr. 4, 31). Imo : «*consentire vocationi Dei vel dissentire propriae voluntatis est*» (Spirit. litt. 34). Vim dominantem concupiscentiae post lapsum protoparentis affirmat quidem et luctantes inter se delectationem terrestrem atque caelestem praedicat, quarum alterutra experientia teste mox victoriam consequetur : «*Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*» (in Gal 5, 49). At ex Augustini mente delectatio ea evadit victrix, cui voluntas assentitur ; ergo ad delectationem deliberatam, non sicut iansenistae ad indeliberatam, Augustinus animum refert (Confess. VIII 8, 20).

R. *a)* Gratia est *motio divina;* atqui Deus omnia secundum naturam suam ita movet, ut necessaria ad necessario, libera ad libere agendum impellat. *b)* Si gratiā libertas tolleretur, nulla iam esset ratio mandatorum, exhortationum, meriti, seu totius *ordinis moralis supernaturalis. c)* Doctrina Iansenii de delectatione victrici *psychologice* est falsa. Saepe enim bonum ex timore paenae vel ex officii conscientia etc. operamur. Praeterea quomodo protoparentes et angeli peccare potuerunt nullam sentientes delectationem victricem terrenam?

THES. 3. **Existit gratia vere et mere sufficiens.** *De fide.*

EXPLIC. Gratia vere sufficiens est, quae veram potentiam perficiendi opus salutare praestat, idque vel immediate et proxime : gratia *proxime sufficiens;* vel vero remote, gratiam orationis imprimis conferendo, qua ulteriores gratias necessarias impetrare possumus : gratia *remote sufficiens;* cui tamen voluntas reapse non assentitur, et ideo est mere sufficiens, non vero efficax. Id negant *praedestinatiani*, qui gratias efficaces tantum admittunt ; deinde *iansenistae*, qui delectationem caelestem vel victricem esse asserunt seu efficacem ; vel vero parvam, superatam a delectatione terrena et tunc non vere sufficientem. Ex quo intellegitur illa propositio ianseniana damnata (ab Alexandro VIII. a. 1690 ; *D* 1926) : «Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere : a gratia sufficienti libera nos Domine». Thesis nostra definitur a Trid. 6 c. 4 (supra th. 2.).

DEMONSTR. **Ser.** Deus multa nobis dat mandata ; atqui repugnat sanctitati atque gravitati Dei, ut mandata iniungat, quibus implendis non subiungat vires. Et revera ipse Dominus dicit : «*Quid est, quod ultra debui facere vineae meae, et non feci? An quod expectavi, ut faceret uvas et fecit labruscas?*» Is 5. Christus d.: «*Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti!*» Mt 25. Stephanus protomartyr : «*Dura cervice et incircumcisis auribus et cordibus,*

vos semper Spiritui s. resistitis, sicut patres vestri ita et vos» Act 7. Paulus : «*Spiritum nolite extinguere*» 1 Thes 5 ; «*Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*» 2 Cor 6. **Tr.** Patres antepelagiani catholice sentiunt, ut iansenistae quoque admittunt. Sed *Augustinus* quoque, quem patronum suae sententiae appellant, docet, ut vidimus in praecedenti thesi : vocationi Dei consentire vel dissentire voluntatis propriae est. Deinde monet neminem posse excusari se non accepisse gratiam perseverantiae ; per eam enim quam accepit, posset perseverare, si vellet (Corr. gr. 7).

R. *a) Deus omnes homines severe vult salvos fieri;* ergo eis gratias necessarias largitur (cf. § 72). Atqui non omnes salutem consequuntur ; ergo non omnes gratiae, utut sufficientes, effectum sortiuntur ; sunt ergo mere sufficientes. *b)* Deus in ordine supernaturali non minus providet homini, quam in ordine naturali. Atqui in ordine naturali dat omnibus entibus facultates et potentias moraliter sufficientes ad connaturaliter operandum. Ergo idem praestat et in ordine supernaturali, ubi facultas moraliter sufficiens ad agendum recte est gratia sufficiens. — Ex quo efficitur : *Gratia vere et mere sufficiens non est inutilis.* Etenim confert vel veram potentiam hic et nunc salutariter orandi, vel perficiendi actum salutarem praescriptum hic et nunc ; et frustratur tantummodo voluntate hominis. Neque contemptibilis esse potest beneficium, quod Dominus israelitis cum vinea comparatis dederat, et illud quod Christus d. lacrimans super Ierusalem animo revolvit.

DIFF. 1. «*Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere*» Phil 2. «*Voluntati eius quis resistit?* Rom 9. — RESP. Gratia ita voluntatem nostram circumvenit, ut possimus recte et salutariter velle ; at si tolleretur libertas arbitrii, non iam possemus recte velle. Voluntati Dei consequenti (§ 72, 2) utique non resistitur.

2. Docet *Augustinus:* «Subventum est infirmitati voluntatis humanae, ut *divina gratia indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur*» (Corrept. gr. 12, 30) ; deinde «*adiutorium quo*» ab eo pro statu lapso postulatum est gratia cui nunquam resistitur. — RESP. Quae Augustinus adversus pelagianos polemice et ideo consideratione manca quodammodo et nimia dixit, ad trutinam aliorum dictorum sunt moderanda, uti sunt supra de libero arbitrio commemorata. Re vera docuit ante lapsum propter integritatem homini adfuisse solum «adiutorium sine quo non» potuit perseverare, quod voluntati integrae ac sanae satis fuit ad perseverandum (Corr. gr. 12, 37 ; Iul. imperf. VI 15 etc.). In statu lapso vero voluntas sauciata necesse habet «adiutorium quo» possit stare. Ergo tota distinctio haec in gratia perseverantiae versatur; alias quoque gratias alibi multas enumerat, etiam tales, quibus potest voluntas lapsa quoque reluctari (Simpl. qu. I 2, 13 ; Spir. lit. 34, 60 ; Corr. gr. 7, 11 etc.).

2. Systemata scholarum *de concordia gratiae et liberi arbitrii* quaerunt *a)* unde gratia efficax vim illam obtineat, qua infallibiliter trahat voluntatem ; idque eo modo ut *b)* voluntas sub motu gratiae efficacis libera maneat ; *c)* quomodo gratia vere sufficiens possit existere praeter efficacem et quomodo ab ea distinguatur ? Praecipua responsa sunt thomistarum et molinistarum, quibus accedit augustinianismus et syncretismus.

1. **Thomismus.** E thomistarum sententia gratia sufficiens est virtus supernaturalis transiens elevans atque perficiens animae facultates ut actus indeliberatos, uti cogitationes, illuminationes repentinas pias pios-

que afflatus et affectus, elicere possint ; gratia efficax vero est nova virtus supernaturalis praedeterminatione physica supernaturali facultates per actus indeliberatos iam praeparatos ad ipsum actum salutarem seu assensum liberum immediate applicans. Gratia efficax est ergo *entitative alia atque sufficiens;* est *efficax ab intrinseco*, et infallibiliter effectum sortitur, quia est instrumentum voluntatis divinae absolutae praedeterminantis assensum salutarem. Voluntatis libertatem tamen non destruit, utpote movens arbitrium ad actum secundum suam naturam seu libere ponendum. Auctor huius systematis post Capreolum est D. *Bañez*, qui cum Alvarez, Lemos, Ioanne a s. Thoma et Salmanticensibus scholam antiquiorem rigidiorem constituunt, quum recentior : Goudin, Graveson, Billuart mitius sentiat ; Gonet, Gotti, Massoulié viam mediam tenent.

2. **Molinismus.** Ludovicus *Molina* gratiam actualem in actibus indeliberatis assensum voluntatis praecedentibus reponens docet his actibus supernaturaliter excitatis facultates humanas sufficienter ac proxime praeparari ad actum salutarem ponendum : gratia sufficiens ; ita ut voluntas assensum iam praestare possit, si velit ; quod si faciat, gratia erit efficax. Gratia sufficiens et efficax ergo non entitative distinguuntur ; sed eadem gratia modo est sufficiens, modo efficax secundum voluntatis assensum : gratia efficax *non ab intrinseco seu entitative, sed ab extrinseco, ab effectu.* Quia tamen non omnes gratiae sufficientes neque omnes voluntates humanae eaedem sunt, uni eidem gratiae haec voluntas assensum praestabit, illa denegabit ; sed inter multas gratias possibiles semper sunt tales, quibus aliqua voluntas hic et nunc certo assentietur. Deus ergo per scientiam mediam praevidens, quid voluntas quaeque si aliquam gratiam acciperet, factura esset, potest tales gratias dare, quibuscum voluntas infallibiliter cooperetur ; et ita efficacia infallibilis gratiae tuta omnino redditur.

Quandoquidem hoc modo efficacia gratiae a voluntate hominis repeti videtur, quum tamen Scriptura, Augustinus et concilia Deo eam tribuant, Bellarminus, *Suarez*, Vasquez, Lessius eam gratiam habent efficacem, quae accuratius adaptatur circumstantiis specialibus hominis, cui destinatur : *gratia congrua.* Alia est *incongrua*, quae entitative quandoque maior est quam congrua, et ideo in se considerata semper dat posse ; gratia vere sufficiens ; sed spectatis circumstantiis personae agentis ut minus adaptata non obtinet effectum : mere sufficiens ; sicuti David non in armis Saul, utut melioribus, sed in funda et in propriis vestibus sibi convenientibus Goliath prostravit. Gratia efficax ergo a sufficienti non entitative, sed in actu primo, ab Auctore gratiae, qui eam congruam tribuit, «in ratione beneficii» distinguitur. Hunc deinde congruismum Claudius *Aquaviva* minister generalis theologis Societatis Iesu a. 1613 praescripsit ; at nunc eos iam non obligat (Lahousse : De gr. n. 215).

DIACRISIS. Utrumque systema egregie quaedam statuit, sed et difficultatibus haud mediocribus utrumque premitur. Quae propter gravitatem systematum istorum diligentius ponderanda sunt.

Thomismus optime explicat gratiae efficacis vim, et partes primas

easque supremas Deo in opere salutis tribuit, prout Paulus, apostolus gratiae et Augustinus, doctor gratiae postulant. Sed praedeterminatione supernaturali (sicut concursu naturali praevio) multis *liberum arbitrium* deprimere videtur, et *reprobationem negativam*, doctrinam durissimam continet (§ 73, 3). Praeterea *gratia sufficiens thomistarum* non videtur esse vere sufficiens ; siquidem novum auxilium requiritur, ut voluntas reapse moveatur ad opus salutare. Ad quam difficultatem schola antiqua respondet : façultates per illam gratiam vere adipisci potentiam agendi salutariter, etsi potentia in actum non deducatur nisi novo auxilio ; etiam in ordine naturali adest necessitas applicandi potentiam in se iam completam ad actum. Recentiores addunt : omnibus qui gratiam sufficientem acceperant, efficacem quoque praeparari,quae non denegabitur, nisi ex obice a sola voluntate humana posito.

Molinismus e contra gratiae sufficientiam veram nec non arbitrii libertatem in opere salutis alacriter asserit. Sed efficaciam gratiae contra mentem s. Pauli et Augustini *iusto plus voluntati humanae dat* eamque Deo causae primae in momento praecipuo subtrahere videtur. Denique tota theoria in doctrina difficillima *scientiae mediae* innititur. Neque praetermittendum est *gratiam incongruam* congruistarum non magis esse sufficientem, quam est gratia inefficax thomistarum. Tota demum quaestio eo redit, cur Deus non omnibus provideat gratias efficaces saltem in articulo mortis, vel cur non talem rerum ordinem statuat, ubi omnibus gratiae congruae obveniunt. Quam quidem difficultatem neutrum systema solvere potest (cf. § 73, 3).

Ceterum utrumque systema est catholicum. Paulus V. quum *congregationem de auxiliis* a. 1597 a Clemente VIII. ad rem decidendam institutam post disputationes inutiles decem annorum tolleret, utrique parti severe imposuit, ne censuris se invicem petant (molinismus = pelagianismus, thomismus = calvinismus) ; Benedictus XIII. et Clemens XII. thomismum ab insimulatione iansenismi defendebant. Uter sit probabilior, dictum est, ubi de medio in quo Deus conditionate futura cognoscit, necnon ubi de concursu divino explicabatur. — *Opera* praecipua de historia thomismi et molinismi : *Th. Lemos:* Acta omnia congregationum et disputationum de auxiliis divinae gratiae 1702 ; *L. Meyer:* Historiae controversiarum de divinae gratiae auxiliis 1705 ; Historiae . . . vindicatae 1715 ; *Th. Règnon:* Bannez et Molina 1883.

3. **Augustinianismus** patronos habet theologos augustinianos s. 17. (§ 21, 3) et hunc in modum docet : *In statu naturae integrae* homo possedit «adiutorium sine quo non» agitur salutariter, quo pro arbitrio uti potuit vel non ; haec «gratia versatilis» ergo erat sufficiens. In statu naturae *lapsae* invaluit delectatio terrestris seu concupiscentia, quae non potest superari, nisi delectatione caelesti victrici, seu gratia efficaci, quae non qualitative, sed gradu tantum differt a delectatione non victrici seu mere sufficienti ; et non physice sed moraliter idque certitudine morali trahit voluntatem : «*trahit sua quemque voluptas*».

Haec doctrina hodie communiter *reicitur*. Etenim *a)* gratia efficax huius systematis utpote moraliter movens non est infallibiliter efficax. *b)* Psychologice non est verum hominem etiam in supernaturalibus non moveri nisi delectatione (cf. § 70, 4). *c)* Augustinus non potest invocari patronus huius sententiae iam vel ideo, quia ex eius mente gratia non est ipsa delectatio caelestis, sed est eius causa. (Simpl. qu. I 2, 21 ; Nupt. concup. I 30, 33).

4. **Syncretismus.** Auctores sunt doctores *sorbonnenses* s. 18.: Is. Habert, Ysambert, Duplessis d'Argentré, Tournely, deinde Thomassinus, s. Alphonsus Liguori, ex recentioribus Knoll, Katschthaler. Hi distinguunt *opera*

salutaria faciliora et difficiliora. Facilium principale est *oratio.* Ad salutariter orandum sufficit et datur gratia efficax ab extrinseco, quacum cooperando homo ad opera difficilia accipit gratiam efficacem ab intrinseco, cuius efficientia ad modum augustinianismi accipitur.

Haec quoque sententia communius *reprobatur. a)* Syncretistae *et scientiam mediam et praedeterminationem physicam reiciunt,* et ideo non habent, unde efficaciam infallibilem gratiae efficacis repetant. *b)* Opera faciliora et difficiliora non sunt diversi generis, et ideo non videtur cur ad utramque gratia diversi generis requiratur. *c)* Syncretismus utpote ex omnibus systematis consutus omnium quoque difficultates contrahit. Ceterum et syncretismus et (explicite id declarante Benedicto XIV.) augustinianismus theologice liber est.

§ 72. Oeconomia gratiae.

Statuitur 1. gratuitas, 2. universalitas gratiae.

1. Gratuitas. — THES. 1. **Homo non potest mereri gratiam primam.** *De fide* Araus. II. et Trident.

Adversantur *pelagiani,* qui per opera bona quamcunque gratiam stricte (de condigno) mereri posse contendebant, et *semipelagiani,* qui saltem initium fidei propriis viribus hominis deberi asserebant. Definivit Araus. II. c. 18 : «*Debetur merces bonis operibus si fiant; sed gratia, quae non debetur praecedit, ut fiant*». E Tridentini (6 cp 5) doctrina iustificationis exordium in adultis a Dei praevenienti gratia sumendum est, hoc est ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur.

DEMONSTR. **Scr.** Rom ex asse exponit gentibus iustificationem non ex natura, iudaeis vero non ex lege esse factam, sed esse liberum donum Dei : «*igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*» Rom 9. Id quod ipsum gratiae nomen indicat : «*Si autem gratia, iam non ex operibus; alioqui gratia iam non est gratia*» Rom 11 ; «*Gratia enim salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis; Dei enim donum est, non ex operibus, ut nequis glorietur*» Eph 2. Si ergo in parabola Mt 25 dicitur alii data esse quinque alii duo alii vero unum talentum, «*unicuique secundum propriam virtutem*», propria virtus occasio, non causa fuit Deo ad talenta in hunc modum distribuenda.

Tr. Patres antepelagiani confidentius saepe disserunt. Sed quum fidelibus loquantur, gratiam praevenientem plerumque subintellegunt ; et Pelagium thesim nostram explicite negantem in *synodo Diospolitana* a. 415 uno ore condemnabant. S. *Augustinus* deinde adversus Pelagium alacriter asserit hanc veritatem iam inde ab a. 397 professam : «*Gratia non invenit, sed efficit merita*» (in Jn 86). «Non enim gratia Dei erit ullo modo, nisi gratuita fuerit omni modo» (Pecc. orig. 24). **R.** *a)* Si homo ex propriis posset mereri gratiam primam, *totam salutem propriis viribus acquirere posset;* namque omnibus fatentibus ope gratiae primae ulteriores gratias aliquo modo mereri potest. At hoc absolutae necessitati gratiae repugnat. *b) Opera naturalia nullam proportionem ad finem supernaturalem habent;* deest ergo fundamentum meriti : internum pretium operum naturalium (1 II 114, 2. 5).

THES. 2. **Homo non potest gratiam primam oratione infallibiliter impetrare.** *Certum.*

Araus. II. contra semipelagianos docet per invocationem humanam

(i. e. naturalem) gratiam Dei non posse conferri, immo ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis. Oratio ergo hic non ut opus bonum et proinde meritorium; sed reduplicative, ut oratio seu ut impetrationis instrumentum misericordiam appellans sumitur.

DEMONSTR. **Scr.** Affirmat quidem Christus d. : «Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis» Jn 16. Sed ut quid in nomine Iesu petatur, iam gratia efficit : «*Nemo potest dicere: Dominus Iesus, nisi in Spiritu s.*» 1 Cor 2 ; et explicite : «*Quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*» Rom 8.

Tr. His locis innixus s. *Augustinus* in opere De dono perseverantiae thesim ex professo defendit ; item *Prosper* Aquitanus Contra Collatorem. **R.** *a)* Deest proportio inter orationem naturalem et gratiam supernaturalem; atque ideo nullus nexus causalis inter utramque intercedere potest. *b)* Absque Dei gratia ignoramus supernaturalia ; ergo neque petere ea possumus. At quum oratio formaliter non iustitiam vel aequitatem sicuti meritum appellet, sed misericordiam, per se *non est impossibile ut in aliquo ordine salutis orationi naturali effectus supernaturales infallibiliter adiungantur.* Quod autem non valet in praesenti ordine, ut *Scotus* asseruerat.

THES. 3. **Homo naturalibus viribus non potest se positive ad gratiam recipiendam disponere.** *Commune.*

Adversantur *augustiniani*, qui censebant ex providentia Dei ordinaria, *ex decentia Creatoris* deberi homini in statu lapso gratiam actualem, ergo esse hominem saltem passive dispositum ad gratiam, sicut terra arida ad pluviam. Gravius errarunt in eadem materia iansenistae gratiam ad naturae integritatem pertinere asseverantes, ac ideo hominem absolute esse dispositum, immo exigere gratiam. — DEMONSTR. Ex doctrina Scripturae et Patrum antea commemorata *gratia est donum Dei absolute gratuitum.* Atqui si homo positive se disponere posset, gratia iam non ex mera Dei liberalitate, sed quadamtenus ex hominis opere daretur. Etenim inter dispositionem positivam utpote modum realem, quo subiectum aptum fit ad formam recipiendam, et inter ipsam formam proportio seu aequalitas aliqua interna intercedit. Ergo actum esset de absoluta supernaturalitate gratiae in hoc casu.

THES. 4. **Homo viribus naturalibus potest se negative disponere ad gratiam.** *Communius.* — DEMONSTR. Negative quis ad gratiam recipiendam disponitur, si omnem obicem quoad eius fieri potest removet: peccata vitat, passiones refrenat, pietatem naturalem colit. Maxime *convenit sapientiae Dei*, ut in gratia largienda talem aptitudinem imprimis respiciat ; neque censendum est *angelos, protoparentes, Christi humanitatem* ante elevationem fuisse positive indignos ad gratiam habendam. Sed utique convenit maiestati Dei, ut hac lege non contineatur, quominus gratiam positive indignis quoque conferat. Et vetat absoluta gratuitas gratiae propositionem ita intellegi, ut cum dispositione negativa gratiae largitio causaliter, infallibiliter, exclusive coniungatur.

ADDIT. Sensus catholicus illius axiomatis theologorum : «*Facienti quod est in se Deus non denegat gratiam*». 1. Facienti *cum gratia prima*, Deus non denegat gratias ulteriores (scholastici antiquiores ; 1II 112, 3 ad 1) ; ita verum est. — 2. Facienti = *positive se disponenti;* ita falsum est. — 3. Facienti = *disponenti se negative* Deus *ex lege infallibili et exclusiva causaliter* seu respectu illius dispositionis non denegat gratiam ; sic falsum

est utpote gratuitati gratiae inimicum. — 4. Facienti = *non ponenti obicem* potentiae obedientiali Deus pro sua voluntate universali salvifica *ex mera misericordia et sapienti convenientia* confert gratiam ; hoc sensu probabilius verum est, ut thesi 4. statuimus.

2. Universalitas. — THES. **Deus voluntate antecedenti et conditionata omnes homines vult salvos fieri.** *De fide.*

EXPLIC. Voluntas Dei salutem hominum intendens considerari potest *antecedenter ad hominum cooperationem liberam:* voluntas Dei prima seu antecedens, qua Deus ex thesi vult omnium salutem, si et ipsi velint, seu si cum gratiis ad eum finem datis cooperentur ; est ergo *conditionata.* Si consideratur consequenter ad liberam cooperationem, est *secunda seu consequens,* quae iam liberam singulorum cooperationem vel etiam non-cooperationem complectitur, et ideo est absoluta voluntas salvandi iustos et damnandi peccatores obstinatos : *praedestinatio et reprobatio.* — Thesi quae ad voluntatem Dei antecedentem spectat, adversantur *praedestinatiani,* Gottschalcus et Scotus Eriugena a synodo Carisiacensi (853) et Valentina (855) in Gallia damnati et imprimis *Calvinus,* docentes quosdam (vel ante lapsum protoparentum consideratum : supralapsarii ; vel vero cum respectu ad lapsum : infralapsarii) ad damnum aeternum destinatos esse a Deo, atque ideo neque unquam serio obiecta voluntatis Dei salvificae fuisse, neque gratiis veris donatos. Contra eos Trident. 6 c. 17 statuit : «*Si quis iustificationis gratiam non nisi praedestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere utpote divina potestate praedestinatos ad malum, a. s.*»

DEMONSTR. **Scr.** Docente Gen 15 in Abraham benedicendae erant omnes gentes terrae ; ulteriores libri Moysis et ceteri libri historici antiquiores ad solum Israel animum referunt ; prophetae deinde iterum universalitatem salutis per populum electum faciendae praedicant : «*Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae*» Is 49 ; imprimis Ion. Idem repetunt Sapientiales: «*Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter paenitentiam. Diligis enim omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti*» Sap 11. — *Christus d.* ad filios qui perierant Israelis erat potissimum missus, nihilominus centurionem, mulierem chananaeam, tyrios et sidonios, gerasenos, decapolitanos, hellenos libenter suscipit, in parabola de bono pastore nuntiat gentibus quoque salutem suam parari, et ante ascensionem apostolos mittit, ut omnibus gentibus praedicarent. — Secundum Paulum «*non est distinctio iudaei et graeci; nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant eum*» Rom 10. «*Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus . . . Hoc enim bonum est et acceptum coram salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator . . .*» 1 Tim 2.

Tr. Mentem Ecclesiae antiquae ex fervore colligere licet, quo *evangelium gentibus* praedicare pergebat. Ante Augustinum Patres multis etiam explicite doctrinam hanc profitentur. Ita etiam *Augustinus,* illud 1 Tim 2 supra laudatum adhuc in opere De spiritu et littera (33, 58) a. 412 ad voluntatem Dei salvificam universalem referendo. *Adversus pelagianos* autem, imprimis in opere De dono perseverantiae (11, 25-7) talia habet,

quae particularismum sapiunt : Ab aeterno sunt quidam a Deo electi (tot quot angeli erant lapsi), quibus gratiae conferuntur, ceteris ut massa damnata relictis, praedestinatis non quidem ad culpam, utique autem ad paenam et mortem. Ex eo tempore illud 1 Tim 2 vel ita accipit : Deus vult omnes homines salvos fieri, qui reapse salvantur ; vel ex omnibus generibus hominum quidam salvandi sunt. Multi largiuntur Augustinum hac in materia talia docuisse, quae ab Ecclesia nunquam approbata sunt, neque approbari possunt ; potuit et ipse semel dormire. Aliis autem durum videtur doctorem gratiae in materia tam gravi a veritatis tramite aberrasse et probabiliter monent *a)* Augustinum pristinam suam interpretationem in opere De spiritu et littera datam nunquam, ne in Retractationibus quidem revocasse ; *b)* In Enchiridio (27, 103) dicit velle se accedere qualicunque interpretationi, dummodo credere non cogatur «aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, quod deinde factum non sit». Ergo in ulterioribus illis operibus particularismum sapientibus de voluntate Dei non antecedenti sed consequenti tractare videtur contra pelagianos, qui salutem radicitus ex hominis arbitrio pendere asserebant. **R.** Universalis voluntas salvifica Dei colligitur *ex universali necessitate gratiae.* Si enim absque gratia impossibile est agere aliquid Deo probatum, sanctitati Dei repugnat denegari quibusdam possibilitatem placendi Deo ; quod autem in ordine praesenti idem est atque velle eorum salutem.

COROLL. *Deus omnibus adultis gratiam saltem remote sufficientem confert.* Namque severe vult omnes salvos fieri. Qui autem vult finem, vult etiam media. Atqui in praesenti salutis ordine medium salutis absolute necessarium est gratia saltem remote sufficiens. Ergo. Hoc corollarium adversus errores per partes proponitur.

1. **Deus iustis dat gratiam sufficientem ad mandata servanda.** *De fide* adversus iansenistas.

EXPLIC. Propositio 1. *Iansenii:* «Aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus et conantibus secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia ; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant» damnata est ut haeretica utpote repugnans Arausicano II. et Trid. 6 c. 18. Gratia in thesi accipienda est non efficax, sed sufficiens, idque saltem remote ; dein : urgente praecepto in promptu constituta, sufficiens ad servanda praecepta seu ad vitanda peccata gravia, non vero ad actus heroicos.

DEMONSTR. **Scr.** Deus praenuntiat in V. T. : «*Et spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam ut in praeceptis meis ambuletis et iudicia mea faciatis*» Ez 36. Christus d. dicit : «*Iugum meum suave est et onus meum leve*» Mt 11. Apostoli : «*Haec est caritas Dei, ut mandata eius custodiamus, et mandata eius gravia non sunt; quoniam omne quod natum est ex Deo, vincit mundum*» 1 Jn 3. «*Fidelis autem Deus est, qui non patiatur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere*» 1 Cor 10. **Tr.** Iansenistae proferunt testimonia quorundam Patrum (Hilarii, Chrysostomi et Augustini imprimis) *negationem Petri* defectui gratiae sufficientis tribuentium. At eorum mens est Petrum propter nimiam in se confidentiam amisisse gratias ulteriores. *Augustinus* dicit : «Quis dubitaverit quod Iudas Christum, si voluisset, non utique tradidisset, et Petrus si voluisset, ter Dominum non negasset» (Unit. Eccl. 9, 23). **R.** *a)* Deus a iustis *postulat ut mandata servent;* atqui iniustum esset postulare id, ad quod praestandum deest potestas. *b)* Iusti *sunt filii Dei,* quibus necessitate urgente ex fidelitate tenetur auxilium praestare.

2. **Deus dat gratiam conversionis sufficientem omnibus peccatoribus, etiam obstinatis.** *Saltem fidei proximum* quoad peccatores communes ; saltem *certum* quoad obstinatos.

EXPLIC. *Peccatores communes* sunt, qui post baptismum ex communibus causis in peccatum grave prolapsi gratiae statum amiserunt; *obstinati* qui ex obcaecatione mentis et duritie cordis, ergo ex malitia peccant (1II 79, 3; Verit. 24, 11). Lateran. IV. docet: «*Si post susceptionem baptismi quisque prolapsus fuerit in peccatum, per veram paenitentiam potest semper reparari*».

DEMONSTR. **Scr.** Litteris s. peccatores frequenter et alacriter ad paenitentiam et conversionem provocantur; quod fieri non posset, si non vigeret persuasio omnibus paratam esse gratiam conversionis. Et revera: «*Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat. Convertimini a viis vestris pessimis*» Ez 33. Christus d. parabolis tenerrimis *de ove perdita* et *de filio prodigo* peccatores ad conversionem invitat et hortatur. Secundum Petrum Dominus «*patienter agit* (μακροθυμεῖ) *propter vos nolens aliquos perire, sed omnes ad paenitentiam reverti*» 2 Pet 3. — Obstinati ex his non eximuntur; imo et explicite comprehenduntur: «*Expandi tota die manus meas ad populum incredulum*» Is 65. «*Ignoras, quoniam benignitas Dei ad paenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impaenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei*» Rom 2.

Tr. Mens Ecclesiae ex praxi reconciliandi *peccatores post paenitentiam* colligitur. Ecclesia pro omnibus peccatoribus orat (v. g. in parasceve Domini). *Augustinus* (Retr. I 19, 7) dicit: «De quocunque quamvis pessimo homine quum hac in vita constituitur, non est desperandum». **R.** *Desperatio de salute est peccatum grave* etiam peccatori vetitum; atqui si non posset sperare conversionis gratiam, deberet desperare salutem. De modo autem, quo obstinati convertantur, disputatur (1II 79, 1-4; 2II 15, 1; III 86, 1; Verit. 24, 11).

DIFF. *Induravit Deus cor Pharaonis* (Ex 7) et aliorum. — RESP. «Hinc excaecantur et indurantur, quia negando divinum adiutorium non adiuvantur» (August. in Jn 53, 10). S. Litterae pro suo loquendi modo vividiore causalitatem indirectam (permissionem) quoque terminis causalitatis directae exprimunt. In parabolis, ubi de excaecatione vel obstinatione est sermo (v. c. Mt 13) «ut» finale significationem «ut» consecutivi habet.

3. **Deus etiam infidelibus dat gratiam sufficientem ad salutem.** *Certum* contra iansenistas quosdam.

EXPLIC. Infideles de quibus thesis agit, intelleguntur *negativi*, ad quos praedicatio evangelica nondum pervenit. Infideles *positivi*, seu fidem oblatam respuentes vel aliquando possessam abnegantes, peccatoribus in hac materia aequantur, de quibus thesis praecedens tractat. Damnata est propositio *Arnaldi* iansenistae paganos, iudaeos, haereticos, aliosque huius generis homines nullum a Christo accipere influxum, item propositio *Quesnelii* fidem esse primam gratiam, et extra Ecclesiam nullam concedi gratiam (*D* 1224; 1376—9).

DEMONSTR. **Scr.** Ubi Litterae s. de voluntate Dei salvifica universali loquuntur, imprimis gentes comprehendant oportet, quippe quae, proh dolor, maximam partem generis humani hodie usque constituant. «*Gloria autem et honor et pax omni operanti bonum, iudaeo primum et graeco; non enim est acceptio personarum apud Deum*» Rom 2. **Tr.** Iam *apologetae et Alexandrini* rem ex illo Ioannis deducunt: Verbum «*erat lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*» Jn 1;

totam Patrum doctrinam de hac materia praeclare complectitur opus elegantissimum *De vocatione omnium gentium* cca. a. 450. **R.** Si Deus omnibus *finem supernaturalem* ut obligatorium proposuit, *media necessaria* seu gratias sufficientes quoque omnibus provideat necesse est (1II 89, 6).

QUAEST. *Quomodo Deus ad verum perducit voluntatem suam severam salvandi gentes?* Quum pro omnibus adultis valeat illud s. Augustini : Qui te creavit sine te, non te salvabit sine te, quum praeterea sine fide impossibile sit placere Deo Heb 11, gravis oritur quaestio, *quomodo fidem concipere possint*, quibus revelatio non est praedicata? Certum enim videtur fidem ad salutem requisitam esse formalem seu revelatione nitentem et non solum rationibus naturalibus procreatam. — *Antiqui* ponebant omnibus qui legem naturalem servant, modo etiam miraculoso exhiberi praedicationem evangelicam : per missionarium miraculose datum, per angelum vel revelationem internam. Probabilius dicitur *cum recentioribus* satis esse ad salutem fidem formalem implicitam, ad quam excitandam praesto est revelatio pristina inter gentes quoque dispersa. Quoad obiectum illius fidei omnibus necessariae valet illud s. Pauli : «Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est et inquirentibus se remunerator sit» Heb 11 (cf. L. Capéran : Le problème du salut des infidèles [2]1934).

4. *Deus infantibus quoque universalem modum salutis accipiendae praestat*, pro infantibus infidelium sacramentum naturae quoddam, pro iudaeis circumcisionem, pro christianorum infantibus baptismum instituendo (cf. § 87, 3 ; 90, 2).

§ 73. Praedestinatio.

Statuuntur 1. factum, 2. proprietates, 3. motiva praedestinationis.

1. Factum. — THES. **Existit praedestinatio.** *De fide* adversus *pelagianos* ex implicita propositione Tridentinae 6 cp 12.

EXPLIC. *Praedestinatio* est voluntas Dei salvifica consequens, et a s. Augustino definitur : «*praescientia et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur*» (Don. persev. 14, 35). Secundum Thomam est «praeparatio gratiae (utique efficacis) in praesenti et gloriae in futuro» (I 23, 2), et est vel *completa* seu adaequata : ad gratiam et ad gloriam ; vel *incompleta* seu inadaequata : vel ad gratiam, vel ad gloriam tantum. Facies aversa praedestinationis est *reprobatio*, cuius hic est conceptus catholicus : actio Dei immanens praevidens et permittens culpam et consequenter praeparans paenam.

DEMONSTR. **Scr.** «*Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*» Mt 25 ; «*Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*» Lc 12. «*Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem praedestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et iustificavit; quos autem iustificavit, hos et glorificavit*» Rom 8. Ultimam praedestinationis rationem indicat : in Christo «etiam et nos sorte vocati sumus praedestinati secundum propositum eius, qui *operatur omnia secundum consilium voluntatis suae*» Eph 1. Praedestinatio est etiam ratio ultima fidei vel infidelitatis : «*Vos non creditis, quia non estis de ovibus meis*» Jn 10. **Tr.** Patres imprimis

adversus pelagianos veritatem praedestiantionis asserunt. *Augustinus* opus scripsit De praedestinatione sanctorum eamque ut dogma Ecclesiae habet. **R.** Ad quid aliquis non potest venire per se, ad id debet ab alio transmitti. Atqui nulla creatura *finem absque ordinatione Dei* assequi potest, quae ordinatio quoad homines, seu «ratio transmissionis creaturae rationalis in vitam aeternam» est praedestinatio (I 23, 1). Eadem de causa *existit etiam reprobatio:* si qui de facto non salvantur, hoc non potest fieri absque Dei, causae primae ac universalis scientia et quodammodo etiam voluntate, sc. permissionis «Discedite a me maledicti in *ignem aeternum, qui paratus est* diabolo et angelis eius; esurivi enim, et non dedistis mihi manducare etc.» Mt 25.

2. Proprietates. — THES. 1. **Decretum praedestinationis est obiective certum et immutabile.** *Certum.*

DEMONSTR. **Scr.** «*Oves meae vocem meam audiunt; et ego vitam aeternam do eis; et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea*» Jn 10 ;» *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognovit Dominus, qui sunt eius*» 2 Tim 2. **Tr.** «Horum (praedestinatorum) si quisquam perit, fallitur Deus ; sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus» (Aug. Correpl. gr. 7, 14). **R.** Ratione id colligitur ex immutabilitate Dei (§ 27, 1).

COROLL. *Numerus praedestinatorum ab aeterno determinatus est.* Litterae d. multum loquuntur de *libro vitae* (Ap 17 ; cf. I 24 ; Aug. Civ. XX 13), unde deleri iam nemo potest. Quandoque voluntas Dei salvifica antecedens vocatur liber vitae, in quem ergo et referri et etiam ex eo deleri utique fas est.

Si nunc quaeratur : *quot sunt electi praedestinati?* Ap 5 respondet librum vitae septem signaculis signatum a nemine posse aperiri, nisi ab Agno. Sed *neque numerus relativus,* ne coniecturaliter quidem assignari potest. Secundum quosdam, «tot homines salvantur, quot angeli ceciderunt (ita etiam August. Enchir. 62), vel quot angeli remanserunt, vel quot ceciderunt et insuper quot creati sunt. Sed melius dicitur, quod soli Deo cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus, ut habet collecta pro vivis et defunctis» (I 23, 7). A quibusdam recentioribus contra multos rigidiores haud improbabiliter dicitur saltem maiorem partem catholicorum salvari, «ne dici possit cum dedecore et iniura divinae maiestatis et clementiae, maius esse imperium daemonis quam Christi» (Genér). *Non obstat* verbum Domini de paucitate electorum in fine parabolae regis filio nuptias parantis Mt 22 positum ; ex contextu enim referendum est illud ad primam parabolae partem et edicit paucos esse ex iudaeis electos ad praesens regnum messianum. Idem de iisdem verbis in parabola operariorum vineae Mt 20 dicendum : de paucitate electorum regni messiani praesentis eloquuntur illa, et nihil de numero salvandorum asserunt. De quo Christus d. explicite a quodam interrogatus : «Domine, si pauci sunt, qui salvantur?» Lc 13, nihil respondit. Cf. A. Castelein : Le rigorisme ; le nombre des élus et la droctine de la salut ²1899.

THES. 2. **Praedestinatio singulorum subiective est incerta.** *Certum.*

Calvinus poposcit, ut fideles credant se electos esse. Econtrario Trid. 6 cp 12 statuit : «Nemo quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinae praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debet,

ut certo statuat, se omnino esse in numero praedestinatorum». Etenim nisi *ex speciali revelatione* sciri non potest, quos sibi Deus elegerit. Iam vero talis revelatio specialis communiter non est facta. Nihilominus electionis sunt *quaedam signa probabilia*, e quibus cum certitudine morali electio repeti potest: octo beatitudines, spiritus orationis, conscientia pura, devotio sincera erga d. Iesum eiusque s. Matrem et Ecclesiam (cf. etiam § 76, 1).

3. Motivum praedestinationis quod attinet, res ita se habet: Salus vel damnatio aeterna ita fit, ut salvandus cum gratiis fideliter cooperetur et deinde salutem aeternam ut mercedem recipiat; damnandus vero in peccato obstinetur et pro paena accipiat damnum aeternum. Nunc quaeritur, quodnam ex duobis his momentis in consideratione aeterna Dei prius sit (logice utique, non re vel plane tempore); seu quonam motivo Deus ducatur, quando de praedestinatione vel reprobatione incompleta (ad gloriam vel paenam aeternam) agitur? Prius quid ab omnibus tenendum sit in quaestione hac ardua nimis statuimus, deinde quid theologi in materia ista senserint inspiciemus.

THES. 1. **Praedestinatio ad primam gratiam est absoluta**, seu fit, quin Deus cooperationem futuram hominis respiciat. *De fide.* — Etenim nihil aliud est atque *altera quasi facies dogmatis absolutae necessitatis et gratuitatis gratiae* adversus pelagianos et semipelagianos definiti (§ 70; 72, 1).

THES. 2. **Praedestinatio ad gratiam et gloriam est absoluta**, seu fit absque respectu meritorum eorum, qui sunt electi. *Conclusio certa.* — Etsi enim quis totum gratiarum cumulum et ipsam vitam aeternam mereretur, quum prima gratia ex thesi praecedenti sit absolute data, eaque sit principium omnium meritorum sequentium, totum salutis opus ad ultimum est gratia absolute data.

THES. 3. **Nulla est reprobatio positiva absoluta** seu destinatio quorundam ad damnum aeternum ante praevisa demerita. *De fide.* Adversantur *praedestinatiani* (iam Lucidus presbyter s. 5,, deinde fors Gottschalcus s. 9.) et novatores, imprimis Calvinus, qui docuit quosdam absque respectu meritorum vel demeritorum ad damnum aeternum et proinde etiam ad peccata esse a Deo destinata. Damnatus est a Trid. 6 c. 17 (§ 72, 2). At iam Araus. II. omni detestinatione anathema illis dicit, qui credunt «*aliquos ad malum divina potestate praedestinatos esse*».

DEMONSTR. **Scr.** «*Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum*» Sap 1; «*Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat*» Ez 33. Christus d. enuntiat reprobos propter neglecta opera caritatis et alia peccata damnandos esse. Ubi ergo Scriptura dicit «*Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum*» Prov 26, id unum asserit Dei voluntatem victricem fore etiam adversus peccatores. **Tr.** Patres praedestinatianismum antequam invaleret, damnabant. «Bonus est Deus, iustus est Deus; potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest quemque sine malis meritis damnare, quia iustus est» (Ctra Iul. III. 18, 35). **R.** Repugnat *iustitiae divinae*, ut quosdam absque intuitu peccati

damnet, neque cum severa voluntate Dei salvifica componi potest, ut quosdam ante praevisa demerita positive damnet.

Placita theologorum *de motivo praedestinationis.* — Quum in ordine executionis merita et demerita praecedant gloriam vel paenam aeternam, quaeritur utrum in ordine intentionis divinae aeque ita sit nec ne? utrum praedestinatio et reprobatio imcompleta ad gloriam vel ad infernum ante vel post praevisa merita vel demerita fiat?

Sententia communior: thomistae, augustiniani, plerique scotistae et celeberrimi congruistae uti Bellarminus, Suarez, Ruiz, Lugo, Salmeron, Estius, Billot, hunc in modum sentiunt : Deus *ante quaecunque praevisa merita* quosdam ad vitam aeternam eligit, quibus deinde consequenter gratias efficaces largitur. Ceteros quos hoc decreto non complectitur, peccare permittit, seu iis gratias efficaces non largitur, et consequenter ad praevisam obstinationem eos damnat. — Haec *reprobatio absoluta negativa* praeterquam quod voluntatem Dei salvificam praedicet et gratias sufficientes omnibus datas asserat, eo potissimum *distinguitur a reprobatione absoluta positiva Calvini,* quod habeat *tantum terminum a quo* (sc. non assumi in decretum electionis, vel : excludi e numero electorum), non vero habet terminum ad quem : ordinari ad damnum et consequenter ad peccata, ut Calvinus docet.

Rationes praecipuae huius sententiae : *a)* S. Litteris praedestinatio saepe electio vocatur, saepius etiam explicite absque intuitu meritorum facta esse edicitur, v. c. Rom 8, 28 ; Eph 1 ; *b)* est doctrina s. Augustini inde ab a. 397. *c)* Ratione suadetur : qui ordinate vult, prius vult finem quam media ad finem necessaria ; atqui salus aeterna in comparatione cum gratiis efficacibus est finis. Ergo.

Molina, molinistae plerique recentiores et quidam alii, uti Alexander Halensis, Albertus Magnus, s. Franciscus Salesius, ita censent : Deus omnibus procurat gratias vere sufficientes, quae entitative eiusdem sunt tenoris atque efficaces, et efficaciam non accipiunt, nisi a consensu voluntatis. Quum Deus decreverit hunc ordinem mundi et gratiarum, quem reapse procreavit, scientiā media praevidit, quinam cooperaturi essent cum gratiis eis destinatis, et consequenter ad hanc praescientiam, ergo *post praevisa merita vel demerita* decrevit gloriam vel damnationem.

Argumenta huius sententiae sunt : *a)* Litterae s. appellatae a sententia communiore forsitan de praedestinatione completa loquuntur, quae utique est absoluta. *b)* Idem erit dicendum de s. Augustino ; vel vero fatendum cum cl. Franzelin auctoritatem s. doctoris hac in materia non esse omni exceptione maiorem. *c)* Reprobatio absoluta negativa thomistarum non congruit voluntati Dei salvificae universali. Si enim Deus quosdam excludit ex numero electorum ante praevisa omnia demerita, hoc ipso decreto eis denegat cumulum illum gratiarum efficacium, sine quo reapse deerit eis aliquid ad salutem efficaciter petendam necessarium ; ergo Deus decreto negativo damnationis eos vult «non posse vere salvari» idque absque respectu demeritorum ; ergo non severe vult eos salvari. E contra ex sententia molinistarum unusquisque damnatorum sibi ipsi tribuat oportet suam damnationem.

DIACRISIS. *a) Auctoritas Litterarum d. et imprimis s. Augustini* sententiae communiori videtur favere.

b) Sententiae Molinae obstat α) quod scientiā media maxime nitatur ; β) quod praedestinationem in eodem numero cum reprobatione habeat, in utraque partes aequales homini dando ; quum docente revelatione reprobatio non sit opus Dei primarium, sicut est praedestinatio. Et haec fuit praecipua causa, ex qua Congregatio de auxiliis initio 90, mox 20 theses Molinae reprobandas censebat, quae utique a 1607 liberae a Paulo V. reddebantur.

c) Reprobatio negativa absoluta graviter pugnare videtur cum iustitia et sanctitate Dei ; neque cum universali voluntate Dei salvifica severa congruere videtur. Si tamen non fallitur cl. Billot, e cuius mente praedestinatio absoluta ad vitam cum reprobatione hypothetica ad mortem componi potest, tunc sententia communior erit praeferenda, cui thomistae rationes addunt, quae in eius favorem clamant in materia concursus et concordiae gratiae cum libero arbitrio.

d) Ex sententia et communiore et molinista manet quaestio, omnium gravissima, cur Deus eos elegerit et reprobaverit, qui revera salvantur et damnantur? Hoc est *arcanum praedestinationis mysterium:* «Ex duobus parvulis originali peccato pariter obstrictis cur iste assumatur, ille relinquatur ; et ex duobus aetate iam grandibus impiis cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur : inscrutabilia sunt iudicia Dei» (August. Don. persev. 21).

e) At certum est Deum voluntate severa velle omnium salutem : «Non enim amat Deus damnare, sed salvare» (August. Sermo 18). Theologorum sententiae non sunt nisi conatus explicandi, cur reapse non omnes salventur. Et si hac in re dubium non est, quin absque Deo causa absoluta prima nemo salvetur, aeque certum est *neminem nisi volentem damnari.* Ergo hinc quidem magna fiducia tenendum est illud 1 Pet 5 : «*Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis, omnem sollicitudinem vestram proicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis*»; illinc vero audiendus sapiens : «Quid si hoc scires (te perseveraturum seu salvandum esse), facere velles? Fac nunc, quod tunc facere velles, et bene securus eris!» *(Kempis* I 25).

Caput 2. De gratia sanctificanti.

Quaeritur 1. de essentia, 1. praeparatione, 3. proprietatibus, 4. fructibus gratiae sanctificantis.

§ 74. Essentia gratiae sanctificantis.

Statuuntur 1. effectus formales, 2. essentia metaphysica, 3. comitatus gratiae sanctificantis.

1. Effectus formales. — PROPOS. **Gratia sanctificans est causa formalis nostrae iustificationis.**

EXPLIC. *Iustificatio* secundum Trid. 6 cp 4 est «translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam». Huius *iustificationis causae* sunt : «*finalis* quidem gloria Dei et Christi ac vita aeterna ; *efficiens* vero misericors Deus, qui gratuito abluit et sanctificat ; *meritoria* autem dilectissimus unigenitus suus d. n. I. Christus, qui cum essemus inimici, propter nimiam caritatem qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit ; *instrumentalis* item sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam obtigit iustificatio ; demum unica *formalis* causa est iustitia Dei,

non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere iusti nominamur et sumus, iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem» (6 cp 7).

Quum causa formalis essentiam suam effectibus formalibus manifestet, *gratia sanctificans* seu iustificans quoque *effectibus formalibus dignoscitur*, qui sunt : *primarius* quidem iustificatio, quae duobus momentis continetur : altero negativo peccatorum exstinctione, positivo altero interna sanctificatione ; *secundarii* vero sunt : amicitia Dei, adoptio, inhabitatio ss. Trinitatis. Sequitur : Quae de iustificatione revelatione dicuntur aut a theologis statuuntur, etiam de gratia sanctificanti valent, et contra. Inde propositio supra posita sequentibus probabitur.

THES. 1. **Gratia sanctificans vere delet peccata.** *De fide.*

Adversantur *novatores* saeculi 16., e quorum opinione Christus perfectissima sua obedientia omnia peccata fidelium tegit, quae quidem in ipsa natura infixa haerent ; fideles propter obedientiam Christi boni et iusti pronuntiantur et reputantur, etiamsi ratione naturae corruptae sint maneantque peccatores. Trid. contra definivit 5 c. 5 : «*Si quis per Domini nostri Iesu Christi gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari, a. s.*»

DEMONSTR. **Scr.** V. T. pro doctrina sua minus perfecta de iustitia legali quandoque abolitionem peccatorum quoque legalem proponit ; nihilominus prophetae thesim nostram imprimis pro tempore messiano praedicant : «*Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt*» Is 1. «*Effundam super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris... et dabo vobis cor novum*» Ez. 36. Et psalmi testes sunt hanc doctrinam sublimiorem altas radices egisse : «*Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras*» Ps 102. Christus d. identidem affirmat discipulos iam penitus mundos esse ac proinde novam ex integro vitam agere posse et debere. Paulus tetris coloribus pravitatem paganorum describit : «*An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare! Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles . . . neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et haec quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine d. n. I. Christi et in Spiritu Dei nostri*» 1 Cor 6. Secundum Petrum christianos salvos facit baptisma ; non depositio sordium carnis, sed «*conscientiae bonae interrogatio in Deum*» 1 Pet 3. Ioannes vero in evangelio satanae principi tenebrarum opponit Christum regem lucis. Quum autem Litterae s. peccata interdum non imputari aut tegi dicunt, asserunt id fieri a Deo omniscio, in cuius conspectu id solum tectum est, quod iam non exsistit ; vel ideo quoque, quia «sub tegmine medici sanatur vulnus» (Aug. in Ps 31, 12).

Tr. Patres nihil omnino de peccatorum mera non-imputatione aut litura norunt, immo contrarium explicite affirmant : «Dicimus ergo baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum et auferre crimina, non radere» (Aug. Ep. Pel. I 13, 26). **R.** *a)* Peccatum habituale de quo solo hic agitur, est *privatio gratiae sanctificantis;* quae ergo privatio cum infusione gratiae penitus tollitur. *b)Primus Adam* veros nos peccatores fecit lapsu ; si ergo Adam secundus non vere nos mundasset, minor esset illo primo. *c)* Novatorum opinio Dei sanctitati repugnat : «*Qui iustificat impium et qui condemnat iustum, abominabilis est uterque apud Deum*» Prov 17.

THES. 2. **Iustificatio per gratiam sanctificantem collata non est mera peccatorum remissio vel imputatio meritorum Christi, sed sanctificatio et renovatio interioris hominis.** *De fide.*

Adversantur *novatores*, quorum quidam cum Calvino putant iustificationem in mera peccatorum remissione consistere, aliis elementum positivum quoque admittentibus, quod autem in mera externa imputatione meritorum Christi ponunt : iustitia forensis. Contra quos Trid. 6 c. 11 definivit : «*Si qu. d. homines iustificari vel sola imputatione iustitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et caritate, quae in cordibus eorum per Spiritum s. diffundatur atque illis inhaereat, a. s.*»

DEMONSTR. **Scr.** Prophetae, ut vidimus, imprimis pro tempore messiano expectant cor novum ac spiritum novum dandum esse electis, et psalmista iam ex eorum mente et spe flagitat : «*Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis*» Ps 50. Christus d. vult, ut assectatorum suorum iustitia abundet plus quam scribarum et pharisaeorum Mt 5, et spiritum a prophetis praenuntiatum ipse attulit, quo movente iam nova prorsus vita erit agenda : «*Aut facite arborem bonam et fructum eius bonum; aut facite arborem malam, et fructum eius malum; siquidem ex fructu arbor agnoscitur*» Mt 12. Apud Ioannem vero Dominus praedicat necesse esse, ut quis ad novam vitam ex Spiritu s. renascatur. Idem sentiunt apostoli. — *Paulus* multum utitur quidem verbo *iustificare* (δικαιοῦν), quod «forensi consuetudine significat reum absolvere et pronuntiare iustum» (Confessio Aug.) ; nihilominus non est dubium, quin a Paulo ad mentem thesis nostrae accipiatur. Etenim per eam fit homo nova creatura : «*Renovamini autem spiritu mentis vestrae*» Eph 4 ; «*Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt; ecce facta sunt omnia nova*» 2 Cor 5. Principium novitatis vitae est Spiritus s. : «*Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus s.*» Tit 3. Si ergo interdum fideles dicuntur Christum induere : «Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis» Gal 3, haec metaphora nullo pacto ad opinionem protestantium est accipienda : «*Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis*» Eph 4. Neque aliter loquuntur ceteri apostoli : «*Voluntario enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturae eius*» Jac 1. Secundum Ioannem sumus renati ex Deo, cuius semen inest nobis 1 Jn 3 ; item secundum 1 Pet 1 sumus renati ex semine «*incorruptibili per verbum Dei vivi*».

Tr. Patres ab initio veritatem catholicam profitentur, uti protestantium historiographi recentiores ipsi fatentur. Familiare est ipsis cum s. Athanasio elevationem interiorem hominis per Christum factam deificati-

onem vocare, item cum secunda nativitate Verbi ex sinu Matris conferre. *Augustinus* explicite reicit novatores : «Dei gratia . . . iustitia Dei dicitur, non qua iustus est Deus, sed qua iustificavit nos» (Serm. 131, 9). — **R.** *a)* Si iustificatio per Christum allata non esset sanctificatio interioris hominis, non vere esset *restitutum*, quod in protoparente amiseramus (Aug. Gen. litt. VI 24, 35). *b) Adversus Calvinum:* peccatum et sanctitas contrarie opponuntur, ergo peccatum non potest expelli nisi per sanctitatem (1 II 113, 2). *c)* Contra *Lutherum:* abominabile est Deo sanctissimo iustum pronuntiare impium vel vicissim Prov 17.

ADDIT. *Effectus formales secundarii* gratiae sanctificantis sunt hi : *Per gratiam sanctificantem iustus fit*

1. **Deo gratus,** *immo amicus Dei.* Docente Trid. 6 cp 7 per iustificationem homo «ex inimico fit amicus». Possessores sapientiae «*participes facti sunt amicitiae Dei*» Sap 7. Christus dicit apostolis : «*Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis. Iam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos; quia omnia quaecunque audivi a Patre meo, nota feci vobis*» Jn 15. Secundum Apostolum sumus «*domestici Dei*» Eph 2 Immo anima sanctificata est sponsa Christi : «*Venerunt nuptiae Agni; et uxor eius praeparavit se*» Ap 19. Quum amicitia pares aut inveniat aut faciat, gratia similitudinem quandam cum Deo animae infundit. Ex quo colligitur, gratiam esse splendorem quendam atque lucem, qua anima pulchrior ac splendidior redditur, atque ideo Deo gratissima. Nunquam tamen Deum adaequabit ; amicitia inter Deum et hominem semper erit excellentiae, non aequalitatis.

2. **Filius Dei adoptivus** *et heres gloriae aeternae.* Tridentinum iustificationem simpliciter «statum adoptionis filiorum Dei» vocat. «*Quotquot autem receperunt eum* (Verbum incarnatum), *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius; qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*» Jn 1. «*Quicunque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater). Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod simus filii Dei. Si autem filii, et heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi; si tamen compatimur, ut et conglorificemur*» Rom 8. «*Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.*» 1 Jn 3. — Hōc *pretium* gratiae dilucide ostenditur. Adoptio enim est «personae extraneae in filium et heredem gratuita assumptio» (Thom.). Nos vero post lapsum protoparentis eramus non tantum extranei, sed inimici et indigni. Nunc autem non tantum ad iura filiorum, excellentissimae hereditatis potissimum et providentiae specialissimae sumus assumpti, sed vere filii facti : inest nobis semen Dei per gratiam, et consortium quoddam naturae divinae, quo filii iam non modo nominamur, sed et sumus.

3. **Templum ss. Trinitatis.** Christus d. dicit apostolis : «*Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis quem mundus non potest accipere . . . Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos . . . Si quis diligit me, sermonem meum servabit et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.*» Jn 14. Et Apostolus : «*Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?*» 1 Cor 3.

Ad *modum* huius inhabitationis quod attinet, certum est eam esse non mere per potentiam, seu effectum ; etenim Scriptura et Patres rite distinguunt gratiam, quae est Dei donum impersonale seu effectus actionis divinae, et ipsum donantem, qui se ipse dat sanctificatis. Est ergo substantialis, seu per adventum Patris et missionem Filii et Spiritus (§ 38, 3). Attamen non est unio hypostatica Trinitatis cum anima iusta, sed specialis prae-

sentiae modus, quo ipsa ss. Trinitas intime ita se possessioni dat animae iustae, ut ad vitam trinitariam participandam mystice elevetur. Inhabitatio, quae certo est tribus personis divinis communis, *Spiritui s. appropriatur.* Num insuper etiam propria sit quaedam Spiritus s. in iustis inhabitatio, quidam, ut Thomassinus, Petavius, Lessius, Scheeben, Schell, Hurter, affirmant, plerisque contradicentibus (III 114, 3). Patres graeci, imprimis Alexandrini magni et Cappadoces illud asserere vel saltem innuere videntur (cf. etiam infra n. 3. Addit. 2).

2. Essentia metaphysica. — THES. **Gratia sanctificans est habitus supernaturalis entitativus animam conformans ss. Trinitati.** Exponitur per gradus logicos.

1. Gratia sanctificans *est res.* Etenim ex praecedentibus vere delet peccata et sanctificat animam ; ergo effectus formales maxime reales profert ; et ideo non potest esse mera denominatio vel relatio mere logica, seu favor Dei, ut voluerunt protestantes et hodie docent rationalistae.

2. Est res *distincta a statu iustificationis.* Etenim teste Scriptura gratia est, qua iustificamur, amici et filii Dei efficimur ; est ergo causa iustificationis, non ipsa iustificatio.

3. Est res *distincta ab ipso Deo.* Est certum adversus *Lombardum* e cuius opinione «idem ipse Spiritus Sanctus est amor sive caritas, qua nos diligimus Deum et proximum».

At *a)* utrumque a *Tridentino* (6 c. 11) diligenter distinguitur : «gratia et caritas, quae in corda eorum per Spiritum s. diffunditur». *b)* Licet et *Litterae s. et Patres* per Spiritum nos iustificari asseverent, nunquam docent Spiritum S. esse causam formalem iustificationis, seu principium animae inhaerens eamque informans. Imo quum Scriptura principium inhaerens nostrae iustificationis semen Dei, unctionem, consortium naturae divinae dicat, satis indicat illud esse donum Dei creatum ab ipso Deo donanti realiter distinctum. *c)* Si Spiritus s. esset causa formalis nostrae iustificationis, tunc gratia *in omnibus eadem esset* atque constans ; quod autem dogmati catholico repugnat (§ 76). *d)* Spiritus s. utpote ens absolutum *non potest fieri forma* alius entis.

Iam vel ideo falsa est etiam sententia quorundam theologorum Tridentinorum (*«Colonienses»:* Gropper, Pighi, Contarini, Pole, Seripandi), *favorem Dei esse causam saltem integralem* iustificationis, quasi partes principales iustificationis haberet remissio peccatorum, quae solo Dei favore fit ; gratia deinde accedens sanctificationem conferret. Simile quid docebant quidam scotistae. Ex quorum omnium sententia gratia sanctificans non est causa formalis unica nostrae iustificationis, sed in ordine causae formalis ut complementum accedit iustitia Dei qua ipse iustus est ; quod graviter offendit in Trid. 6 cp 4, sed etiam in rationem : Deus enim nullo pacto forma inhaerens ne partialis quidem fieri potest. Praeterea falsum est peccata non per solam gratiae infusionem deleri ; gratia et peccatum enim ut habitus et privatio opponuntur.

4. *Gratia sanctificans est accidens supernaturale* animae inhaerens. Gratiam sanctificantem esse *ens supernaturale,* inde efficitur, quod effectus formales prorsus supernaturales progignit ; namque omne ens effectus formales connaturales tantum procreare potest. Esse *accidens* ex eo colligitur, quod substantia supernaturalis repugnat (cf. § 3, 1) ; et quum sit res distincta et a Deo et ab anima, non potest esse nisi accidens

supernaturale. Propter supernaturalitatem autem animam non potest habere ut subiectum intrinsecae inhaesionis; alioqui enim ipsam naturam ut pars essentialis ingrederetur, et actum esset de vera eius supernaturalitate. Ergo *animam habet ut subiectum possessionis et sustentationis.* Accidens hoc supernaturale sui generis e sententia scotistarum profertur per creationem ex nihilo ; secundum thomistas vero per eductionem e potentia obedientali animae (1 II 110, 2).

5. *Est habitus.* Etenim gratia sanctificans *est accidens permanens.* Per eam enim iustificatus fit templum Dei, inseritur Christo tamquam viti palmites ; est semen Dei, nova vita, consortium naturae divinae, signaculum Spiritus s. etc.; quibus omnibus aliquid manens significatur. Atqui accidens manens animae inhaerens et dignitatem gignens est *in praedicamento qualitatum.* Id quod exclusione confirmatur. Etenim evidens est gratiam non esse quantitatem. Relatio vero realis, de qua fortasse quaerendum sit, non est genus entium primarium, sed exigit qualitatem subiecto inhaerentem, in qua innitatur. De hac deinde re nullum est dubium gratiam sanctificantem e quattuor generibus qualitatis aristotelicis (habitus et dispositio, potentia activa et impotentia, potentia passiva et passio, figura) *ad genus habituum* esse reducendam.

Nam *a)* ex doctrina concilii Viennensis probabiliter «infantibus quoque virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etsi non pro illo tempore quoad usum». *b)* Habitus ex definitione s. Thomae est «qualitas difficile mobilis, secundum quam res bene vel male se habet in ordine ad suam naturam et ad operationem vel finem eius». Licet ergo gratia sanctificans utpote communicans homini «principium quo» vitae et actionis supernaturalis genere propinqua sit potentiis, tamen aptius ad genus habituum reducitur, primum quia non dat potentias prorsus novas, sed potentiis iam exsistentibus addit posse supernaturaliter ; deinde non communicat posse simpliciter, sed insuper disponit ad finem. Quum autem disponat ad actiones supernaturales, non est adnumerandus ad habitus innatos, neque ad acquisitos, sed est habitus infusus. Denique primarie novum impertit statum habitumque, sc. supernaturae.

6. *Est habitus entitativus.* Hoc probabilius tenetur *adversus scotistas* et quosdam molinistas (Bellarminus, Lessius, Vasquez), qui gratiam sanctificantem cum caritate quae est habitus *operativus*, aequant.

Ratio sententiae scotistae est haec: Litteris divinis principium iustificationis saepe simpliciter caritas dicitur : «remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum» Lc 7 ; «caritas operit multitudinem peccatorum» 1 Pet 4 ; «omnis qui diligit, ex Deo natus est» 1 Jn 4 ; idem a Patribus pronunciatur : «caritas inchoata inchoata iustitia est, caritas magna magna iustitia est, caritas perfecta perfecta iustitia est» (Aug. in Jn 7, 8). — At his id unum probatur a caritate gratiam esse inseparabilem. E contra *a)* auctoritate Scripturae et Patrum quaestio utpote tunc nondum formaliter posita dirimi non potest. Interdum autem ipsa Scriptura distinguere videtur inter gratiam et caritatem : «*superabundavit autem gratia Domini nostri cum fide et dilectione*» 1; Tim 1 2 Cor 13. *b)* Idem concilia indicant : «virtutes ac informans gratia» (Vienn.) ; «gratia et caritas» (Trid.). *c) Deus* docente s. Thoma *in supernaturalibus homini non minus providet quam in naturalibus,* ad quorum analogiam vitam et vires supernaturales construit. Iam vero in naturalibus esse praecedit actionem ; atque ideo in ordine supernaturali

quoque principium essendi (gratia sanctificans) praecedat necesse est principium operandi (caritatem).

7. Gratia sanctificans est *participatio et conformitas ss. Trinitatis*. Gratia est quidem mysterium : «Spiritus ubi vult spirat ; et vocem eius audis, sed nescis unde veniat et quo vadat ; sic est omnis, qui natus est ex Spiritu» Jn 3. Nihilominus certum est gratiam sanctificantem esse participationem quandam realem, mysticam ipsius Dei : *a)* Dicentibus s. Litteris per gratiam spiritus Dei, spiritus Christi nobis communicatur ; semen Dei nobis immittitur ; ex Deo nascimur ; immo secundum Petrum Deus per Christum «*maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae*» 2 Pet 1. *b)* Idem *Patres* praedicant, ubi cum Tertulliano et Athanasio dicunt Deum ideo esse hominem factum, ut homo deificetur. *Ecclesia* orat : «Da nobis per huius aquae et vini mysterium eius divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps» (offert. missae).

Quod deinde consortium non est transmutatio hominis in Deum, ut quidam mystici medii aevi, «non tam haeretice quam insane» (Later. IV) somniabant ; sed neque est communio mere moralis (per amicitiam vel devotionem vel fidem), ut opinabantur scotistae. Sed est *consortium mystico-reale* consistens in conformitate cum ss. Trinitate : «Praedestinavit nos conformes fieri imaginis Filii sui» Rom 8 ; «Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis» Gal 4. Secundum Ambrosium gratia est pictura Dei in nobis ; secundum Cyrillum Alex. est divina quaedam forma, qua anima fit deiformis. Haec similitudo utique in illa hominis parte sita est, quae ad imaginem et similitudinem Dei est creata, seu in anima ; et in eo consistit, quod anima humana per inhabitationem ss. Trintatis inchoative in hac vita, perfective in altera potestam accipiat Deum ea cognitione et dilectione amplectendi, qua Deus se ipse cognoscit et diligit, seu per Verbum et Spiritum Sanctum; non vero sicut in ordine naturali, per ea quae facta sunt.

COROLL. *Gratia sanctificans et peccatum contrarietate metaphysica opponuntur.* Hoc certo et communius tenetur *adversus scotistas* contrarietatem mere moralem statuentes, ita ut ex sola Dei ordinatione gratia et peccatum non existant simul in eadem anima ; et adversus *Suaresium* paucosque alios, qui contrarietatem mere physicam statuunt, ita ut saltem per miraculum possibile sit simul esse gratiam cum peccato in eodem subiecto. — *Probatur. a)* Ex doctrina s. Scripturae iustitia supernaturalis et peccatum opponuntur sicut ignis conflans et herba fullonum, sicut mors et vita, lux et tenebrae : «*Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quae enim . . . societas luci ad tenebras? Quae autem conventio Christi ad Belial?*» 2 Cor 6. *b)* Si peccatum non exstingueretur gratia, tunc ad iustificationem praeter gratiam alia quoque causa formalis requireretur ; quod est contra Tridentinum. *c)* In ordine supernaturali peccatum habituale materialiter in privatione gratiae sanctificantis consistit ; ergo gratia et peccatum se habent ad invicem ut habitus et privatio ; seu contrarietate metaphysica opponuntur.

3. Comitatus. — THES. 1. **Cum gratia sanctificanti simul infunduntur virtutes supernaturales.** *Certum* quoad virtutes theologicas, commune quoad morales.

EXPLIC. *Virtus* est in genere habituum et definitur : «bona quali-

tas mentis, qua recte vivitur, et nemo male utitur». Et est vel innata, vel acquisita (actibus connaturalibus ordine iteratis), vel infusa. *Virtutes infusae* aliae sunt *theologicae*, quarum obiectum et formale et materiale est ipse Deus, et sunt fides, spes, caritas ; aliae sunt *morales*, quarum obiectum et materiale et formale est momentum aliquod ordinis moralis, et reducuntur ad virtutes cardinales prudentiae, iustitiae, fortitudinis, temperantiae. Docet post Viennense Trid. 6 cp 7 : «*in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per I. Christum, cui inseritur, fidem, spem et caritatem*». E doctrina Catechismi R. (II bapt. 42) gratiae additur «nobilissimus omnium virtutum comitatus», qui in animam simul cum gratia divinitus infunditur.

DEMONSTR. **Scr.** «*Auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum, ut in praeceptis meis ambulent et iudicia mea custodiant*» Ez 11 ; quum cor lapideum significet dispositiones pravas, cor carneum de habitibus bonis intellegatur oportet. «*Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris*» Rom 5 ; «*nunc autem manent fides, spes, caritas*» 1 Cor 13. Pro virtutibus moralibus idem saltem indicatur : 2 Pet 1 ut comitatum consortii naturae divinae enumerat praeter fidem et caritatem amorem fraternitatis, abstinentiam, patientiam, pietatem. **Tr.** Secundum Patres virtutes sunt ille thesaurus, quem aerugo et tinea non corrumpunt (Nyssen.); et sunt veluti comitatus adstipans Christum regem in animae throno sedentem (Aug. in Jn 8, 1).

R. Non est conveniens, ut Deus minus *provideat* his quos diligit ad supernaturale bonum habendum, quam creaturis quas diligit ad bonum naturale habendum. Creaturis autem naturalibus sic providet, ut non solum moveat eas ad actus naturales, sed etiam largiatur eis formas et virtutes quasdam, quae sunt principia actuum, ut secundum seipsas inclinentur ad huiusmodi motus ; et sic motus quibus a Deo moventur, fiunt creaturis connaturales et faciles. Multo igitur magis illis quos movet ad bonum supernaturale aeternum, infundit aliquas formas, seu qualitates supernaturales, secundum quas suaviter et prompte ab ipso moveantur (1II 110, 2). — Nota bene : *Virtutes supernaturales dant potestatem* ad vitam atque actiones supernaturales, et animae facultates habitualiter ad finem supernaturalem ordinant ; *sed non eo ipso etiam promptitudinem et facilitatem* ad actus connaturales ponendos largiuntur, quia obstacula et impedimenta ex concupiscentia et habitibus malis surgentia infusione gratiae et virtutum non eo ipso delentur, sed exercitio assiduo sunt cohibenda; quo sc. fructus Spiritus s. proferuntur (cf. infra).

ADDIT. **Relatio virtutum et gratiae.** — 1. *Caritas inseparabiliter cum gratia coniungitur*, ita ut ab haud paucis idem atque ipsa gratia sanctificans habeatur (cf. supra n. 2).

2. *Fides non eo ipso extinguitur, quum gratia sanctificans amittitur.* Trid. 6 c. 28 eum anathematizat, qui dixerit, *amissa per peccatum gratia simul et fidem semper amitti*, aut fidem quae remanet, non esse veram fidem (licet non sit viva), aut qui fidem sine caritate habet, non esse christianum. Etenim in evangeliis et ab apostolis assectatores Christi graviter peccantes non in infidelium numero habentur, sed ut fideles peccatores tractantur. Ecclesia quoque peccatores fidem formaliter non negantes christianos habuit, etsi gravissimas paenitentias eis imposuerit. Fides sine gratia (et ideo sine caritate) utique est fides informis,

quasi mortua. «Sine caritate fides potest quidem esse, sed non et prodesse», monet Augustinus (Trin. XV 18, 32).

3. Exstincta gratia probabiliter *amittuntur etiam virtutes morales infusae*, quae in caritate radicari censentur.

THES. 2. **Cum gratia sanctificanti simul infunduntur dona Spiritus Sancti.** *Certum* ex communi doctrina.

DEMONSTR. **Scr.** Is 11 de Messia venturo dicit: «*Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini*». Atqui Christus est caput nostrum, de cuius plenitudine omnes nos accepimus. Id indicat Apostolus: «*Quicunque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*» Rom 8. **Tr.** Patres mentem suam manifestant, ubi Isaiam interpretantur, uti Aug. Qu. evang. I 8; Trin XV 18, 32. **R.** Dona Spiritus s. sunt *dispositiones animae supernaturales*, quibus bene mobilis redditur a Spiritu s., imprimis ad actus heroicos et vitae mysticae (1II 68; 2II 19. 45; cf. F. M. Schindler: Die Gaben des h. Geistes nach Thomas v. A. 1915). Iam vero maxime convenit, ut animae hoc quoque modo consulatur, quippe quae ad vitam divinam in corpore fragili et in mundo tot illecebris pleno agendam vocata sit.

«*Fructus* autem *Spiritus* est: caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas» Gal 5. Sunt etenim opera inspirante Spiritu s. per virtutes supernaturales facta, quibus quasi succus vitae supernaturalis continetur et sicut in fructibus spes futuri floris cernitur.

ADDIT. Dicit Thom (III 62, 2c): «Gratia perficit essentiam animae, inquantum participat quandam similitudinem divini Esse. Et sicut ab essentia animae fluunt eius potentiae, ita a gratia fluunt quaedam perfectiones ad potentias animae, quae dicuntur virtutes et dona». Ad mentem huius principii «*ramificatio*» *vitae supernaturalis* (Bonaventura Brevil.) hunc in modum potest concipi: Omne ens concretum (τόδε τι Aristotelis) *metaphysice* sic constituitur, ut primum et fundamentale sit statice seu in ratione ipsius esse substantia, et dynamice seu in ordine ipsius operari est natura, quae est principium quo agendi remotum. Ad operandum ens proxime instruitur per potentias et activas et passivas, quae sunt principium quo agendi proximum. Ut potentiae in actum deducantur, requiritur concursus Dei. Actus vero apte repetiti habitus proferunt. Totum denique ens intime ex Deo causa prima pendet.

Nunc 1. *substantia*, seu subiectum intrinsecae inhaesionis vitae supernaturalis, est nulla utpote accidentis supernaturalis. At analogice gratia sanctificans potest dici quasi-substantia omnis vitae nostrae supernaturalis; et caritas sensu scotistarum potest quasi-natura haberi. 2. *Potentiae activae* sunt virtutes infusae, *passivae* dona Spiritus s. 3. *Appulsus* divinus educens potentias supernaturales in actum, ergo quasi-concursus est gratia actualis, efficax potissimum. 4. *Actus* supernaturales sunt actus salutares. 5. Actus apte repetiti supernaturales procreant *habitus* supernaturales sensu psychico, seu dispositiones permanentes ad facile et certo operandum; qui sunt fructus Spiritus s. et octo beatitudines (M 5). 6. Radix et forma et corona vitae supernaturalis vero est *ss. Trinitas*. Etenim gratia sanctificans et omnis eius comitatus ut accidens non habet subsistentiam in se, et ut supernaturale non habet in anima humana; subsistit ergo immediate in ipso Deo, ita ut ss. Trinitas per inhabitationem (supra n. 1)

vivum sigillum sui imprimat in animam, quae hoc modo conformis fit ss. Trinitati. Sigillum istud, quum sit vivum et supernaturale, eo usque tantum subsisit, quousque sigilli typus, ipsa ss. Trinitas manet in anima per missiones et adventum (§ 38, 3 ; 39, 3). Eadem autem inhabitatione perficitur etiam finis ac ratio omnis elevationis supernaturalis : communio immediata atque intima arcanae vitae trinitariae ipsius Dei.

§ 75. Praeparatio gratiae sanctificantis.

Statuuntur 1. necessitas praeparationis, 2. fides, 3. alii actus praeparatorii.

1. Necessitas. — THES. **Adultis ad gratiam iustificantem obtinendam actus morales praeparatorii sunt necessarii.** *De fide.*

Adversantur *novatores* s. 16. opinantes omnia opera ante iustificationem facta esse peccata ; etenim arbor mala non potest bonos fructus facere ; ac proinde hominem mere passive se habere, vel quum plurimum, fide (fiduciali) prehendere iustitiam Christi. Trid. 6 c. 9 eos anathematizat qui dixerint «nulla ex parte necesse esse impium ad iustificationem suae voluntatis motu praeparari atque disponi», et integro capite (6 cp 6) de praeparatione impii agit.

DEMONSTR. **Scr.** Thesis omnibus pronuntiatur, quibus sive prophetae, sive Christus, sive apostoli adhortantur immo obligant impios ad conversionem (v. g. Is 45, 22 ; Ez 18, 30 ; Mt 4, 17 etc.) et lugent, quod imprimis perfidi iudaei non obtemperaverint. **Tr.** Patres antepelagiani interdum iusto plus vires peccatoris quoad salutem acquirendam praedicant. Sed etiam *Augustinus* ita sentit : «Qui te fecit sine te, non te iustificat sine te. Ergo fecit nescientem, iustificat volentem» (Serm. 169, 11). Item : «Nondum traheris? Ora ut traharis!» (in Jn 26, 2). Idem confirmat praxis Ecclesiae, quae catechumenis et paenitentibus iustificationem petentibus diversa opera praeparatoria iniunxit. **R.** *Potest* homo actus praeparatorios praestare utpote viribus moralibus neque post lapsum penitus destitutus. *Debet* se praeparare ; conveniens enim est Deo sapientissimo, ut hominem pro natura sua libera ita moveat, ut ipse quoque libere salutem prehendat (1 II 113, 3 ; 112, 2 ; Verit. 28, 3. 4).

Ad *naturam metaphysicam praeparationis* quod attinet, non est verum meritum, ut volebant pelagiani, sed neque mera conditio vel dispositio negativa ; sed est vera dispositio positiva, qua anima ad gratiam recipiendam ita capax fit, sicuti ovulum semine concepto ad animam humanam recipiendam disponitur.

2. Fides. — THES. 1. **Dispositio prima et maxime necessaria ad iustificationem est fides.** *De fide.*

Docente enim Trid. 6 cp 8 fides «est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis». Deinde «*nemini unquam sine fide contigit iustificatio*» (Vat. 3 cp 3). Thesim sic universim propositam neque protestantes infitiantur.

DEMONSTR. **Scr.** In. V. T. foedus patriarcharum et populi cum Iahve fide maxime innititur, quam ideo etiam prophetae valde commendant : «*Si non credideritis, non permanebitis*» Is 7 ; «*Iustus autem in*

fide sua vivit» Hab 2. Christus d. regni caelorum adipiscendi hanc ponit conditionem : «*Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*» Mc 16. Ioannes hanc reddit rationem evangelii conscripti : «*Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus, Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius*» Jn 21. Paulus Rom et Gal potissimum necessitatem fidei legi et merae naturae opponit. Et simpliciter enuntiat: «*Sine fide autem sibile est placere Deo*» Heb 11.

Tr. Patres fidei necessitatem adversus iudaeos et ethnicos asserunt. Si apologetae et primi Alexandrini (Iust. I 46 ; Clem. Al. Strom. I 20) quandoque etiam philosophiae talem vim tribuere videntur, non est praetermittendum ab omnibus baptismi necessitatem asseverari, quem necessario professio fidei praecessit. Ecclesia sensum suum practice comprobavit zelo, quo fidem evangelii ubique terrarum nuntiavit. **R.** Fide docemur, quis sit finis supernaturalis, quae deinde media eius, quaeque obstacula, quibus via salutis praecipue obstruatur. Quod visus pro vita corporea, intellectus pro vita spirituali, hoc est fides pro vita supernaturali.

THES. 2. **Fides praeparans iustificationem non est fides fiducialis, sed theologica seu dogmatica.** *De fide.*

EXPLIX. Thesis dirigitur in *novatores* s. 16. qui distinguunt fidem historicam (factorum evangelii), miraculorum, promissionum; ista est vel generalis : peccata hominum contegi meritis Christi, vel vero specialis, seu fides fiducialis : Christi merita a Deo mihi esse imputata, atque ideo me salvari. Quae quidem fides fiducialis non dispositio moralis, sed ὄργανον ληπτικόν est habenda, qua salus a Christo acquisita arripitur. Contra eos Trid. 6 c. 12 definivit : «*Si qu. d. fidem iustificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinae misericordiae peccata remittentis propter Christrum, a. s.*» Quam deinde fidem accuratius determinat 6 cp 6 : Disponuntur ad iustitiam, dum excitati divina gratia et adiuti «fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum *credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt*» (cf. § 15).

DEMONSTR. **Scr.** Fides, πίστις in Litteris divinis quandoque fidelitatem vel fiduciam, interdum etiam conscientiam significat, nunquam autem illam fidem fiducialem, quam protestantes commendant. Si enim Apostolus dicit : «*Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam*» Rom 4, ex contextu patet illam Abrahae fidem indicari, qua crediderat se esse patrem fidelium electum. E contra vero sacrae Paginae multis docent fidem ad salutem requisitam esse fidem theologicam seu dogmaticam. Christus d. in sermone montano et parabolis non modo paenitentiam sed etiam veritates revelatas praedicat, uti missionem suam messianam, divinitatem; et apostolis auditoribusque praecipit, ut ea omnia credant, neque falsos christos audiant ; laudat infantes et Petrum credentes ea ; apostolos mittit, ut doceant omnes gentes servare quaecunque ipse mandaverat ; et qui ea crediderit, salvus erit, qui non crediderit, condemnabitur Mt 28 ; Mc 16 ; «*Si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccatis vestris*» Jn 8. Hanc fidem etiam apostoli postulant. Philippus dixit eunucho : «*Si credis ex toto corde, licet* (te baptizari). *Et respondens ait: Credo Filium Dei esse Iesum Christum*» Act 8. Idem Paulus postulat fidem in vim expiatoriam Christi, in mortem, resurrectionem, exaltationem Christi, ergo in veritates revelatas. «*Sine fide impossibile*

est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit» Heb 11. «*Si confitearis in ore tuo d. Iesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem»* Rom 10.

Tr. Quid Ecclesia in hac materia senserit, abunde ex praxi eius colligitur : *a) Baptizandis* fides ex auditu erat concipienda (inde audientes = κατηχούμενοι) et ante baptismum coram Ecclesia protestanda ; *b) adversus gnosticos* praedicatio apostolica tamquam regula fidei strenue defendebatur et servabatur ; *c) iter facientes* tenebantur fidei orthodoxiam litteris testimonialibus testari ; *d)* qui *in persecutionibus* fidem profitebantur, confessores, qui vero negabant, lapsi habebantur ; *e) haeretici* tamquam fidem theologicam adulterantes e gremio fidelium eiciebantur.

R. Fides fiducialis est *psychologice* impossibilis : Nisi enim persuasum mihi sit a Deo revelatam esse iustificationem meam, id prudenter credere non possum ; atque me esse iustificatum, non est revelatum (cf. § 76, 1) ; ergo neque prudenter credere possum. Est *logice* impossibilis ; etenim repugnat : Fides fiducialis est conditio iustificationis, eam igitur praecedit ; ergo non possum credere me iam esse iustum, si per et post hanc fidem demum mihi iustificatio obvenit.

QUAEST. Quum impossibile sit omnia revelata fide explicita credere, quaeritur *quid explicite sit credendum? — De necessitate praecepti* credendi sunt articuli fundamentales, Pater, Credo, sacramenta omnibus necessaria. *Necessitate medii* id quod Apostolus indicat : «Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit». *Num etiam fides ss. Trinitatis et Verbi incarnati* sit de necessitate medii, *tres* sunt theologorum sententiae : rigoristarum id affirmantium, mitium id negantium pro utroque Testamento, et mediorum pro N. T. id postulantium. Probabilis est sententia mitior, cui etiam s. Thomas adstipulatur (2II 2, 7 ad 3).

3. Alii actus. — THES. **Adultis praeter fidem alii quoque actus praeparatorii ad iustificationem sunt necessarii.** *De fide.* Est tritum illud *novatorum* sola fide (fiduciali) salvari hominem. Trid. (6 c. 9) : «*Si qu. d. sola fide impium iustificari, et nulla ex parte necesse esse, eum suae voluntatis motu praeparari atque disponi, a. s.*»

DEMONSTR. **Scr.** Litteris s. fides imprimis commendatur ; nihilominus iam prophetae et Sapientiales etiam paenitentiam ac timorem Domini persaepe postulant. Quod ad Christum d. attinet : «*exinde caepit praedicare et dicere: Paenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum»* Mt 4. In sermone montano inter conditiones regni caelorum, inter octo beatitudines, fides ne commemoratur quidem ; imo reprobatur fides sterilis : «*Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum»* Mt 7. Maria Magdalena ideo iustificatur, quia dilexit multum Lc 7. Ita docent etiam apostoli : «*Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo, et non ex fide tantum . . . Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est»* Jc 2. «*Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum»* 1 Cor 13. **Tr.** Ecclesia antiqua *catechumenis et paenitentibus* praeter fidem opera paenitentiae

et caritatis quoque praescripsit. Augustinus integrum librum scripsit De fide et operibus.

R. *a)* Iustificatio impii est quidam *motus, quo mens humana movetur a Deo a statu peccati in statum iustitiae.* Quod per motum liberi arbitrii ita fit, ut recedat a peccato et accedat ad iustitiam, per detestationem et desiderium (1 II 113, 5). *b)* Lutheristarum quoque quidam sentiebant principium materiale Lutheri de sola fide non modo Scripturae repugnare, sed etiam immorale esse, si consequenter applicetur : *synergistae.*

DIFF. «*Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis*» Rom 3, 18. — RESP. *a)* Fides ab Apostolo hic accipitur sensu obiectivo : fides quae creditur, complectens totam salutis novae oeconomiam, et ita opponitur operibus legis mosaicae, imprimis ceremonialis, non vero operibus e gratia provenientibus. *b)* Effatum Apostoli eo quoque sensu verum est, quod *fides caritate formata* reapse iustificet hominem : «In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides, quae per caritatem operatur» Gal 5. Neque repugnat distinctio theologorum, qua fidem aliam informem, formatam aliam ponunt, quasi sc. informis nondum sit vera fides et formata iam non sit vera fides. Etenim caritas est fidei forma non interna seu essentiam fidei ut fidei complens, sed externa : finem cui fides destinata est, procurans.

ADDIT. *Modum quo impii ad iustificationem praeparari solent,* Trid. 6 cp 6 acute ita describit : Impii se peccatores esse intellegentes divinae iustitiae timore perculsi mox ad considerandam Dei misericordiam se convertunt ac in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore ; illumque diligere incipiunt, ac propterea recedunt a peccatis per odium aliquod et detestationem, h. e. per paenitentiam ; denique proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam et servare mandata. — Hic quaeritur, *utrum caritas,* quae est dispositio ultima iustificationis, quacum simul infunditur iam gratia sanctificans, *ex gratia sanctificanti iam proveniat nec ne?* — In subtili hac quaestione *distinguere* iuvat : dilectio praeparans iustificationem non est actus caritatis perfectae (qui utique non potest nisi ex gratia enasci), sed est animus pronus ad caritatem perfectam eliciendam, qui per gratiam actualem haberi potest (1 II 113, 8 ad 2).

§ 76. Proprietates gratiae sanctificantis.

Sunt 1. incertitudo, 2. inaequalitas, 3. amissibilitas.

1. Incertitudo. — THES. **Nemo absque speciali revelatione certitudine fidei de sua iustificatione certus esse potest.** *De fide.*

Contra *novatores,* qui hanc fidei certitudinem pro conditione necessaria iustificationis habent, Trid. 6 cp 9 docet : «*Nullus scire valet certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum*»; et cc. 13-15 reicit sententiam protestantium de necessitate, vi et obligatione eiusmodi fidei.

DEMONSTR. **Scr.** Litterae s. quandoque ita loquuntur, quasi possit homo certus esse fide de gratia et iustificatione consecuta, uti : «Qui credit in Filium, habet vitam aeternam» Jn 3. At his conditiones et efficacia obiectiva salutis enuntiantur. Ubi Scriptura de conditionibus subiectivis loquitur (exceptis iis, de quorum iustificatione specialem revelationem exhibet, sicut de Magdalena paenitenti, de paralytico, de

latrone), modestiam omnino commendat : «*Quis potest dicere: mundum est cor meum, purus sum a peccato?*» Prov 20 ; «*Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit*» Ecl 9. Apostolus testatur : «*Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me, Dominus est*» 1 Cor 4 ; ideo «*castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar*» 1 Cor 9. Quapropter fideles hortatur : «*Cum metu et tremore vestram salutem operamini*» Phil 2.

Tr. Patres non tantum factum affirmant, sed etiam rationem reddunt : Audax est verbum dicere homini : «In aeternum non movebor» Ps 29 (Aug. Correpl. gr. 9, 24). *Gregorius* M. feminae nobili eundem interroganti utrum peccata sibi certo sint remissa, respondit : «Rem et difficilem et inutilem postulasti. Difficilem quidem quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat ; inutilem vero, quia secura de tuis peccatis fieri non debes, nisi cum iam in die vitae tuae ultimo plangere eadem peccata minime valebis» (Epist. VIII 25).

R. Consideratione theologica statuuntur haec :

1. Non potest haberi *certitudo fidei* de iustificatione consecuta. Talis enim certitudo revelatione nititur ; iam vero non est revelatum me esse iustificatum. Ideo falsa est etiam opinio protestantium recentiorum de experientia religiosa Christum sentienti.

2. Non potest haberi *certitudo theologica* de iustificatione consecuta prout voluit Ambrosius Catharinus. Esset enim conclusio huius syllogismi : Deus vere paenitentibus iustificationem promisit. Atqui ego sum vere paenitens ; ergo. Namque propositio minor certitudine metaphysica seu theologica nunquam scitur, quum Deum ut principium gratiae experientia non noverimus. Iam vero «peiorem sequitur semper conclusio partem» (1 II 112, 5).

3. Potest haberi *certitudo moralis* de iustificatione acquisita, quam Christus d. et apostoli tantum abest ut reprobent, ut etiam eam commendent : «*Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*» Lc 12 ; «*Qui credit in eum* (in Filium), *non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est*» Jn 3. «*Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei*» Rom 8. «*Non enim est regnum Dei esca et potus; sed iustitia et pax et gaudium in Spiritu s.*» Rom 14. Criteria autem indicantibus s. Litteris sunt : octo beatitudines, zelus regni caelorum, fratrum dilectio, gustus rerum caelestium, sensus Spiritus s.

2. Inaequalitas. — THES. **Gratia non aequalis datur iustis, et data bonis operibus augeri potest.** *De fide.*

Lutherus docuit omnes christianos aeque sanctos esse atque matrem Dei ; et iam saeculo 4. *Iovinianus* docuerat omnes qui gratiam baptismi servaverint, eandem beatitudinem caelestem esse consecuturos. *Trid.* 6 cp 7 statuit : «Iustitiam in nobis recipimus unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus s. partitur singulis prout vult, et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem»; et anathematizat eos qui dixerint «*iustitiam acceptam non conservari atque etiam augeri coram Deo per bona opera*, sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse iustificationis adeptae, non autem ipsius augendae causam» (6 c. 24).

DEMONSTR. **Scr.** «*Iustorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem*» Prov 4. Idem indicat Christus d. in parabola de talentis, deinde quum dicit : «*Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum; et omnem qui fert fructum,*

purgabit eum, ut fructum plus afferat» Jn 15. Item apostoli docent : «*Veritatem autem faciendo in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus*» Eph 4. «*Crescite in gratia!*» 2 Pet 3. «*Qui iustus est, iustificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc; ecce merces mea mecum est reddere unicuique secundum opera sua*» Ap 22. **Tr.** Patres veritatem propositam ex asse operibus adversus Iovinianum editis asserunt. *Hieronymus* (Iovin. II 23) post verba apostoli : «Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi» Eph 4 addit : «non quod mensura Christi diversa sit, sed tantum gratiae eius infunditur, quantum valemus haurire». Docente Nysseno (Instit. christ.) non est nostrum augere mensuram corporis ; augere autem pulchritudinem gratiae atque adeo beatitudinis aeternae, est in hominis potestate adiuti a Spiritu s.

R. Mensura donationis gratiae omnino ex Dei voluntate absoluta pendet, quae ideo videtur *non eadem mensura* omnibus metiri, ut *a)* in ordine supernaturali quoque varietati per distinctiones secundum species et individua sicut in ordine naturali consulatur. Neque iniustum est, ut alter plus altero accipiat ; Deus enim nemini debet gratiam ; deinde qui plus accepit, plus quoque exigetur ab eo (1 II 112, 4). *b)* Convenit ut gratia, principium vitae supernaturalis, viventium more crescere possit, eo vel magis, quia sic stimulus efficax bonorum operum iustis additur (1 II 112, 4 ; 2II 24, 3). — *Nota* bene : Augmentum gratiae *gratia vel iustificatio secunda* vocatur adversus gratiam, quae animae paenitenti infunditur et gratia vel iustificatio prima audit.

QUAEST. 1. *Quomodo augetur gratia?* — Probabiliter ad normam qualitatum naturalium, quae admittunt magis et minus (2II 24, 5).

2. *Quousque extenditur augmentum gratiae?* — Per se est absque terminis ; in hoc ordine salutis autem non egredietur ultra mensuram gratiae b. Virginis, eo minus Christi capitis.

3. *Augenturne simul cum gratia etiam virtutes?* — Caritas certo ita ; sed probabiliter etiam ceterae virtutes, idque quovis opere bono, quo gratia ipsa augetur.

3. Amissibilitas. — THES. **Gratia sanctificans per quodcunque peccatum mortale amittitur.** *De fide.*

Adversarii sunt : *a) Luther*, cuius haec a Trid 6 c. 27 damnata est doctrina : «*nullum esse mortale peccatum nisi infidelitatis, aut nullo alio quantumvis gravi et enormi praeterquam infidelitatis peccato semel acceptam gratiam amitti*», qui putavit iustificationem per solum peccatum contra fidem amitti ; *b) Calvinus*, quem his damnat Trid. 6 c. 23 : «*Si quis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur et peccat, nunquam vere fuisse iustificatum, a. s.*» *c)* Quietistae : *beghardi* cca a. 1300 et *Molinos* cca a. 1700 opinabantur posse hominem ante mortem talem consequi statum, in quo iam peccare non possit. Molinos ab Innocentio XI. damnatus est, beghardi a Viennensi.

DEMONSTR. **Scr.** «*Iustitia iusti non liberabit eum, in quacunque die peccaverit . . . et in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur*» Ez 33. V. T. deinde *facta* narrat, quibus veritas ista manifestatur, uti lapsum angelorum, protoparentum, David, Salominis, etc. Item *Christus* d. multum monet suos, ut orent et vigilent, ne intrent in tentationem ; et identidem multa peccata : apud Mt 15 septem, Mc 7 tredecim enumerat,

quae hominem inquinant. Item Apostolus : «*Nolite errare; neque fornicarii* etc (§ 74, 1). Si vero Ioannes dicit : «*Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit*» 1 Jn 3, id unum affirmat gratiam reduplicative non esse principium peccati (Gent. IV 70).

Tr. Quid Ecclesia prisca in hac materia senserit *disciplina paenitentiae* satis manifestavit : non enim fidem negantibus tantum, sed etiam adulteris, homicidis, furibus etc. eam imposuit (cf. § 103, 2). — **R.** Thesis est consecutio aliarum veritatum revelatarum : per gratiae appulsum libertas arbitrii non tollitur ; et gratia sanctificans non ut forma substantialis, sed ut accidentalis inhaeret animae ; ergo *manent facultates naturales*, quae possunt aliud atque gratia patitur, agere. Atqui si peccatum quodcunque grave animam invadit, gratia utpote metaphysice contraria peccato, aufugit (2II 24, 12).

ADDIT. *Peccatis venialibus gratia sanctificans non tollitur.* «Licet in hac mortali vita quantumvis sancti et iusti in levia saltem et quotidiana, quae etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti» (Trid. 6 cp 11). Etenim *a)* peccatum leve utpote non continens aversionem a Deo fine ultimo, per se non opponitur contrarie gratiae. Sed *b)* neque positiva Dei ordinatione pellit gratiam. Immo Scriptura multis confirmat illud Augustini (Spir. litt. 28, 48) : «Non impediunt a vita aeterna iustum quaedam peccata venialia, sine quibus haec vita non ducitur». — Sequitur *peccatis venialibus gratiam sanctificantem ne minui quidem;* alioqui enim fieri posset, ut paulatim extinguatur ; quod est contra doctrinam Tridentini. Nihilominus venialibus imprimis deliberatis indirecte, concupiscentiam fovendo potest gratia minui, immo amissio praeparari : «*Qui spernit modica, paulatim decidet*» Sir 19 (2II 24, 10).

COROLL. *Ad gratiam sanctificantem conservandam necessarium est servare legem Christi*, prout ab Ecclesia pronuntiatur et imponitur. Etenim qui mandata non servat, quando obligant, ipsum Christum spernit, atque ideo peccatum grave committit et gratiam amittit. Falsa est ergo doctrina lutherana de libertate christiana eo sensu accepta, ut christiani nulla iam lege obligentur.

§ 77. Meritum.

Statuuntur 1. factum, 2. conditiones, 3. obiecta meriti.

1. Factum. — THES. **Iustificatus bonis suis operibus vere meretur coram Deo.** *De fide.* — *Trid.* postquam 6 c. 32 reiecerat opinionem omnia iustificatorum opera esse peccata, et esse peccaminosum intuitu vitae aeternae nanciscendae bonum agere (6 c. 25 31), definivit : «*Si qu. d. hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita, et ipsum iustificatum bonis operibus quae ab eo per Dei gratiam et Iesu Christi meritum cuius vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia Dei decesserit, consecutionem atque etiam gloriae augmentum, a. s.*»

EXPLIC. *Meritum abstracte* consideratum est proprietas quarundam actionum moralium, vi cuius merces eis ex iustitia vel fidelitate debetur. Sensu *concreto* est opus tali proprietate instructum seu est opus moraliter bonum in favorem alterius ; interdum etiam merces tali operi debita meritum vocatur (1 II 114, 3-6). *Novatores* s. 16. prius omnia opera etiam

iustorum peccata esse dictitabant ; posterius vero admittebant possibilitatem et necessitatem operum bonorum, sed nomine fructuum et signorum fidei tantum ea habebant, et pertinaciter negabant posse hominem mereri coram Deo.

DEMONSTR. **Scr.** V. T. multis confirmat doctrinam Sapientis : «*Iusti autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum*» Sap 5. Christus d. iam in sermone montano bona opera e cordis novitate progenita postulat : orationem, eleemosynam, ieiunium ; et enumeratis octo beatitudinibus dicit : «*Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis*» Mt 5. Servum bonum et fidelem talentis bene utentem super omnia bona sua constituet ; in novissimis omnes secundum opera sua iudicabit Mt 25. Merces autem non erit secundum aequalitatem : «*Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit*» Mt 19 ; «*Date et dabitur vobis: mensuram bonam et confertam et coagitatam et superefluentem dabunt in sinum vestrum*» Lc. 6. S. Paulus in parte secunda epistularum maiorum fideles ad omnia genera operum bonorum hortatur et mercedem eis promittit : «*Unusquisque propriam mercedem accipiet*» 1 Cor 3 ; «*quae seminaverit homo, haec et metet*» Gal 6. «*Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona iustitiae quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex; non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum eius*» 2 Tim 4.

Tr. Iam *Ignatius* Rom. 4 vult dentibus bestiarum conteri, ut ita Christum et vitam aeternam lucraretur. *Cyprianus* integrum opus ex mente thesis scripsit De opere et eleemosynis. *Augustinus* quamvis gratiae gratuitatem acerrime defendat, tamen ideo eam datam esse asserit, ut impius fiat iustus et «incipiat habere meritum bonum, quod Dominus coronabit, quando iudicabitur mundus» (Epist. 214). Perperam ergo rationalistae huius temporis contendunt a *Tertulliano* iurisprudente inductum esse meriti doctrinam ; non rem, sed nomen ipse induxit. **R.** *a)* Per gratiam *principium vitae novae* homini inseritur ; at si fit arbor bona, bonos etiam fructus potest facere, qui non possunt non placere Domino vineae. *b)* Conveniens est, ut *in civitate bene ordinata* cives mercede proposita ad bona opera incitentur. *c)* Iam in ordine morali naturali bona opera aestimatione sunt digna, eo magis in ordine supernaturali.

DIFF. 1. Secundum Apostolum, cui adstipulantur evangelia, *vita aeterna est gratia* gratuita omnino ; et hereditas Lc 17 ; Rom 6. — RESP. Utrumque verum est : vitam aeternam esse gratiam et esse mercedem pro bonis operibus. Etenim «debetur merces bonis operibus, si fiant ; sed gratia quae non debetur, praecedit ut fiant» (Araus. II c. 18). «Quum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat quam dona sua» (August. Epist. 194). Hic quoque valet : Omnes viae Domini misericordia et veritae.

2. Merendi facultate hominum *Christi meritum imminuitur.* — RESP. Omnis nostra merendi potestas in eo nititur, quod per Christi merita ei tamquam viva membra inseramur, atque adeo merita nostra participata vim ipsam meriti primarii Christi, quod est meritum excellentiae, ostendunt : ita enim Christus meruit, ut nobis merendi facultatem quoque meruerit.

3. Mercedem persequi ac felicitatem sectari *egoismum sapit* et est multo minoris pretii, quam bonum absque respectu mercedis agere. — RESP. E doctrina catholica merces atque felicitas non qualiscunque, sed

ipse Deus, bonum perfectissimum et maxime universale, est consequendus, qui ut omnes concupiscentias inordinatas deponamus, et praecipit et iuvat. Ceterum naturae humanae quam maxime convenit et igitur honestissimum est ad felicitatem natura rationali dignam intendere; eo vel magis, quia ordo moralis concordiam operum et sortis postulat.

2. **Conditiones meriti** veri sunt hae *quinque:*

A Deo 1. **Ordinatio Dei** *se velle bonis operibus iusti praemium persolvere.* Hanc esse conditionem meriti primariam *certum* est. — DEMONSTR. **Scr.** E doctrina Litterarum d. homo hinc quidem est servus inutilis, qui omne quod habet a Deo accepit Rom 11; illinc vero Deus promisit se remuneraturum esse omnia bona opera eius. Implicite hoc Deus praestitit, dum bona opera ut vitae aeternae consequendae conditiones praescripsit: «*Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*» Mt 19. Sed explicite quoque idem pronuntiatur: «*Pietas ad omnia utilis, promissionem habens vitae quae nunc est, et futurae*» 1 Tim 2; «*Beatus vir qui suffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se*» Iac 1. **Tr.** Secundum Augustinum (in Ps 83) «debitorem Dominus ipse se fecit non accipiendo, sed promittendo».

R. *a)* Quum opus meritorium sit *opus bonum in favorem alterius* ab eo ex iustitia vel fidelitate remunerandum, absque acceptione alterius non potest habere rationem meriti. *b)* Inter opera hominis et praemia a Deo tribuenda summa est *inaequalitas*, quae non potest tolli nisi positiva Dei ordinatione. (1 II 114, 1. 4). — Movetur hic quaestio, *utrum meritum in sola Dei ordinatione nitatur?* Ex opinione *scotistarum* et nominalistarum meritum operibus mere ex Dei acceptione insidet, quod *thomistae* et molinistae probabilius negant. Etenim *a)* acceptio operibus non potest tribuere internum illud pretium, quo proportionata fiunt mercedi recipiendae. *b)* E sententia scotistarum opera essent mera conditio et non vera causa meriti, quod tamen Tridentinum postulat.

Ab homine 2. **Status viatorum.** Est enim veritas catholica *morte finem fieri merendo et demerendo* (§ 112, 2).

3. **Status gratiae.** Est *fidei proximum.* Etenim docente *Trid.* (6 cp 16) Christus ut caput in membra iugiter virtutem influit, sine quo eorum opera nullo modo possunt esse Deo placita. Damnatus est Baius (propp. 15 et 17) docens ad meritum non esse necessarium, ut homo per gratiam adoptionis ad statum deificationis sublimetur et satis esse conformitatem operis cum lege. — DEMONSTR. **Scr.** «*Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras*» Jn 15. «*Si caritatem non habuero, nihil sum*» 1 Cor 13; filii soli sunt heredes Rom 8. **R.** *a)* Bona tantum arbor bonos fructus facit. *b)* Tunc demum aliqua oritur proportio inter Deum et hominem, et igitur inter meritum et opus, si homo ad statum filiorum Dei elevetur (1 II 114, 3).

Ab opere 4. **Opus moraliter bonum** *seu liberum et moraliter honestum.* Requiri libertatem est *fidei proximum* ex damnatione prop. 3. *Iansenii:* «Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione». Requiri opus moraliter honestum certum est. — DEMONSTR. **Scr.** «*Si enim volens hoc*

ago (ut praedicem evangelium), *mercedem habeo*» 1 Cor 9 ; «*Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum*» 2 Cor 5. **R.** *a)* Opus meritorium est in favorem alterius ; at si homo libere non ordinaret actum suum in alterum, non esset in illius favorem. *b)* Opus meritorium est opus mercede dignum ; at opus sive malum sive coactum ex communi quoque aestimatione nullo praemio est dignum (1 II 114, 1). *At non requiritur ut opus bonum sit supererogatorium*, modo sit vere et non externe tantum morale.

5. **Opus supernaturale** seu ut tam ex «principio quo» supernaturali i. e. ex *gratia*, quam *e motivo supernaturali* proveniat. *Certum.* — DEMONSTR. **Scr.** «*Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquae in nomine meo, quia Christi estis, amen dico vobis non perdet mercedem suam*» Mc 9. «*Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*» 1 Cor 11. **R.** *Motivum* seu intentio est quasi anima operis, quae si non esset supernaturalis, deesset proportio ad finem et mercedem supernaturalem.

QUAEST. Quoad naturam motivi supernaturalis ad meritum requisiti disceptatur, *ex qualinam caritate supernaturali opus meritorium nasci debeat.* Theologi in *tres* sententias abierunt ? 1. Necesse est, ut opus saltem *virtualiter ex motivo caritatis* actualis proveniat (plerique thomistae et Bellarm.) ; 2. satis est, si remote *ex virtute caritatis* nascatur et proxime e quovis motivo fide apprehenso (Suarez) ; 3. satis est, si *ex quolibet motivo moraliter honesto* oriatur ; debitam enim ordinationem in Deum ex statu gratiae eo ipso accipiet. — Quid tenendum? Quum *caritas habeat mandatum magnum* (Mc 12 ; «si caritatem non habuero, nihil sum» 1 Cor 13), probabilius non est satis aliud motivum atque caritas. Sed thomistae forsitan iusto plus exigunt, quum caritatem saltem virtualiter in actum influentem postulant. Satis esse videtur, ut adsit *animus caritatis*, qui certe habetur, si quis caritatem totiens quotiens eius praeceptum obligat, exercet et interim non retrahit.

ADDIT. *Hae conditiones sunt* veri meriti, seu *meriti de condigno.* Duo enim genera meriti a theologis distinguuntur : de condigno, seu secundum iustitiam vel fidelitatem, si aequalitas quaedam inter opus et praemium intercedit ; *de congruo*, seu secundum aequitatem, si proportio aequalitatis deest. Si omnes conditiones praeter statum gratiae adsint, meritum erit de congruo infallibili ; alioqui est de congruo fallibili.

3. Obiecta. — THES. **Iustus de condigno meretur gratiae sanctificantis augmentum, vitam aeternam et gloriae aeternae augmentum.** *De fide* ex Trid. 6 c. 32 (supra n. 1).

EXPLIC. Hoc decreto patres Tridentini meritum secundum iustitiam seu *de condigno ante oculos habuerunt.* Namque *a)* de vero merito loquuntur ; atqui hoc est meritum secundum iustitiam. *b)* Actus praeparatorii gratiae ex doctrina Tridentinorum non sunt meritorii ; atqui ex sententia communi theologorum sunt meritorii de congruo ; ergo mens concilii non erat nisi meritum de condigno definire. Ubi decretum *vitam aeternam et ipsius vitae aeternae consecutionem* statuit, non duo obiecta meriti vult definire, sed unum tantum, cuius consecutio conditioni est annexa : exitui in statu gratiae (cf. § 70, 3 th. 2).

DEMONSTR. **Scr.** Iustum mereri gratiae augmentum omnibus probatur, quibus gratiam bonis operibus augeri idque causaliter dicitur (§ 76, 2). Vitam aeternam eiusque augmentum esse obiectum meriti,

multis quibus existentia meriti probatur, edicitur, v. g. : «*Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis; et tunc reddet unicuique secundum opera sua*» Mt 16.

R. Meritum est *ius ordinis supernaturalis*, cuius nisi quis membrum sit, meriti expers erit. At membrum fieri ordinis supernaturalis, est benignissimae gratiae Dei, et nullo pacto meriti obiectum esse potest : principium meriti non cadit sub meritum. Ex quo colligitur *nihil posse hominem mereri, quod quocunque modo principii essendi rationem in ordine supernaturali habet*. Ergo non potest esse obiectum meriti de condigno *prima gratia* sive actualis sive habitualis ; deinde quidquid principio essendi sustentando inservit : gratia quaecunque *efficax*, et ideo etiam ille gratiarum efficacium cumulus, in quo entitative consistit gratia perseverantiae, et probabiliter etiam gratiae *sufficientes*. Ita Thomas (1 II 114, 9). Manet ergo, ut homo vitae supernaturalis augmentum et consecutionem tantum mereri possit ; seu gratiae et gloriae augmentum et ipsam vitam aeternam ; de quo obiecto autem gravis suboritur

DIFF. Vita aeterna filiis tantum debetur ; atqui filius quivis per gratiam primam fit, quam mereri non potest ; ergo *neque gloriam primam, quae gratiam primam pro conditione habet*. — RESP. Quidam cum Lugone et *Ripalda* largiuntur gloriam secundam tantum esse obiectum meriti. Sed communis est sententia theologorum decretum Tridentini vix aliter atque de gloria prima merenda accipi posse, et ita solvunt : actus ultimi disponentes ad iustificationem tempore simul sunt in anima iam cum gratia sanctificanti ; ergo his mereri potest vitam aeternam (1 II 112, 2 ad 1). *Alii* probabilius ita : cum gratia prima iustificatus accipit ius hereditatis ad vitam aeternam, cui deinde ex operibus meritoriis in statu gratiae peractis accedit novus titulus meriti.

COROLL. *Maius gratiae et gloriae augmentum est sequela maioris meriti*. Etenim ex praecedentibus inter meritum et praemium proportio aequalitatis cuiusdam intercedit. Maius augmentum meriti pendet ex maiore caritate et ex eximiore pretio morali operis, non autem ex charismatis vel fortuniis status externi ; Deus apud quem non est personarum acceptio, sola corda respicit.

ADDIT. 1. *Merita per peccatum extincta reviviscunt*, si peccator denuo iustificatur. Sententia fere *communis*.

DEMONSTR. Merita per peccatum grave quodcunque mortificantur ; namque per damnum aeternum peccato inductum omne ius vitae aeternae deletur. Ex quo collige non posse vere mereri paenitentiam post lapsum futuram ; etenim pariter extingueretur cum peccato. Ubi autem peccator resipuerit et gratiae ornatum iterum induat, nihil impedit, quominus Deus aestimationem illam, quae propter pretium internum operibus meritoriis inerat quaeque tantum propter indignitatem operantis suspensa erat, denuo ad effectum perducat. «*Sine paenitentia enim sunt dona et vocatio Dei*» Rom 11. Id significat propheta : «*Iustitia iusti non liberabit eum, in quacunque die peccaverit, et impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab iniquitate sua*» Ez 33 ; et Chrysost. (in Gen 6) dicit : «Si convertamur, statim ad pristinas divitias reverti possumus». Atqui si non reviviscerent, peccatum utique multum noceret, nec peccator ad pristinas divitias reverteretur.

2. Ratione vitae aeternae hominis *opera* possunt esse *mortifera*, quae sunt peccata gravia ; *mortua*, seu opera bona in statu peccati progenita ; *viva*, seu opera in statu gratiae facta ; *mortificata*, quorum meritum per peccatum extinctum est ; *vivificata*, quorum meritum post iustitiam recuperatam reviviscit.

3. De *obiecto meriti de congruo* non est una omnium sententia. Tamen *Peccator* adiuvante gratia actuali potest per actus praeparantes certo mereri *conversionem*, immo si eius contritio caritate perfecta erit, etiam de congruo infallibili.

Iustificatus potest mereri *a) gratias actuales* (etiam efficaces); *b)* e mente non paucorum conversionem futuram post lapsum; *c) bona temporalia*, imprimis vitam et sanitatem; *d) aliis* ea omnia, quae sibi de congruo mereri potest, et insuper gratiam primam; ipse enim est in statu gratiae, habet ergo principium meriti. Haec omnia etiam impetrationis efficacioris sunt obiecta.

TRACTATUS SEXTUS DE ECCLESIA.

Disseritur 1. de conditione, 2. de veritate Ecclesiae.

Tractatus de Ecclesia. *a)* J. *Turrecremata:* Summa de Ecclesia 1489 ; R. *Bellarminus:* Controversiae I II 1581 ; M. *Becanus:* De Ecclesia Christi itemque de Ecclesia romana 1615 ; C. *Passaglia:* De Ecclesia Christi commentariorum II. 5 1853; D. *Palmieri:* De romano Pontifice 1891 ; *Billot:* De Ecclesia Christi 1904 ; G. van *Noort:* De Ecclesia Christi [3]1920 ; R. *Schultes:* De Ecclesia catholica 1925 ; H. *Dieckmann:* De Ecclesia 2 vol. 1926. — *b)* B. *Bartmann:* Das Himmelreich und sein König nach den Synoptikern 1904 ; F. *Tillmann:* Jesus und das Papsttum 1910 ; *St. Dunin-Borkovsky:* Die Kirche als Stiftung Jesu [5]1925 ; H. *Bruders:* Verfassung der Kirche bis 175 1905 ; K. *Adam:* Der Kirchenbegriff Tertullians 1907 ; M. *Grabmann:* Die Lehre des h. Thomas von der Kirche 1903 ; P. *Batiffol:* Le catholicisme des origines à s. Léon 4 vol. 1922. ss. — *c)* E. *Hugon:* Hors de l'Église point de salut 1907 ; *Böckenhof-Königer:* Katholische Kirche und moderner Staat 1920 ; K. *Feckes:* Das Mysterium der h. Kirche 1934 ; D. *Anger:* La doctrine du corps mystique de J. Chr. 1929 ; Fr. *Jürgensmeier:* Die Lehre vom mystischen Leibe Christi als Grundprinzip der Aszese 1931. — *d)* J. A. *Möhler:* Einheit der Kirche [2]1925 ; R. *Guardini:* Vom Sinn der Kirche 1923 ; K. *Adam:* Das Wesen des Katholizismus [6]1931 ; H. *Rost:* Die Kirche nach Zeugnissen von Nichtkatholiken 1919.

Caput 1. Conditio Ecclesiae.

Quaeritur de 1. institutione, 2. fine et muneribus, 3. constitutione, 4. proprietatibus Ecclesiae.

§ 78. Institutio Ecclesiae.

Statuitur 1. institutio Ecclesiae per Christum; diluuntur 2. difficultates.

1. Institutio. — THES. **Voluit Christus, ut fideles sui ad exercendam vitam supernaturalem a se datam societatem religiosam seu Ecclesiam constituant.** *De fide.*

EXPLIC. *Societas* est «adunatio hominum ad unum aliquid communiter agendum» (Opusc. ctra impugn. Dei cultum 3) ; homines seu membra sunt materia, «communiter agendum» finis, unio forma societatis. *Ecclesia* est societas, quae ex institutione Christi usque ad consummationem saeculorum hominibus communicat redemptionis fructus, cuius membra per fidem, sacramenta, obedientiam superiorum legitimorum tamquam corpus mysticum Christi communionem inter se et cum Deo constituunt. — Hunc catholicum Ecclesiae conceptum depravant *a) cathari,* uti montanistae, novatiani, donatistae, albigenses, fraticelli, ex quorum opinione Ecclesia est societas sanctorum ; *b) praedestinatiani,* uti Wicleff, Hus, Calvin : Ecclesia est societas praedestinatorum, ergo iustorum, quum Ecclesia catholica sit «corpus permixtum» ; *c) lutherani:* Ecclesia est societas praedestina-

torum ea, quae recte praedicat fidem et administrat sacramenta. Ex horum omnium mente Ecclesia est societas invisibilis sanctorum, qui forte etiam in communionem visibilem coalescunt ; ergo sancti generant Ecclesiam, dum e veritate catholica Ecclesia generet sanctos ; *d)* protestantes *rationalistae et modernistae* negant a Christo esse institutam aliquam ecclesiam ; sed qui Christum («fidei») credebant, spe regni eschatologici deiecti ad fidem communem et liturgiam exercendam in societatem conveniebant et paulatim ad ordinem servandum hierarchiam procreabant. — *Vat.* (4 Ecl. prooem.) docet : «*Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et caritatis vinculo continerentur*». Modernistae damnati sunt Lament. 52-6.

DEMONSTR. 1. Docente Aug. (Civ. XVII 16) et Thoma (III 8, 3) *Deus Ecclesiam iam in patriarchis et prophetis*, imo iam initio generis humani *fundavit*, volens ut homines sancta societate inter se et ad eum uniantur et regnum Dei constituant. Quare foedus pepigit cum Israel Ex 20-23, in monte Sinai ipse se fecit regem super Israel, leges ei praescribens Ex 34 ; fidelitatem ei promisit, si et ipse fidelis inveniatur Deut 16. 18. 29 ; populum istum electum regale sacerdotium constituit, cuius sit adorare in veritate Deum unum Deut 11, 18-20. Et revera populo Israel persuasum erat : «Ipse est Dominus Deus noster, et nos populus pascuae eius et oves manus eius» Ps 94. Regnum istud tamen non tam praesens exercebatur, quam multo gloriosius ut futurum, messianum sperabatur (§ 10, 1 ; 14).

2. *Christus* d. praedicationem publicam sic est exorsus : «*Quoniam impletum est tempus, et appropinquavit regnum Dei: paenitemini et credite evangelio*» Mc 1. Ergo instauravit et perfecit regnum Dei a prophetis praenuntiatum adversus obfuscationes et depravationes pharisaeorum : *a)* Regnum Dei *est donum Dei* gratuitum supernaturale (Act 1, 6 ; Mt 25, 34), *cuius bona* praecipua sunt : remissio peccatorum (§ 101), cognitio plena Dei Jn 17 et nova Dei communio (74 §) ; quae quum sint supernaturalia, ipsum regnum quoque est mysterium Dei, similitudinibus adumbrandum (Mc 1, 15 ; 4, 30 ; Mt 11, 25 ; 13, 11 etc.). *b)* Bonis istis tamquam talentis demandatis *faenerari oportet:* conditio remissionis est contritio, mysteriorum susceptio est fides. Licet leve sit onus istius regni ad 613 observationes V. Legis (Mt 11, 12), nihilominus vim patitur, et orandum est pro triumpho eius : Adveniat regnum tuum.

3. Bona ista regni Dei non sunt solummodo bona et munera singulorum, sed ex explicito Christi mandato sunt commissa *societati religiosae* in hoc saeculo et in hoc historiae cursu constituendae : *a)* Ipse *Christus* regni illius et *caput et centrum* se exhibet : remissionis, cognitionis Dei, vitae novae ipse est auctor et principium : ipse est vitis, fideles sui palmites Jn 15 ; ergo fideles in ipso et per ipsum unitate organica iunguntur. — *b) Parabolis* societatem praedicantibus regnum suum illustrat : est regnum adversus satanam constitutum, civitas in monte posita, vinea, sagena, arbor, domus. — *c) Factis* idem manifestavit : α) Discipulos collegit, ex eis duodecim *apostolos* elegit, quibus munus auctoritativum docendi,

sanctificandi, gubernandi commisit, ceteris vero obedientiae et submissionis officium imposuit (§ 79); ergo ab apostolis ut evangelium suum propagarent, a fidelibus, ut baptizentur, ut credant et obediant postulavit; seu munera socialia eis imposuit. β) Petro, quum Caesareae Philippi eum Messiam profiteretur, dixit: «Tu es Petrus, et *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*» Mt 16; ergo id quod plerumque regnum Dei dixerat, Ecclesiam nominavit, fundamento Petri tamquam capitis superaedificavit; ergo societatem ordinatam eam voluit. — *d)* Eadem est *persuasio apostolorum:* Fideles sunt corpus Christi, cuius ipse est caput, sponsa, quam ipse sibi sanguine suo acquisivit Col 1; 1 Cor 12; Eph 5. Die pentecostae incipiunt evangelium praedicare, audientes baptizare, in societatem disponere, leges ac disciplinam eis praescribere et unionem istam Ecclesiam vocare; idque stante adhuc synagoga! — *e) Ecclesiae* ex istis priscis temporibus usque hodie haec est continua *persuasio* se a Christo esse fundatam; at impossibile est omnino, ut societas omni tempore tanto cum vigore munere suo perfungens per oblivionem vel errorem sui proprii originis opprimatur.

2. Difficultates. — 1. Si propositum fuit Christo fundare novam societatem, sui generis, *debuit a synagoga separari.* At hoc ipse non fecit, imo nec prisca communio christianorum hierosolymitana. — RESP. *Synagoga fuit opus Dei*, etsi transitura, tamen legitima, donec Novum Foedus perficeretur; quod ante resurrectionem et pentecostem non est factum; ergo non erat sive vitanda, sive spernenda. Nihilominus Christus d. nullum reliquit dubium suam *Ecclesiam independentem* fore a synagoga: Novum foedus paciscitur Mt 26; novum caput dat Ecclesiae suae Mt 16; novam legem ei praescribit Mt 5-7; praenuntiat exitium templi, quod tamen erat centrum synagogae, et praestituit tempus, quo Deus omni loco adorandus sit in veritate Jn 4. Ideo prisca ecclesia hierosolymitana propriis praesulibus obtemperat et proprium cultum «fractione panis» exercet. — De modo autem separationis externo Christus nihil mandavit. Non est ergo mirum, quod quidam se magis propitios exhibebant, uti Iacobus minor, aliis acrius obstantibus, uti Paulo; cf. Ac 15 et Gal 2. Omnes tamen, qui erant «columnae ecclesiae» de rei essentia idem sentiebant: Legem veterem abolitam esse (§ 14), etsi synagoga cum honore fuerit sepelienda.

2. *Non fuit mens Christi evangelium suum ad omnes gentes propagari.* Ipse ad filios Israel se missum dixit, apostolis prohibuit ne in viam gentium abirent; prisca ecclesia noluit ethnicos recipere. *Paulus* est primus, qui universalitatem evangelii et societatis christianae asserit; ergo ipse est vere fundator Ecclesiae. — RESP. *a)* Exploratum est etiam rationalistis criticis, *evangelium saltem virtualiter* esse *universale:* est aptum quod omnibus hominibus, conditionibus, indigentiis satisfaciat (§ 14); nec limitibus ullis regionum et gentium constringitur. Nunc iam nimis grave est putare, quod Christus ipse istam sui evangelii universalitatem non senserit; quum etiam iudaeos tunc temporis universalismus quidam ac proselytarum faciendorum studium pervasit! *b) Prophetae* regnum messianum universale nuntiabant (§ 10, 1; 12, 2). Num Christus remissius senserit? *c)* Christus d. evangelium suum *explicite* gentibus quoque destinavit, ut apparet ex parabola coenae, filii prodigi, domini locantis vineam, mandato docendi omnes gentes. Si ergo ipse non praedicavit gentibus, voluit ad verum perducere illud providentiae: Ex Sion exibit lex et verbum Domini de Ierusalem. *d)* Paulus vero nihil praedicavit, nisi quod a Domino acceperat 1 Cor 11.

3. *Christus* finem huius saeculi immediate instantem putavit, *regnum Dei eschatologicum expectavit;* ideoque neque Ecclesiam fundavit, neque leges et mandata perpetua dedit, sed solum ad interim. — RESP. Licet Christus d. de regno suo ut futuro quandoque loquitur, immo signa regni venturi sui enumerat (§ 114), tamen nullum relinquit dubium, quin *a)* regnum istud *iam diebus suae in terra commorationis*, immo iam cum praedicatione Baptistae initium sumpserit (Mt 11, 28 ; Lc 16, 16 ; 17, 20). Regnum a se institutum minime est eschatologicum, neque post mortem suam : *bonos et malos* permixtim complectitur; quum ii in statu eschatologico ab invicem separandi sint Mt 25. *Leges* suae et praecepta non sunt ad interim ; imo si caeli et terra transibunt, verba sua non praeteribunt (§ 10, 1; 14). *Apostolos* elegit, educavit, potestatibus instruxit, ad evangelium omnibus gentibus praedicandum misit, et tunc demum finem instare nuntiavit, quum praedicatum fuerit evangelium cunctis gentibus. Regnum Dei ergo ex mente Christi est granum sinapis pedetentim evolvendum, diversas *phases* exhibens, quarum ultima tantum erit regnum eschatologicum. Omnia ista criticos ideo tantum fugere potuerunt, quia ad normam suam «criticam» omnes textus ea narrantes tamquam non genuinos expungunt. *b)* Neque phasis eschatologica regni Dei erit apocalyptica, ut patet ex falsitate chiliasmi (§ 114). *c)* Gratis omnino asseritur Christum finem mundi proxime instare putasse (§ 12, 1).

4. Christus singulis annuntiavit *evangelium caritatis et fiduciae;* Ecclesia vero ex eius mente non est nisi communio mere «idealis» hominum de Deo et evangelio Christi idem sentientium. *Ecclesia ita est exorta*, ut fideles a synagoga gradatim separati sunt, imprimis ex quo Urbe lapsa centrum et cor synagogae cessavit ; in pugnis deinde contra marcionitas, gnosticos, montanistas a iudaeis Vetus Testamentum, a graecis philosophiam, a romanis ius mutuabant et Ecclesiam hierarchicam, catholicam constituebant. Ita cum Harnack multi «critici». — RESP. Tota ista theoria innititur dogmate negativo criticismi de diversitate Christi historici et Christi fidei (§ 9, 3). Gratis omnino asseverat priscam societatem christianam, quae iam Act et in Paulinis ut societas supernaturalis hierarchice disposita exhibetur, non a Christo sumere originem, sed *generatione nescio qua aequivoca* historica esse progenitam. Ecclesia enim et quoad finem muneraque et quoad vitam suam est novi et inauditi quid, quae non potuit ex mere naturalibus evolutione historica pronasci (cf. § 11, 1; 13, 1). Si quae ex mundo circumiacenti mutuavit, ista non sunt constitutiva essentialia, sed sunt conditiones vivendi illius Ecclesiae, quae non est quidem de hoc mundo, est tamen in hoc mundo. Si semen in terra conditum ad nutriendum surculum quaedam de ista terra assumit, num ideo arbor de terra illa procreata dicenda est?

§ 79. Finis et munera Ecclesiae.

1. THES. **Finis Ecclesiae est communicare fructus redemptionis et ita aedificare corpus mysticum Christi.** *Certum* ex Vat. (4 prooem.

DEMONSTR. 1. Ex mente thesis Ecclesia a Christo d. ad haec duo destinatur : *a)* Ad verum perducere usque ad consummationem saeculi illam *communionem hominum cum Deo*, quam Christus d. opere suo redemptorio instauravit ; eadem enim potestate et mandato misit Ecclesiam suam, qua ipse missus erat a Patre : «*Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*» Jn 20 (cf. 17, 4. 18 ; Lc 10, 16 ; Mt 28). Haec erat etiam persuasio apostolorum : «*Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*» 1 Cor 4. *b)* Constituere et ad perfectum perducere illam fidelium cum Christo *unitatem*, quam in parabolis, imprimis de vite et palmitibus Jn 15 et de patrefamilias adumbravit, quam oratione sacerdotali a Patre petiit : «*Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint*» Jn 17 (cf. § 84, 3). — 2. Hanc in Christo unitatem ab Ecclesia perficiendam iam *Methodius* in Convivio decem virginum celebravit, et tota *Civitas Dei Augustini* circa idem versatur.

3. *Ratione* quoque suadetur *a)* Homo *naturā sua ad communionem ordinatur ;* quidquid vere est humanum: veritatis et caritatis cultus exercitiumque nonnisi inter homines in societatem dispositos viget, floret, crescit. Si ergo homines ut filii naturae ab initio in familias, stirpes, regna coalescunt, necesse est, ut tamquam filii Dei civitatem Dei constituant ; eo magis, quia hoc demum modo imitatio quaedam et imago ss. Trinitatis commercio hominum constituitur, quae docente Ps. Dionysio est fons et exemplar et norma omnis communionis. *b)* Christus d. ideo venit in mundum, ut communionem Dei et hominum ad perfectum adducat, ut sit *tabernaculum Dei cum hominibus* (§ 62, 4). Idem ergo debet esse finis Ecclesiae, cuius antistites Christus Dominus eadem potestate misit, qua ipse a Pater erat missus.

COROLL. 1. Sanctificationis et educationis supernaturalis munus Ecclesia potissimum in hac vita terrestri exercet ut *ecclesia militans ;* communio sanctorum in altera ad perfectum veniet : ecclesia *triumphans ;* ita tamen ut iam nunc incipiat, et ecclesia etiam militans sit «caelestis urbs Ierusalem» ; et opus sanctificationis quadamtenus etiam ad alteram vitam, ad purgatorium inquam, pertingat : ad ecclesiam *patientem.*

2. *Religio evangelica et Ecclesia convertuntur.* Ita enim Christus evangelium nuntiavit et redemptionem dedit, ut ista in Ecclesia et per Ecclesiam ad verum perducantur et non extra Ecclesiam ; fundamentum enim aliud nemo potest ponere nisi quod positum est, quod est Christus Iesus. Quibus ergo evangelii veritas apologetice probatur, iisdem implicite etiam Ecclesia probatur (cf. § 11, 4 ; 13).

Id *negant cathari* omnis generis. Ex quorum opinione Ecclesia est unio sanctorum vel praedestinatorum, qui (ut addunt protestantes veteres) per inspirationem privatam Spiritus s., ubi plurimum, per lectionem Scripturae vinculo quodam ideali continentur. Protestantes liberales largiuntur quidem unionem fidelium nunc iam fieri per Ecclesiam ; at etiam ipsi cum ceteris catharis docent Ecclesiam progigni a fidelibus, ita ut singuli credentes sint prius quam Ecclesia, quum e veritate catholica communio, Ecclesia sit prius ; ex mente catharorum fideles gignunt Ecclesiam, ex veritate catholica Ecclesia gignit fideles : *a)* Christus prior est quam evangelium et fideles ; ergo etiam Ecclesia, alterego Christi. *b)* Ex explicita Christi doctrina Ecclesia est paterfamilias, homo regius qui caenam parat, dominus qui operarios conducit, rex qui abiit ut regnum sibi acquirat ; non vero subditi qui sibi regem, operarii qui dominum, hospites qui patremfamilias

sibi comparant. *c)* Ipsa revelatio Ecclesiae commissa non est sicuti cathari veteres et protestantes opinantur, merum adiutorium hominibus a Deo oblatum ad facilius vivendum atque consolationem accipiendam, vel ubi plurimum, schola pro lubitu colenda ; sed est verbum Dei, summi Domini, obligatorium omnino ; ideo etiam Ecclesia, custos et praeco officiosus, authenticus, auctoritativus revelationis, est conditio sine qua non communionis divinae adipiscendae.

3. **Ecclesia est communio sanctorum.** *De fide* ex Apostolico. — SENSUS est : Omnes fideles per Christum unionem vivam constituunt, vi cuius participes efficiuntur *bonorum communium*, quae sunt : *a)* Spiritus Christi, seu veritas et gratia Christi ; *b)* bona supernaturalia Ecclesiae ad servandum et communicandum commissa : Scriptura, sacramenta, infallibilis doctrina, orationes et sacrificium (§ 99), merita ; *c)* mutuum adiutorium supernaturale : membra ecclesiae militantis pro invicem possunt orare et merere ; possunt intercedere pro ecclesia patienti, venerari ecclesiam triumphantem eiusque auxilio frui.

PROBATUR : 1) Est *consecutio finis Ecclesiae.* Si Ecclesia est alterego Christi, opus redemptionis usque ad finem saeculi ad verum perducens, tunc per Christum qui est caput, et Spiritum eius qui est spiritus Ecclesiae, membra etiam cum invicem communicant. Iam *in V. T.-o*, quod typus erat Ecclesiae Christi, communio populi cum Jahve erat summum bonum, fons atque pignus omnium aliorum bonorum, titulus mutui adiutorii et responsabilitatis, ut patet ex oratione Abrahae Gen 18, Moysis Ex 31-4, Samuelis 1 Reg 7-8, Davidis 2 Reg 7. — 2) *Christus* d. se vitem, fideles palmites dicit Jn 15 ; vult ut omnes sint unum sicut ipse cum Patre unum est Jn 17 ; vult, ut orent pro invicem Mt 10. — 3) *Paulus* ex istis Christi d. factis et verbis exaedificavit doctrinam corporis mystici Christi (§ 84, 3) et conclusiones practicas deduxit : charismatis in bonum commune est utendum 1 Cor 12 ; omnibus pro invicem orandum (Eph 1, 15 ; 6, 9 etc.). — 4) Id quod revera iam *prisca Ecclesia* fecit (Did 10 ; Clem. R. 55, 6 ; Ign. passim etc.). Quod sic Ecclesia ab initio praxi profitebatur, id *Nicetas Remesianus* a. 350 communionem sanctorum nominavit ; et tunc Apostolico insertum est ; theologi medii aevi addebant doctrinam de thesauro Ecclesiae (Opusc. 6 Expos. symb. ; § 104, 1).

4. *Finis Ecclesiae est praestantior quocunque alio fine cuiuscunque alius societatis ;* est enim formaliter finis ipsius creaturae : gloria Dei per communionem intimam Dei in Christo perficienda. Finis ille est spiritualis et aeternus, excedens ergo omnes fines temporales ; est supernaturalis, a Deo immediate per Christum Ecclesiae praestitutus ; et quum gratia non destruat sed perficiat naturam, Ecclesia quoque ad alias societates non destruendas et opprimendas, sed in Christo perficiendas est destinata. His circumscribitur etiam.

5. **Necessitudo inter Ecclesiam et rempublicam** : *a) Ecclesia est societas perfecta* independens a quavis alia societate, etiam a republica. Certum, immo *fidei proximum* ex damnatione doctrinarum contrariarum Syllabo Pii IX (propp. 19. 20. 24. 28. 34. 41. 43) et ex encyclica Leonis XIII. Immortale Dei a. 1885. — PROBATUR : Societas perfecta est, quae habet finem proprium cum societatibus aliis non communem, et habet media

sufficientia ad finem istum prosequendum, a quavis alia societate independentia. Iam vero *finis* Ecclesiae est ei maxime proprius, immediate ab ipso Christo praestitutus, nulli alii communitati commissus, neque a caesaropapismo unquam expropriandus. Ecclesia habet *media* ad finem suum prosequendum sufficientia, a quavis alia societate independentia : tria munera ab ipso Christo d. eidem collata (infra n. 2.).

Nec obiciatur deesse Ecclesiae *territorium* proprium, sicut habent civitates ; etenim Ecclesiae territorium ex ordinatione Christi Mt 28 est ipse orbis terrarum. Neque repugnat, ut homines sint *membra duarum societatum* perfectarum, Ecclesiae et reipublicae, quia geminus est etiam finis hominis : aeternus et temporalis.

Ex quibus *sequitur:* Ecclesia habet ius praedicandi evangelium, gubernandi fideles, administrandi sacramenta, idque a neminis indultu repetendum et a nemine arcendum (Act 4 ; Aug. Civ. XIX 17) ; habet ius bona temporalia acquirendi *(D* 1726), immo et paenas temporales pro necessitate et opportunitate infligendi (CIC 2214) ; etsi enim non sit de hoc mundo, vivit tamen in hoc mundo et pro hoc mundo (2II 10, 8c).

b) Respublica quoque est societas perfecta, quae pariter habet finem proprium a Deo sibi praestitutum et cum nulla alia societate communem, ordinem publicum servandum nempe; et habet media ad hunc finem perficiendum sufficientia, independenter a quavis alia societate (Reg. princip. I, 1). Hoc tamen *interest* inter duas societates perfectas, quod Ecclesia immediate a Deo sit fundata, respublica vero mediante natura humana essentialiter «politica» (ἄνθρωπος ζῷον πολιτικόν); insuper eo quod finis Ecclesiae utpote supernaturalis est superior fini civitatis.

Quoniam autem iidem sunt homines, quibus per temporalia ad spiritualia sit nitendum, falso docet *liberalismus* nullam esse utriusque societatis ad invicem habitudinem, sed penitus separandas esse (Syll. 55 ; Leo XIII. Arcanum 1880 ; Immortale Dei 1885 ; Libertas 1888). Quum enim finis Ecclesiae utpote aeternus finis hominis sit absolutus, finis vero reipublicae utpote temporalis sit relativus, *civitas subicitur Ecclesiae,* non directe utique, quippe quae pariter sit societas perfecta, sed *indirecte. Indirectam quoque habet Ecclesia potestatem in temporalia;* ita hodie communiter cum Bellarmino (Controv. V 3, 1) adversus plerosque theologos medii aevi, qui potestatem directam, et quosdam recentiores, qui mere directivam asserebant. Seu Ecclesia habet potestatem arcendi ea, quae sunt fini aeterno contraria. Falsa est ergo *Declaratio cleri gallicani* 1682 : nullam esse Ecclesiae potestatem in temporalia.

2. Munera. — Christus d. ita misit apostolos, sicut ipse missus erat a Patre (Jn 20) ; suam ergo ipsius potestatem suaque munera tradidit Ecclesiae : magisterii, ministerii, gubernii.

1. *Christus d. Ecclesiae commisit suum* **magisterium,** seu Ecclesiam magistram officiosam, authenticam, auctoritativam revelationis sua vice constituit. *De fide.*

EXPLIC. Ecclesia est *magistra officiosa* revelationis, seu non proprio marte, sed ex Christi mandato eam docet ; est *authentica,* seu habet

potestatem et dignitatem propriam attestandi veritatem a se propositam ; est *auctoritativa*, seu instructa est potestate obligandi audientes ad doctrinam a se propositam accipiendam. Vat. 3 cp 3 docet : «Ut officio veram fidem amplectendi in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, *Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci*».

DEMONSTR. **Scr.** *a) Christus* d. est supremus et absolutus magister hominum (§ 63). Istius potestatis partem dedit apostolis ante passionem Mt 10 ; ante ascensionem vero plenam et auctoritativam : «*Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo, docete* (μαθητεύσατε = discipulos obedientes facite) *omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ; docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis; et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*» Mt 28 ; addit Mc 16 : «*Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur*». Magisterium, quod ex mandato Christi est universale, ex cuius doctrina salus hominum pendet, quod tam late patet atque ipsius Christi potestas, certo est officiosum, authenticum, auctoritativum. — *b) Apostoli* revera munus praedicandi a Christo sibi commissum usque ad persecutiones et mortem exercendum et a nemine prohibendum profitebantur (Act 2, 14 ss. ; 1 Cor 1, 17 etc.). Persuasum sibi fuit se in munere isto exercendo esse ministros Christi, testes evangelicae veritatis omni exceptione maiores, ab ipso Deo constitutos (Rom 1, 5 ; 15, 18 ; 1 Cor 2, 16 ; Act 10, 41 ; 13, 31 etc.) ; ideoque plenam et absolutam subiectionem postulabant : «*Licet nos aut angelus de caelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*» Gal 1 ; denique ut iudices controversiarum quaestiones disputatas determinabant, uti quaestionem circumcisionis «synodo» hierosolymitana (Act 15 ; Gal 2).

Tr. Patres statim ab initio adversus haereses sancte affirmabant evangelicam veritatem esse apud successores legitimos apostolorum ; qui eos non audierit vel aliter docuerit, reiciendus est. Ita iam Did., Ign., Clem. R. (cf. Iren. III 3, 34 ; Orig. Pr. praef. ; Tert. Praescr. 15 ss.). **R.** Veritas revelata est *doctrina nova*, contraria iis quibus homo consuetus est ; est *supernaturalis*, contraria affectibus et cupidinibus inferioribus ; est *absoluta* et perfecta, non pro lubitu singulorum mutabilis. Ergo sine magisterio authentico et auctoritativo inevitabiliter ad nutum et cupidinem et sensum inferiorem, ad varietatem singulorum depravaretur, et actum esset de eius supernaturalitate, unitate et absoluta indole.

DIFF. *a)* Dicit Christus : «Nec vocemini magistri ; quia *magister vester unus est, Christus*» Mt 23. — RESP. *Nimium probat.* Si Christus d. verbis istis prohibuisset apostolos magistros evangelii fieri, tunc etiam patres physicos habere eos vetuisset ; ibidem enim dicit : «Patrem nolite vocare vobis super terram, unus est enim Pater vester, qui in caelis est». Solum illud ergo magisterium reprehendit, quod sua vult docere, non ea quae Christi sunt.

b) Tempore messiano *ipse Deus vel Spiritus* s. erit hominum magister in divinis : «Et non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum dicens : Cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum» Ier 31 ; et revera : «Non necesse habetis, ut

aliquis doceat vos ; sed sicut unctio eius docet vos de omnibus, et verum est et non est mendacium» 1 Jn 2. — RESP. Istis magisterium externum non negatur, ut Ier 3 ipse docet : «*Et dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina*». Id unum ergo eiusmodi locutionibus inculcatur, verba Dei esse spiritum et vitam atque eodem ipso animo esse recipienda in Spiritu s., qui est principium absolutum personale vitae interioris spiritualis ; at id minime fit contra Christum, sed in et cum Christo : «De meo accipiet et annuntiabit vobis» Jn 16.

2. *Christus d. Ecclesiae commisit* **ministerium** seu potestatem sacerdotalem, cuius est administrare sacramenta et exercere cultum Dei orationibus ac praesertim sacrificiis. *De fide.* Adversus novatores s. 16., qui sacerdotium peculiare negabant, Trid. 23 c. 1 definivit : «*Si qu. d. non esse in N. T.-o sacerdotium visibile et externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Christi Domini et peccata remittendi et retinendi, sed officium tantum et nudum ministerium praedicandi evangelium; vel eos qui non praedicant, prorsus non esse sacerdotes, a. s.*»

DEMONSTR. **Scr.** *In V. T.-o* ipse Deus elegit sacerdotes ex stirpe Aaron eosque peculiari potestate ornavit, ut populum Dei sanctificarent (Ex 28-30 ; Lev 8-10 ; Num 3. 4. 9. 16-8). Istud sacerdotium testibus ispis s. Litteris non erat mere paedagogicum, sed sicuti in omnibus alicuius nominis religionibus: sacerdotium liturgicum, mysticum, sacramentale. Quod sacerdotium perficiendum erat *in N. T.-o*, ubi Christus factus est sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech (§ 64). Istud suum munus sacerdotale per partes commisit apostolis eorumque successoribus, quum dedit eis potestatem baptizandi (§91), remittendi peccata (§ 103), Eucharistiam consecrandi et offerendi (§ 100), et hunc in finem peculiari charismate Spiritus s. eos insignitos voluit (§ 107-8).

Tr. Iam vetustissimi fontes, ut Did., Ign., Clem. R., Ign., Polyc., Acta martyrum vetustissima testantur in Ecclesia ab initio fuisse collegium antistitum a ceteris fidelibus essentialiter distinctum (§ 80), bene dispositum, ministrorum sacramentorum et sacrificii (cf. etiam § 107-8). **R.** *Sanctificatio hominum per gratiam* in communionem supernaturalem Dei *est donum divinum absolute gratuitum;* ergo penitus ex consilio Dei pendet, quomodo dona ista hominibus communicare velit ; ideoque sacerdotii nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo Heb 5. Sic enim convenit, ut *gratia quae desuper est*, etiam per sacerdotium desuper constitutum et consecratum hominibus conferatur. — Nec obest sacerdotio liturgico et sacramentali, quod Christus sit summus pontifex hominum, unus mediator Dei et hominum. Etenim sacerdotium Ecclesiae est secundarium, cuius omnis efficacia atque dignitas est ex primario Christi, et cuius omne munus eo absolvitur, quod applicat fructus sacrificii primarii atque absoluti summi sacerdotis Christi.

3. *Christus d. Ecclesiae commisit* **imperium,** seu potestatem leges ferendi, iudicandi, coercendi. *De fide.* Adversantur «spiritualistae» a montanistis per fratres spirituales, albigenses, waldenses m. ae. usque ad novatores s. 16. Ecclesia thesim nostram implicite proponit, ubicunque docet esse in Ecclesia hierarchiam (Trid. 23 cp 4 ; Vat. 4 prooem. ; cf. § 80).

DEMONSTR. *Generatim : a) Christus* d. eadem potestate misit apostolos, quam ipse a Patre acceperat ; at Christus potestate summi omnium

regis est ornatus (§ 65) ; ergo. *b) Ratione* idem efficitur ex eo, quod Ecclesia est societas supernaturalis. Pro societate naturali non est necesse immediate et explicite imperium constituere ; etenim ex ipsa natura sociali hominum ordo iuridicus enascitur. At *ordinis supernaturalis semina non sunt naturae inserta*, sed immediate a Deo indita ; ergo neque ordo istius societatis sua sponte progignitur, sed ab eodem ipso Deo est constituendus, sicut etiam theocratia V. T.-i. Insuper : si Ecclesia non est divinitus instructa imperio, tunc neque muneri suo educandi homines satisfacere potest ; non enim a tironibus et alumnis sunt condendae leges scholares.

Per partes: a) Christus dedit Ecclesiae potestatem *legislativam:* Dicit enim apostolis : «*Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in caelis*» Mt 18 ; quod ante iam Petro dixerat, ubi eum fundamentum Ecclesiae suae constituerat Mt 16. Solvere enim et ligare ex consuetudine sermonis istius temporis et nostra idem est atque prohibere vel permittere, seu legibus ligare vel libertatem concedere ; est ergo potestas non modo declarativa, ut volebant novatores s. 16. sed vera potestas leges condendi et abrogandi (cf. § 80, 3). Potestas ista est quum universalis, ad quaecunque se extendens, tum suprema, rata habita etiam in caelis. Apostoli potestatem istam sibi collatam revera exercebant, primo ubi circumcisionem et observantias mosaicas non obligare statuebant Act 15.

b) Potestas *iudicialis* est consecutio logica potestatis legislativae, quae alioqui vana et frustranea est. Neque ullum existit unquam imperium, quin eam exercuerit. Christus d. etiam explicite Ecclesiam ea instruxit : «*Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*» Mt 18. Apostoli istam potestatem exercebant : Petrus damnavit Ananiam et Saphiram Act 5, Paulus incestuosum corinthiacum 1 Cor 5, Alexandrum et Hymenaeum 1 Tim 1.

c) Potestas *coercitiva* est consecutio et complementum iudicialis, quae sine executiva inanis redditur, ut historia omnium gentium probatur. Christus d. quoque verbis supra laudatis cum iudiciali ipsam apostolis committit, et apostoli una cum iudiciali eam exercent. Ecclesia ab initio peccatores capitales vel exclusit vel paenas gravissimas eis iniunxit.

QUAEST. *Necessitudo trium potestatum.* — Ex doctrina *scholasticorum* Ecclesia duas claves et igitur duas potestates accepit : iurisdictionis et ordinis. Potestatem magisterii, quam scholastici plerumque sub potestate iurisdictionis subsumebant, posttridentini explicite efferunt, suadente necessitate temporum : adversus superbiam, scepsim, criticam novatorum. Ex doctrina *Suarez et Stapleton* Ecclesia geminam scientiae clavem accepit ad aperiendum thesaurum Scripturae et traditionis, deinde iterum geminam clavem potestatis ad individua dirigenda : iurisdictionis et ordinis. Et usque in nostros dies multum disputatur imprimis *de necessitudine magisterii ad ambas potestates alteras.* — Dicendum videtur : *Materialiter tres potestates adaequate distinguuntur;* ita enim differunt obiecta earum formalia : veritas, gratia, sacra disciplina. Obiectum formale magisterii et ministerii sunt aeterna et constantia ; imperium necessitatibus et conditionibus tempo-

rum se accomodet oportet, etsi secundum leges aeternas. *Formaliter seu exercitio* tres potestates *se invicem pervadunt:* magisterium non est solummodo propositio veritatis revelatae, sed etiam testificatio eius authentica fidem generans, ergo etiam actio sacerdotalis, et est praeceptum auctoritatis, et igitur exercitium potestatis iurisdictionis ; et vicissim sacerdotium et iurisdictio vix exercentur, quin simul doceant.

COROLL. Trina potestate magisterii, ministerii, imperii *ipse Christus* d. trinum munus redemptorium summi magistri, sacerdotis, regis exercet ; ergo fas est hominibus plena devotione et obedientia se subicere : non hominibus se subiciunt, sed ipsi Christo.

§ 80. Constitutio Ecclesiae.

Statuitur Ecclesiae 1. ordo hierarchicus, 2. hierarchiae dispositio, 3. monarchia.

1. Ordo hierarchicus. — THES. **Existit in Ecclesia hierarchia** ; seu ex institutione Christi sunt in Ecclesia antistites, quibus commissa est trina potestas magisterii, ministerii, imperii, et sunt subditi; seu in Ecclesia *ex ipsa Christi voluntate discrimen essentiale est inter clerum hierarchicum et inter laicos. De fide* ex Trid. et Vat.

Adversantur s. 4. Aerius, s. 12. albigenses et waldenses, s. 16. *novatores,* imprimis collegialistae (Pufendorf), quorum omnium haec est sententia : nullum esse discrimen essentiale inter clerum et laicos, sed omnes per se habere potestatem, quam deinde solum propter ordinem communem in aliquos conferunt. Ex doctrina *gallicanorum,* iansenistarum, febronianorum ipsa Ecclesia in communi est subiectum trinae potestatis, sine cuius assensu nemo antistitum habet potestatem auctoritativam. Ex opinione *criticorum* Ecclesia iam exeunte s. 2. hierarchice erat constituta ; at tantus est inter istam et ecclesiam apostolicam hiatus, quantus inter ecclesiam apostolicam et inter Christum. Ita sentiunt etiam modernistae. *Trid.* 23 c. 4 anathematizat eum qui dixerit «*per sacram ordinationem non imprimi characterem indelebilem, vel eum qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse*»; thesim 23 cp 4 explicite proponit, Vat. 4 prooem. repetit.

DEMONSTR. **Ser.** 1. *Christus* d. ex discipulis sollemniter elegit duodecim Mt 4, quos per eminentiam *apostolos* vocavit, peculiari diligentia per totam vitam suam publicam instruxit, et potestatibus ornatos ad evangelium praedicandum misit Mt 10. Ante ascensionem ipsis tradidit tria munera, quibus Ecclesiam suam instructam esse voluit (§ 79), et identidem sancte affirmavit : Non vos me elegistis, sed ego elegi vos Jn 15. Ceteros vero homines obligavit, ut eos audiant eisque se subiciant, ita ut ex ista subiectione salus eorum pendeat : Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit Lc 10. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvabitur, qui non crediderit, condemnabitur Mc 16. — *Apostoli* se ut magistros et praesules immediate a Christo d. institutos considerant. Paulus absens scribit corinthiis, ne praesens durius agat secundum potestatem, quam dedit sibi Dominus 2 Cor 13. Gal sic incipit : «Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum et Deum Patrem». Idem testantur epistulae catholicae.

2. *Distinctio ista essentialis antistitum et subditorum non ad tempus*

apostolorum restringebatur, sed ex voluntate Christi durare debuit pro omni tempore. *a)* Quum *Christus* apostolis tradidit trinam potestatem ante ascensionem, addidit : «*Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*» Mt 28. Ubi Ecclesiae caput dedit Petrum, subiunxit : «*Et portae inferi non praevalebunt adversus eam*» Mt 16. Ergo hierarchia durabit usque ad finem saeculi, quousque ipsa Ecclesia stabit. *b) Apostoli* potestatem sibi commissam non privilegium personale habebant, sed per impositionem manuum aliis eam communicabant ordinantes, ut et isti similiter faciant (Act 6 ; 13 ; 1 Tim 4, 14 ; 2 Tim 1, 6 ; 2, 2 ; Tit 1 ; Ap 1, 20 etc.) et antistites sic constitutos potestatem suam a Deo habere persuasi sibi erant ; Paulus Mileti episcopis congregatis dicit : «*Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus s. posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*» Act 20.

Tr. Iam prisca Ecclesia antistites coluit ut Christi vicarios eisque obediebat ; iam Clemens R. hanc exhibet potestatum ordinem : Christus a Deo, apostoli a Christo (1. 21. 40. 42). *Adversus gnosticos* deinde unanimiter affirmant antistites legitimos esse successores apostolorum et possessores trinae potestatis apostolicae (cf. infra n. 2).

R. *a) Quaecunque societas*, cui fines sublimiores et ampliores sunt praestituti, munere suo non fungetur, nisi *bene ordinata*, seu in organismum disposita. Mirum omnino est, quomodo quidam «critici» cum Sohm censuerint solam Ecclesiam non debere esse iuridice dispositam. *b)* Ecclesia est *corpus Christi* et sponsa Christi ; convenit ergo ut sicut in corporibus vivis munerum aliorum alia sunt organa (1 Cor 12), ita in Ecclesia quoque alia sint organa generandae fidei et gratiae et sanctae disciplinae ; eo magis, quia bona regni caelestis desuper sunt, ergo in ipsa Ecclesia quoque a superioribus in inferiores transmittantur oportet. Neque ideo fideles ut laici mere passive se habent, sed hierarchia dando, fideles accipiendo perichoresi quadam se pervadunt et ad perfectum ducunt. *c)* Haec ordinis dispositio *perpetua debet esse*, quia perpetua est necessitas, qua exigitur. Nec unquam auditum est regem aliquem fundans regnum pro prima tantum generatione leges et constitutionem dedisse.

DIFF. 1. Christus dicit apostolis : «Scitis quia principes gentium dominantur eorum, et qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos ; sed *quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister*, et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus ; sicut Filius hominis non venit ministrari sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis» Mt 20. — RESP. Istis verbis Christus non negat potestatem peculiarem gubernandi, quam istis ipsis verbis exercet ; sed ex contextu adversus ambitionem Zebedaeorum monet hierarchiam vere debere esse id quod nominatur : *sacrum principatum*, non ambitione et egoismo exercendum, sed in omnibus ad mentem Christi d.

2. In prisca ecclesia non modo antistites potestatem docendi et gubernandi exercebant, sed etiam *charismatici* (1 Cor 12; Eph 4; Did. 11. 13). Prisca ecclesia non erat societas iuridice disposita, sed pneumatica (Harnack et socii). — RESP. Tempore apostolico omnia dona supernaturalia ad bonum Ecclesiae data, quibus fides et caritas fovebatur, charismatum nomine veniebant, quin tamen omnia extraordinaria fuerint. Apostoli seipsos donorum istorum, etiam extraordinariorum, uti erant imprimis glossolalia, donum prophetiae et interpretatio sermonum, iudices habebant, sancte affirmantes anathema deberi ei, etiam si angelus caeli fuerit, qui

aliud ac ipsi evangelizaverit Gal 1 ; et eandem auctoritatem tribuunt *antistitibus* (προιστάμενοι, ἡγούμενοι), eosque semper *primo loco* ponunt, prae extaticis, eorumque doctrinam normam fidei et vitae esse volebant, non vero charismaticorum (cf. Rom 12, 5 ; 16, 17 ; 1 Cor 12, 10 ; 2 Cor 5, 20 ; 12, 3 etc.).

3. Antistites *a fidelibus eliguntur;* Cypr. (Ep. 67, 3. 4) explicite fidelibus dicit eos habere potestatem sacerdotes dignos eligendi, indignos reiciendi. — RESP. Nullibi in documentis veteris Ecclesiae legitur ex persuasione Patrum ipsam potestatem apostolicam quoque a fidelibus dari ; imo assidua est persuasio potestatem istam solummodo ab ipso Christo per missionem et successionem apostolicam in antistites derivari ; quorum personam designare utique erat communionis Ecclesiae. *Aliud est* enim *personam designare, aliud potestatem sacram tradere;* sacra potestas tantummodo per missionem et successionem apostolicam confertur, ab ipso Christo ; de personis designandis ipse nihil in specie ordinavit.

4. Omnes *fideles sunt «regale sacerdotium»* 1 Pet 2 ; ergo sacerdotium hierarchicum est usurpatio. — RESP. *a)* Idem iam *Chore et socii* eius sacerdotio aaronitico obiciebant, et a Deo iustum responsum accipiebant Num 16, Deut 18. *b)* Est utique in regno caelorum etiam sacerdotium universale : «Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum» (cf. Ps 4, 6). At istud minime opponitur sacerdotio hierarchico et liturgico ; in V. T.-o ei praestitutum erat sacerdotium hierarchicum aaroniticum, quod ex praenuntiatione prophetarum nobiliore modo resuscitandum erat in regno messiano (Is 66, 21 ; Ier 33, 8 ss. ; Mal 2, 45). Recte omnino ; soli enim sacerdotes hierarchici in ordine supernaturali dignitatem sacerdotii generalis conferre possunt, ubi nemo sibi sumit honorem, nisi qui vocatur a Deo (Aug. Civ. XX 10).

5. Prisci christiani antistites suos *nunquam sacerdotes* (ἱερεύς) *nominant*, sicut iudaei et pagani ; sed solum Christum (Heb). — RESP. *Si deest nomen, non eo ipso deest etiam res.* Iam prisca ecclesia habuit sacrificium peculiare, liturgicum (§ 97) ; ergo etiam sacerdotes liturgicos. Si recusavit eis nomen ἱερεύς imponere, probabiliter haec erat ratio, quod sacerdotium christianum propter peculiarem eius ad Christum summum sacerdotem necessitudinem longe aliud est atque iudaeorum et paganorum. Quum nullum iam imminebat periculum confundendi sacerdotium christianum cum alienis, inde a medio s. 2. nomen sacerdotis et ἱερέως quoque percrebrescebat.

2. Dispositio hierarchiae. — THES. **Hierarchia ecclesiastica ex institutione Christi in episcopos, presbyteros, diaconos disponitur.** *De fide.*

EXPLIC. *Epicopus* est, qui plenam potestatem trinam a Christo datam possidet ; *presbyter* dependenter ab episcopo est particeps trinae potestatis, at non habet iurisdictionem pro foro externo ; *diaconus* dependenter ab episcopo partes habet potestatis imperii et liturgice exercet sacerdotium universale (cf. § 107). *Adversantur* omnes, qui negant hierarchiam a Christo institutam ; insuper Aerius, qui negavit episcopum habere potestatem superiorem episcopo. *Trid.* (23 c. 6 et 7) definivit : «*Si qu. d. in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris, et ministris* (diaconis), *a. s.*» «*Si qu. d. episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi ; vel eam quam habent, illis esse cum presbyteris communem, a. s.*»

DEMONSTR. **Scr.** Quum Christus d. Ecclesiam grano sinapis comparet, quod ex exiguis primordiis in arborem crescere debeat, et quum

insuper Ecclesiae promiserit Spiritum s., a quo apostoli ulterius docendi erant, non est mirum, quod etiam *dispositio hierarchica pedetentim evolvebatur, ad Christi tamen voluntatem et propositum.* Testibus Act et Epistolis apostolicis apostoli praesidium ecclesiarum a se fundatarum sibi ipsi reservabant ; socios in gubernio asciscebant septem diaconos et collegium, cuius membra in N. T.-o προιστάμενοι, ἡγούμενοι, ἐπίσκοποι, πρεσβύτεροι nominantur. Exploratum est

a) Collegii istius *praesidium apud apostolos* fuisse ; Hierosolymis praeerant, qui erant «columnae in Ecclesia» praeside Petro Gal 2 ; in ecclesiis a Paulo fundatis ipse Apostolus. Compertum est etiam dignitatem et munera diaconorum statim ab initio alia fuisse atque collegii episcoporum et presbyterorum (Act 6 ; 8, 12 ; Phil 1, 1 ; 1 Tim 3, 8 etc.).

b) Iam tempore apostolorum *singulis ecclesiis* iure divino *praeest episcopus* ut antistes plenae potestatis, quae essentialiter superior est potestate presbyterorum et diaconorum. Etenim α) Teste *Hegesippo* antistes ecclesiae hierosolymitanae erat Iacobus, «frater Domini», post eum Simon (ap. Eus. H. E. IV 22). Test *Ap* 1. 2 singulis septem ecclesiis asiatis praeerant singuli «angeli». β) *Tim* et *Tit* testantur Timotheum Ephesi, Titum Cretae plena potestate praefuisse, etiam presbyteris et diaconis ; idem testatur 3 Jn de Diotrephe. γ) *Clemens R.* (40 ; cf. Did. 15) ad analogiam V. T.-i summum sacerdotem, presbyteros, diaconos commemorat ; *Ignatius* in omnibus fere epistulis istam trinam hierarchiae distinctionem celebrat et singulis ecclesiis unum praefuisse episcopum etiam fatentibus criticis testatur. Idem confirmat Iustin. I 67 ; et exinde continuum est traditionis testimonium. Quum *Aerius* exsurgebat, Epiphanius (Haer. 75, 4) contentionem eius «stoliditatis plenam» dixit.

c) Episcopus monarchicus in trina potestate exercenda est *successor apostolorum* eamque ab ipso Domino accepit; de episcopis enim a se constitutis dicunt apostoli : «Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus s. posuit episcopos regere ecclesiam Dei» Act 20 ; idem polemistae explicite adversus gnosticos praedicant (Iren. III 3, 1 ; IV 33, 8 ; Heges. supra ; Tert. Praescr. 32).

Exploratum ergo est fuisse iam in ecclesia apostolica distinctionem essentialem inter episcopos et ceteros hierarchiae gradus ; porro constitutionem singularum ecclesiarum fuisse monarchicam, seu unum episcopum singulis ecclesiis praefuisse. At *nomina* adhuc indiscriminato in usu erant, et quandoque ipsi Libri s. ita loquuntur, quasi non singuli praefuissent, sed collegium presbyterorum (cf. alibi : synedrium, senatus, γερούσια) ; quasi ergo constitutio singularum ecclesiarum non fuisset monarchica sed presbyterialis. De hac re etiam catholicorum theologorum plures sunt sententiae. *Petavius* censebat revera plures fuisse episcopos in quavis ecclesia, ut novis ecclesiis fundandis praesto essent. *Thomas* (2II 184, 6 ad 1) cum pluribus patribus putavit, presbyteris tunc saepius nomen episcopi esse impositum. *Batiffol* opinatur presbyterorum nomine fuisse insignitos eos, qui primi christianam religionem amplectebantur, e quibus ut per se intellegitur, plerumque sacri antistites eligebantur ; isti erant πρεσβύτεροι ἐπισκοποῦντες. Probabiliter ita se res habuit, prout *Bruders* diligenti examine exploravit : Apostoli ecclesiis a se fundatis praestituebant presbyterium, sibi ipsis

gubernium supremum retinentes. E gremio presbyterii iam tempore apostolorum segregabantur diaconi, ministri infimi ordinis ; ceteri deinceps ἐπίσκοποι, ποιμένες vocabantur. Post annum 60. singulis ecclesiis unicus praefigebatur antistes supremus, cui soli sub fine saeculi primi nomen episcopi imponebatur ; eisque solis gubernium ecclesiae et impositio manuum, cheirotonia reservabatur.

Critici (Ritschl, Harnack, Sohm) ergo falso hierarchiae evolutionem delineant hunc in modum : Initio plena erat libertas omnibus fidelibus, qui omnes pares inter se habebantur ; in quibus soli charismatici ut doctores et prophetae eminebant. Eis mature presbyteri, seniores accedebant, e quibus eligebantur episcopi ad liturgiam celebrandam, et diaconi ad bona communia administranda. Charismatis paulatim cessantibus ipsis ministerium verbi quoque obtigit, et adversus oppugnationes gnosticorum demum unicus singulis ecclesiis praefigebatur episcopus. — Quae falsa esse probantur iam ex supradictis de charismaticorum erga hierarchas subiectione, necnon ex facto constitutionis hierarchicae priscae ecclesiae : *Clemens R.* (44) iam de presbyteris mortuis loquitur ; ergo multo ante eius tempus Corinthi praeerant ; *Papias*, discipulus Ioannis apostoli episcopus erat Hierapoli ; *Ignatius* in omnibus ecclesiis ad quas epistulas dat, episcopum singularem antistitem invenit ; *Ioannes* apostolus redux ex insula Pathmos in Asia episcopos constituit (ita Clemens Alex. ap. Eus. H. E. III 24) ; *Dionysius corinthius* a. 175 indicem episcoporum atheniensium componit, *Polycrates* cca a. 195 narrat ex sua familia iam septem prodiisse episcopos.

QUAEST. *Habitudo apostolatus ad episcopatum.* — Apostolorum plura erant *privilegia* adversus episcopos, eorum successores : *a)* Immediate a Christo potestatem suam acceperant, episcopi vero ab ipsis ; *b)* erant organa revelationis immediata, inspirata, infallibilia ; episcopi revelationis custodes et praecones tantum erant (2 Tim 1) ; *c)* apostoli mandatum habebant ad totam ecclesiam (Mt 18, Jn 20) ; episcopi ad unum gregem determinatum (Tit 1 ; 1 Pet 5). Potestas peculiaris apostolica erat privilegium personale apostolorum, trina potestas magisterii, ministerii, imperii vero in successores quoque transivit.

3. Monarchia. — THES. **Christus Petrum caput iuridicum Ecclesiae constituit.** *De fide. Adversantur* graeci schismatici, Wicleff, Hus, novatores s. 16., omnem primatum negantes ; iurisdictionis primatum infitiantur gallicani et febroniani, veteri-catholici, modernistae. *Vat.* (4 c. 1) definivit : «*Si qu. d. beatum Petrum apostolum non esse a Christo d. constitutum apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput; vel eundem honoris tantum, non autem verae propriaeque iurisdictionis primatum ab eodem d. n. I. Christo directe et immediate accepisse, a. s.*»

EXPLIC. Ex decreto isto *a)* Christus d. ipse *immediate* s. Petro primatum commisit, non vero Ecclesiae vel collegio apostolorum, a quibus deinde Petro fuerit collatus, prout volebant gallicani et febroniani. *b)* Primatus Petri non est mere honoris, cuius sc. possessor est primus inter pares, neque mere directionis vel inspectionis ; sed *iurisdictionis*, seu plena potestas imperii : legislativa, iudicialis, coercitiva. Quum magisterium quoque indolis imperii sit particeps, non autem sacerdotium, ideo si laicus eligatur caput Ecclesiae, statim habet potestatem exercendi magisterium et ministerium ; sacerdotium tantum post consecrationem.

DEMONSTR. 1. *Christus d. ab initio priores partes contulit Petro*

prae ceteris apostolis. Ubi primum obviam eum habuit, dixit ei: «*Tu es Simon, filius Iona, tu vocaberis Cepha* (quod interpretatur Petrus)» Jn 1. At ex analogia biblica nova nominis impositio a Deo facta novum munus et peculiarem ornatum supernaturalem in regno Dei significat; cf. Abraham Gen 17, Israel Gen 32, Iosue Num 13, Iesus Mt 1. Deinde Petro dixit eum fieri *piscatorem hominum* Lc 5; eundem *testem* fecit magnalium suorum: resuscitationis filiae Iairi, transfigurationis, agonis; iussit Petrum *didrachma* solvere pro se et ipso Mt 17. Ipsi primo *pedes lavit* Jn 13; ipse primum nuntium *resurrectionis* accepit, et peculiari apparitione Christi redivivi est dignus iudicatus.

2. Christus d. Petro sollemniter *promisit* primatum Mt 16: «Venit autem Iesus in partes Caesareae Philippi; et interrogabat discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt: Alii Ioannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Ieremiam aut unum ex prophetis. Dicit illis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Respondens autem Iesus dixit ei: Beatus es Simon Bar Iona; quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est. Et ego dico tibi, quia *tu est Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in caelis*».

His verbis Christus d. Petro diserte *primatum iurisdictionis* sensu definitionis Vaticanae promisit: *a) Fundamentum* saxeum Ecclesiae eum ponit. At fundamenti munus erga aedificium non est mere honoris vel directionis, sed maxime reale et causale, prout ipse Dominus docuerat: «Omnis ergo qui audit verba mea haec et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui aedificavit domum suam super petram. Et descendit pluvia et venerunt flumina, et flaverunt venti et irruerunt in domum illam, et non cecidit; fundata enim erat super petram» Mt 7. *b)* Ipsi committit *claves* regni caelorum, quod hic suam Ecclesiam nominat. At qui habet claves, plenam potestatem domus habet: «Verus, qui habet clavem David: qui aperit et nemo claudit; claudit et nemo aperit» Ap 3 (cf. Is 22). Iam antea Christus Petro proposuerat clavem scientiae Lc 11, 52; nunc omnes claves, absque ulla restrictione. *c)* Promittit ei *potestatem ligandi et solvendi*. At ligare et solvere (λύειν, δέειν; אסר; התיר) ex universali consuetudine sermonis idem fuit atque legibus obligare vel liberare, saltem interpretatione authentica, ut etiam prodit tritum illud: «Shammai ligavit, quod Hillel solvit».

DIFF. Autumabant *veteres protestantes:* Christus istis verbis non Petri personam ponit fundamentum Ecclesiae, sed *fidem* in se, quam Petrus professus erat, vel simpliciter seipsum. — RESP. Isti interpretationi textus nullam omnino ansam praebet. Si veteres insistebant discrimini Petri et petrae (quae utpote aliud a Petro fuerit fides in Christum, vel ipse Christus), hodie a peritis docemur, lingua aramaica, qua verba ista prolata erant, non existere ullum discrimen (utrumque כֵּפָא audiebat);

neque lingua graeca antiquitus discrimen fuit inter πέτρος et πέτρα. Ergo Verba ista directe ad Petrum erant data, ut prodit etiam constructio antithetica effati. Petrus enim professus erat : Tu es Christus ; et Christus vicissim : Tu es Petrus. — Nec iuvat invocare illud Pauli : «*Fundamentum aliud nemo potest ponere* praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus» 1 Cor 3. Exploratum enim est Christum esse fundamentum principale Ecclesiae, quo tamen non excluditur fundamentum secundarium, relativum, essentialiter in principali radicans ; sicut Christus seipsum dicit lucem mundi, nihilominus etiam apostolos Mt 5. Deus enim si creaturis aliquid impertitur, eo se non spoliat. — Nec iuvat appellare *Patres*, qui locum istum ad mentem protestantium intellexerint (uti Hilar. Trin. VI 36 ; Ambr. Incarn. IV 32 ; Aug. in Ps 69, 4 ; Chrys. in Mt 55., 83 etc.). Etenim Patres isti minime negant primatum Petri, ut mox probabitur ; iam Tert. Praescr. 22 et Orig. Rom 6 sensu catholico exponunt verba Christi, eisque accedunt Cypr. Unit. 4 ; Cyr. Hier. Cat. 2, 19 ; Cyr. Alex. Thesaur. ; Hier. Iovin. I 26 etc. Patres isti aliquando Christum fundamentum principale, absolutum, divinum praedicant imprimis adversus arianos ; quandoque etiam fidem Petri ut causam meritoriam tantae dignitatis accipiendae celebrant ; quidam etiam in ista prima phasi dogmatis evolvendi (§ 19, 3) minus diserte vel minus caute loquebantur.

Protestantes *recentiores* largiuntur isto loco directe primatum iuridicum Petri proponi. At negant eius authentiam ; *interpolationem* illum habent cca a. 150-200 Romae factam, quae in ore Christi posuit id quod evolutionis posterioris erat effectus. — RESP. At *a)* historia et *critica textus* ne levissimam quidem causam isti opinioni praebet. Neque fuit possibile interpolationem tanti momenti perficere, quin haeretici acriter contradixissent. *b)* Locus iste *usque ad a. 260 saltem 25-ies appellatur ;* quod est impossibile, si demum sub finem s. 2. est intrusus. c) *Psychologice impossibile* fuit locum istum aramaismis scaturientem (cepha, caro et sanguis, ligare et solvere) Romae fingere ; neque intellegitur, quare Petro afficta sit, qui ingenio et moribus ceteris non eminebet, immo Christum turpiter negavit.

Argumenta sententiae istius vana sunt : α) *Silentium Mc et Lc* explicatur partim eo, quod ipsis non est propositum sicut Mt constitutionem Ecclesiae narrare ; neque prudens fuit Romae, ubi Mc et Lc maxime divulgabantur, Petri dignitatem prodere et episcopum romanum persecutioni exponere. Implicite etiam ipsi primatum Petri testantur : Lc 22, 24 ; Mc 10, 35. 45. β) Si Christus Petrum constituisset caput Ecclesiae, non fuisset *contentio inter apostolos, quis maior sit* in regno caelorum Lc 22, 24. At recte ideo contentio oriri potuit inter apostolos tunc adhuc imperfectos, quia audiebant, quanta dignitas Petro portendebatur. γ) Si Christus tanto munere dignum habuit Petrum, quomodo paulo post ei dicere potuit : «*Vade post me satana*» Mt 16. At ista minime inter se pugnant : primatus enim erat munus, monitum vero datum est ad personam. — Notabene : Hodie protestantes plerique authentiam Mt 16 iam non audent negare ; sed quia etiam primatum Petri renuunt, refutationem brevissimam et omnium eficacissimam suarum de Ecclesia falsarum idearum, ideo redeunt ad effugium veterum protestantium (K. Heim : Das Wesen des Protestantismus 1926).

3. Christus primatum sollemniter *tradidit* Petro post resurrectionem ad mare Tiberiadis *Jn 21:* «Quum prandissent, *dixit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis, diligis me plus his* (πλέον τούτων = plus quam hi)? *Dicit ei: Etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos* (βόσκε τὰ ἀρνία μου). *Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi:*

Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos (ποίμαινε τὰ προβάτιά μου). *Dicit ei tertio: Simon Ioannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me? et dixit ei: Domine, tu omnia nosti, tu scis, quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas* (βόσκε τὰ πρόβατά μου). Amen, amen dico tibi: quum esses iunior, cingebas te et ambulabas ubi volebas; quum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet, quo tu non vis. Hoc autem dixit significans, qua morte clarificaturus esset Deum». His Christus Petrum *pastorem* suorum constituit, sicut seipsum bonum pastorem praedicabat Jn 10, qualis iam a prophetis praenuntiatus erat (Ier 23; Ez 34; Heb 13, 20). Et dedit istam potestatem absque ulla restrictione: in oves omnis generis, pascendas omnibus modis, ut patet ex graeco. Munus pastoris autem certo non est mere honoris vel directionis vel inspectionis.

Perperam *protestantes veteres* asserunt istis verbis a Christo d. *redditam esse Petro dignitatem apostolicam*, quam nocte passionis trina negatione amiserat. Nulla enim in evangeliis praebetur ansa sententiae illi blasphemae, Christum haeresi Wicleffii indulsisse, quasi videlicet quovis peccato gravi amitteretur munus. Ceterum tunc alii quoque apostoli apostolatum amisissent, pariter negantes Christum; et eis quando est restitutus? Futtiles etiam ambages exquirunt *protestantes nostri* locum istum expungentes eo, quod contineat effatum Christi redivivi; quasi ergo Christum non historicum, sed *Christum fidei* inducat (cf. § 9, 3).

4. *Petrus primatum exercuit:* In catalogo apostolorum ab evangelistis exhibito semper primo loco nominatur; saepe ita: Petrus et ceteri. Ipse est, qui post ascensum Domini Matthaei electionem praescribit, die Pentecostae evangelium praedicat, coram synedrio nomine omnium loquitur, casum Ananiae et Saphirae iudicat, in synodo hierosolymitana decretum edicit, primos ethnicos in Ecclesiam ordinario modo recipit, ut narrant Act. Patriarchatus vetustissimi, antiochenus, romanus, alexandrinus ipsum fundatorem gloriantur.

DIFF. 1. *Petrus epistulis suis tacet primatum.* — RESP. Tamen apostolum se dicit, et id pro temporis conditione satis fuit; neque tunc titulus primatis Ecclesiae iam in usu fuit.

2. Ecclesia hierosolymitana *Petrum et Ioannem misit* in Samariam Act 8; item Petrus rationem reddit Ecclesiae, quare Cornelii domum receperit. — RESP. Istis omnibus id unum probatur, Petrum, etsi caput Ecclesiae fuerit, tamen fratrem mansisse inter fratres, et igitur primatum ad mentem Christi d. exercuisse Mt 20.

3. *Paulus Petro aequalem se censuit: Antiochiae* in faciem ei restitit Gal 2. — RESP. *a)* Ratione apostolatus revera aequalis ei erat; Petrus ceteris tantum ratione primatus eminebat. Licebat ergo Ecclesiae veteri canere: Princeps clave Petre, princeps quoque dogmate (i. e. praedicatione evangelii) «Paule» (Venant. Fortunat.), et utrumque simul ut Ecclesiae principes celebrare; at nunquam Paulum solum, separatum a Petro hoc titulo insigniebant! *b)* Antiochiae Paulus non ordinationibus Petri capitis Ecclesiae restitit, sed agendi rationi pastorali cuidam Petri; quod minime fecisset, si Petrum peculiari auctoritate frui nescivisset.

COROLL. *Apostoli tantum ut collegium apostolicum*, seu tantum in unione cum Petro capite *trinam potestatem* (supra § 79, 2) *exercere poterant.* Licet enim etiam ipsi immediate a Christo acceperunt mandatum praedi-

candi, baptizandi, peccata remittendi, ecclesias fundandi et gubernandi, tamen Petrus est constitutus fundamentum, sine cuius unione nulla columna vel paries ad domum pertinere et ad eam constituendam aliquid conferre dici potest ; ipse est pastor omnium, cuiusvis generis, conditionis, dignitatis ovium ; imo ipsi explicite commissum est munus confirmandi fratres suos in fide Lc 22 (cf. § 83, 3). Revera testibus Act in rebus gravibus ad totam Ecclesiam pertinentibus non proprio marte, sed in unione cum Petro agunt atque decernunt. Duo sunt ergo subiecta plenae potestatis iuridicae a Christo d. Ecclesiae datae, virtualiter inadaequate distincta: Petrus et collegium apostolicum seu apostoli cum Petro.

THES. 2. **Christus d. ordinavit, ut Petrus in primatu successores perpetuos habeat.** *De fide.* Vat. (4 c. 2) eum anathematizat, qui dixerit «*non esse ex ipsius Christi d. institutione seu iure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores*».

DEMONSTR. 1) *Christus d.* voluit Ecclesiam suam perseverare usque ad consummationem saeculorum (§ 81, 4), ergo voluit etiam ut perseveret fundamentum, conditio sine qua non unitatis, firmitatis, constantiae aedificii. Si enim Ecclesia immediate post Christum non potuit esse sine fundamento, eo minus potest carere ista unitatis ac firmitatis conditone necessaria postea, quum portis inferi iam vehementius impetitur. Neque potuit cura summi pastoris tunc deficere, quum iam oves longius abstantes a vita terrestri Christi d. in maiora pericula ex Antichristo imminentia vocabantur. — 2) *Patres* iam vetustissimi asseverant Ecclesiam accepisse potestatem clavium in Petro (Tert. Scorp. 3 ; August. in Jn 50, 12 etc.) ; ergo non potuit potestas ista cum morte Petri extingui. Deinde una voce omnes docent episcopum romanum esse Petri successorem (§ 82, 2).

3) *Ratione* quoque suadetur necessarium fuisse, ut Christus Ecclesiae suae caput visibile perpetuum instituat. *a)* Licet enim ipse Christus est caput corporis sui mystici etiam post ascensionem, voluit tamen Ecclesiam suam visibilem esse (§ 81, 1) ; ergo necesse erat, ut ei caput visibile quoque provideret. *b)* Voluit Christus Ecclesiam suam unam esse (§ 81, 4). At «unitatis congruentior causa est unus quam multi» (Comp. IV 76) ; ergo conveniens fuit, quod constituat unum caput, quod unitatis et symbolum est disertissimum et vinculum atque pignus efficacissimum (cf. Vat. 4 prooem.).

§ 81. Proprietates essentiales Ecclesiae.

Sunt 1. visibilitas, 2. unicitas et necessitas, 3. unitas, universalitas, sanctitas, 4. indefectibilitas et apostolicitas.

1. Visibilitas. — THES. **Ecclesia Christi est societas visibilis.** Certum.

EXPLIC. Est in Ecclesia *elementum invisibile*, id quod anima Ecclesiae dicitur, et constituitur obiective fine et mediis divinis Ecclesiae : revelatione, gratia et instrumentis gratiae, directione hierarchica ; subiective fide, sanctitate, disciplina membrorum, ita tamen, ut cooperatio humana in istis perficiendis iam non pertineat ad elementum divinum. *Homines* qui revelationem fide, gratiam cooperando sanctitate, directionem hierarchicam obedientia suscipiunt, qui et corpus Ecclesiae constituunt, utique sunt visibiles : *visibilitas materialis.* Thesi enuntiatur

visibilitas Ecclesiae etiam *formalis: a)* Ecclesiam etiam ut societatem esse visibilem ; *b)* elementum invisibile, tamquam anima per corpus, pellucere per elementum visibile, quocum unum quasi-substantiale constituit ; ita ut elementum divinum licet sit invisibile in se, fiat tamen visibile in effectibus. Thesi statuitur primarie visibilitas formalis eo sensu, quod Ecclesia est societas, de qua videri et cognosci potest, ubi sit et qui ad eam pertineant. — *Adversantur* post fraticellos Wicleff et Hus *(D* 485—6. 627), quorum vestigia premunt novatores. Omnes isti Ecclesiae Christi denegant visibilitatem essentialem ; sic enim sperant fore ut efficaciter respondeant ad quaestionem : Ubi fuerit vera Christi Ecclesia ante ipsos, qui sc. se veram Christi Ecclesiam demum instaurasse iactabant.

Nota bene: Visibilitas est *prima proprietas essentialis* Ecclesiae Christi, non in se, sed pro nobis. Proprietates essentiales, quibus Christus Ecclesiam suam insignitam voluit, sunt : Ecclesia est societas perfecta, visibilis, unica, et necessaria, una, catholica seu universalis, sancta, indefectibilis et apostolica. In istis enumerandis theologi consentiunt, etsi non omnia eodem loco et ordine tractent. De indole perfectae societatis cf. § 79, 1.

DEMONSTR. 1) *Prophetae* regnum messianum, quod ab Ecclesia ad verum perducitur, visibile praenuntiant, ut patet ex Is 2 (§ 12, 3). Synagoga, typus Ecclesiae pariter visibilis fuit : circumcisione adibatur, sacerdotio theocratico regebatur. — 2) *Christus* d. Ecclesiam suam super Petrum, caput visibile fundavit ; at societas quaecunque in capite suo recapitulatur : si caput est visibile, visibile erit et ipsum corpus. Deinde rebus visibilibus eam aequat : civitati in monte positae, homini conducenti operarios in vineam, gregi, ovili, areae ubi triticum et zizania triturantur, sagenae continenti omnia genera piscium, societati unde excludi quoque contingat, ad quam ceremoniis visibilibus patet ingressus et communio : baptismo, Eucharistia, professione fidei, vita christiana. — 3) *Apostoli* quoque sicut Christus d. Ecclesiam saepe corpus, templum, civitatem dicunt ; quum deinde singulas ecclesias condunt, statim antistites constituunt, leges praescribunt, membra suscipiunt, indignos excludunt, sacramenta adminsitrant, et testantur Ecclesiam iam refulgere in mundo universo (cf. Rom 10, 10 ; 1 Tim 3, 14 etc.).

4) *Ecclesia postapostolica* idem facere pergebat ; exclusit peccatores graves et haereticos, damnavit schismata ; quae fieri non possunt, si Ecclesia est invisibilis. Cyprianus adversus gnosticos et Augustinus adversus donatistas (in ep Jn 1, 13 ; Lit. Petil. II 32. 74 ; cf. Cypr. Unit. 5-6 ; Chrys. Antequam iret in exil. 2 etc.) formaliter eam asserunt. — 5) *Ratione* perspicitur : Si Ecclesia non esset visibilis, non posset ad verum perducere finem suum, nec muneribus suis efficaciter perfungi ; si enim non posset certo sciri et dignosci, ubi sit magisterium, ministerium, imperium a Christo d. institutum, neque fides, gratia, disciplina sacra a Christo redemptore parata certo hominibus obvenire possent. Eadem est ergo ratio visibilitatis Ecclesiae, qua Christus voluit in carne apparere et nos redimere.

ADDIT. *Membra Ecclesiae.* — Quum Ecclesia anima et corpore, elemento visibili et invisibili constituatur, ille est perfecte membrum Ecclesiae, qui et ad animam et ad corpus eius pertinet, seu ille cui integrum est *triplex vinculum: symbolicum* (fidei), *liturgicum* (gratiae et sacramentorum), *hierarchicum* (disciplinae et obedientiae) ; «funiculus triplex difficile rumpitur» Ecl 4. Omnia tria et Christus d. et apostoli

explicite exigunt, ubi fidem, gratiam, obedientiam postulant. Si triplex istud vinculum in aliquo deficit, communio cum Ecclesia non est perfecta. Quod duobus modis fieri potest ; vel ita, ut quis extra Ecclesiam vivens tendat in eam, motu quasi centripetali, vel ut quis in ea vivens modo centrifugali ab eius communione recedere incipiat.

Motu centripetali tendunt in Ecclesiam : Catechumeni, conpetentes (conversuri), paenitentes, imo omnes qui esuriunt et sitiunt veritatem Christi. Illi omnes incipiunt esse membra Ecclesiae, at nondum sunt ; catechumeni sunt Ecclesiae membra in potentia vel voto (Bellarmin.), nondum actu (Suarez).

Motu centrifugali moventur ab Ecclesia : *a) Haeretici* utpote negantes veritatem revelatam saltem aliquam, vinculum symbolicum rumpunt, formales etiam formaliter ; omnes isti, imprimis materiales, uti populi non propria voluntate negantes fidem, posteri haereticorum formalium, quum sint baptizati, iure (etsi non facto) pertinent ad corpus Ecclesiae. *b) Schismatici* et formaliter rebelles in superiores ecclesiasticos rumpunt vinculum hierarchicum, et logica quadam necessitate laedunt etiam alia duo. *c) Excommunicati* tantum absunt ad Ecclesia, quantum excommunicatio extenditur : arcentur vel a communione sacramentorum vel fidelium ; excommunicati loco secundo positi (antea : excommunicatione maiore puniti, nunc : excommunicati vitandi) iam non pertinent ad communionem Ecclesiae (CIC 2261. 2265). — *Ecclesiae competere ius excommunicandi* «ad vigorem disciplinae pro bono communi», patet : Ecclesia ut societas perfecta plenam habet potestatem iudicialem et coercitivam, et ab initio eam exercet (1 Cor 5 ; Mt 18, 17 ; Cypr. Ep. 4, 4 ; Aug. Corr. gr. 46 ; cf. propositiones damnatas Lutheri 23., Wicleff 13., Hus 17., Quesnel 91.). Quum ista tamen potestas pro fine Ecclesiae sit «non ad eradicandum sed ad corrigendum» (Aug.), nitendum est quam maxime, ut ad Ecclesiae unitatem redeant, qui ex charactere baptismatis, confirmationis, vel plane etiam ordinis de iure et obligatione sunt Ecclesiae.

d) Peccatores utpote se ex communione sacramentorum vivorum excludentes vinculum liturgicum debilitant et laedunt, imo peccantes contra Spiritum s. (odio Dei, rebellione contra fidem, impaenitentia obstinata, indifferentia bonorum spiritualium) penitus illud rumpunt. — At his non resecantur a corpore Ecclesiae et non desinunt esse membra Ecclesiae, ut volebant *cathari* quovis tempore. Explicite enim docet Christus d. in agro regni caelorum pullulare etiam zizania, in sagena sua capi etiam pisces malos, praeter virgines prudentes esse etiam fatuas ; imo omnibus fidelibus orandum esse : Dimitte nobis debita nostra. Ex voluntate Christi enim Ecclesia dum in hoc saeculo degit, est societas non perfectorum, sed perficiendorum. Ideo neque apostoli peccatores eo ipso extra Ecclesiam esse docebant, neque prisca ecclesia (cf. § 101), et acriter impugnabat priscos catharos : Cyprianus novatianos, Augustinus donatistas.

2. Unicitas et necessitas. — THES. **Una est Ecclesia Christi ad salutem necessaria.** *De fide.*

EXPLIC. Thesi enuntiatur unam tantum esse societatem a Christo d. fundatam, cui commisit trinam suam potestatem et media salutis, ita ut qui proprio peccato non pertinent ad istam societatem religiosam, neque mediorum salutis participes fiant, et igitur a salute deficiant. *Adversantur* cathari, deinde rationalistae, qui pro individualismo suo religioso etiam necessitatem omnis mediationis negant. *Lateran. IV.* capite Firmiter statuit : «*Una vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur*».

DEMONSTR. 1. *Christus d. unicam fundavit Ecclesiam. a)* Prophetae unicum regnum messianum praenuntiabant, quod Christus ad effectum perduxit. Ipse *unum caput et unum fundamentum* statuit, cui superaedificavit suam Ecclesiam et non ecclesias suas. Gregi suo unum pastorem praestituit et explicite enuntiavit: «*Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor*» Jn 10. Ipse est una vitis sancta, in cuius communione tantum palmites possunt vivere et fructum proferre Jn 11. — *Apostoli* quum singulas ecclesias fundant, persuasum sibi habent istis omnibus unicum corpus Christi constitui 1 Cor 12; Eph 4 etc. — *b) Patres* iam antiquissimi cum Paulo profitentur: «Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae» Eph 4; ita iam Did. 10, 5; Iust. Dial. 63; Cypr. Ep. 40, 5. — *c) Ratione* efficitur: Unus est Deus, una hominis natura spiritualis; vera igitur religio ideo etiam in ordine naturae nonnisi una potest esse (§ 2, 1); eo magis in ordine supernaturali.

2. *Ecclesia est medium necessarium salutis: a)* Est veritas fundamentalis revelationis: Extra Christum nulla salus: «*Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*» Act 4; quod Christus d. explicite affirmaverat: «*Ego sum via et veritas et vita; nemo venit ad Patrem, nisi per me*» Jn 14. Etenim nulla est salus nisi ex redemptione per Christum facta (§ 60, 61); atqui Christus Ecclesiae commisit munera sua redemptoria (§ 79); ergo extra Ecclesiam nulla salus. — *b)* Id Christus d. etiam *explicite* docuit: «*Praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur*» Mc 16; «*Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*» Mt 18; «*Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me*» Lc 10. Eodem modo loquuntur *apostoli:* «*Omnis qui recedit et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet;* qui permanet in doctrina, et Patrem et Filium habet. Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis» 2 Jn. — *c)* Quid *prisca ecclesia* in hac materia senserit, exercitio manifestavit: magnis laboribus et periculis exantlatis evangelium praedicavit, ecclesias fundavit, martyria subivit; quae non fecisset, si persuasum ei non fuisset, causam Ecclesiae esse causam salutis aeternae (cf. Ign. Phil. 2-4; Iust. Dial. 35; Iren. III 3, 3; Tert. Praescr. 37; Cypr. Unit. 6. 16. 17; Orig. in Ios. hom. 3, 5; Aug. Unit. Eccl. 19, 49; Civ. XVIII 51; in Ps 98. 14 etc.). Familiare est Patribus illos qui sunt extra Ecclesiam comparare iis, qui *tempore diluvii* extra arcam erant et perierunt. Pervulgatum est illud Cypr.: «Habere non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem» (Unit. 6).

QUAEST. Si extra Ecclesiam nulla salus, *quomodo ad verum perducitur voluntas Dei salvifica universalis* (§ 72, 2). — Certum est per Ecclesiam salvari quicunque salvantur, sicut exploratum est omnem salvationem esse per Christum. At veritas et gratia salvifica Christi non restringitur ad

Ecclesiam visibilem ; et igitur potest quis veritatis et gratiae salvificae particeps fieri, quin ad corpus Ecclesiae pertineat ; ii sc. qui motu centripetali in Ecclesiam tendunt, *qui voto sunt membra Ecclesiae* (haud recte dicuntur isti pertinere ad animam Ecclesiae ; plus enim continet anima Ecclesiae, quam quod habent v. g. haeretici materiales ; cf. supra n. 1.). Ipse Christus d. dicit habere se etiam alias oves, quas oportet salvari Jn 10 ; imo Petrus loquitur de perditis in diluvio, qui salvantur 1 Pet 3, 10. Idem docent etiam Patres (cf. Aug. Ep. 43, 1 ; Bapt. IV 22, 29 ; Vera rel. 25, 47) ; Ecclesia vero damnavit rigorismum iansenistarum (cf. *D* 1295 ss. ; 1379 ss), qui docebant extra Ecclesiam nullam conferri gratiam.

Istud ergo : «Extra Ecclesiam nulla salus», *minime intolerantiam et tyrannidem* sapit. Est enim principium enuntians de iure : solam Ecclesiam esse in possessione mediorum salutis a Christo d. paratae ; et nihil dicit de facto : neque enuntiat omnes qui ad corpus Ecclesiae non pertinent, damnari, nec omnes qui pertinent ad illud, salvari. *Damnat tolerantiam dogmaticam et indifferentismum religiosum*, at *non excludit tolerantiam civilem* ; est inimica causai, amica rei.

3. Unitas, universalitas, sanctitas. — THES. 1. **Christus d. Ecclesiam suam unam esse voluit.** *De fide* ex Apostolico : Credo unam Ecclesiam (cf. Vat 4. prooem.).

EXPLIC. Quum unum sit indivisum in se et divisum ab aliis, Ecclesiae unitas in eo consistit, quod membra eius quotquot sint, *vinculo symbolico, liturgico, hierarchico coniunguntur*. Ut vinculum symbolicum salvum sit, non requiritur, ut omnes idem explicite credant (haec esset unitas fidei materialis), sed sufficit ut omnia implicite idem credant : credo, quidquid ab Ecclesia ad credendum proponitur (unitas fidei formalis). — Falsa est opinio *fundamentalistarum* (P. Jurieux cf. § 17, 3), sufficere fidem dogmatum fundamentalium, utique isto sensu falso fundamentalistarum. Christus d. enim talem veritatum fidei distinctionem non novit, quae absque magisterio infallibili non unitatis, sed dissolutionis esset principium : quilibet enim ea quae sibi displicent, non-fundamentalia censeret. — Triplex unitatis vinculum *virtualiter* adest simulatque quis Ecclesiae membrum fit, et non rumpitur, si unum alterumve explicite non exerceatur, tantummodo formaliter non neglegatur. Hoc utique fieri non potest, ut omnia membra tali vinculo virtuali et implicito tantum uniantur ; tunc enim Ecclesia desineret esse visibilis.

DEMONSTR. **Scr.** *Christus* ideo mortem erat subiturus, «*ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum*» Jn 11, et ante mortem in oratione sacerdotali opus suum et finem sic complectitur : «Pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate . . . *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint*» Jn 17. Parabolis Ecclesiam rebus comparat, quibus unitas interna est insigne : domui, regno, civitati, gregi, ovili, viti, arbori. *Vincula unitatis* explicite iniunxit : Unam fidem praedicavit et mandavit Mt 28, unum baptisma et unam Eucharistiam instituit ; constituit *unitatis internae conditionem* sine qua non et pignus : instituit magisterium, ministerium, imperium sua ipsius auctoritate praeditum, quod habet et potestatem et auctoritatem omnibus iniungere eandem fidem eademque sacramenta eandemque obedientiam ab omnibus poscere ; addidit pignus etiam *externum* ac symbolum unitatis : unum caput unumque fundamentum

Petrum. Unitatem istam *apostoli* ad verum perducebant. Omnes ecclesiae ab ipsis fundatae coniunctae erant cum ecclesia hierosolymitana et ad invicem, praesidentibus apostolis, qui nihil antiquius habebant, quam cavere, ne corpus Christi dilanietur (1 Cor ; Gal ; 1 Tim 2, 3 ; 4, 1).

Tr. Patribus unitas Ecclesiae per se intellegebatur. Hoc apparet iam ex eo, quod haereses et schismata acerrime reprehendebant. Ignatius se «virum ad unitatem Ecclesiae destinatum» dicit et nunquam non epistulis istam unitatem commendat. *Polemistae* unitatem fidei in Ecclesia successione apostolica fundatam praedicant. Quum deinde novatiani et donatistae salvo vinculo fidei vinculum hierarchicum renuerent, *Cyprianus et Augustinus* operibus De unitate Ecclesiae ex asse ostendunt, etiam vinculum hierarchicum ad proprietates essentiales verae Ecclesiae Christi pertinere.

R. Omnis societatis et vis et vigor circa unitatem versatur : «*Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet*» Lc 11. Ecclesiam Christi iam vel ideo oportet unitate prae quacunque societate eminere, quia munus et finis eius est ad effectum perducere unitatem omnium maxime intimam et sanctam, *communionem hominum cum ss. Trinitate*, omnis unitatis norma et exemplari et fonte. — Unitas Ecclesiae minime est uniformitas seu monotonia, sed est vera unitas : *complexio multorum* in unum ; est enim vivum corpus Christi mysticum (§ 84, 3).

THES. 2. **Ecclesia est universalis.** *De fide* ex Apostolico.

EXPLIC. Universalitas, catholicitas (= καθ' ὅλου) convenit rei, quae vel secundum effectum, vel etiam secundum substantiam est ubique, ubi vi naturae et muneris esse potest. Conditio sine qua non universalitatis est unitas. Universalitas Ecclesiae potest esse : *a) extensiva*, implens spatium et tempus (ubique et semper), et *intensiva* seu effectiva, qua sc. omnibus hominibus, conditionibus, indigentiis religiosis satisfaciendis par est. Inde a tempore Augustini catholicitas plerumque ad extensivam restringitur ; at graeci (cf. Cyr. Hier. Cat. 18, 23) etiam intensivam celebrant. *b)* Universalitas virtualis et actualis, seu ut recentiores malunt : catholicitas iuris et facti ; catholicitas *virtualis vel iuris* est potentia et virtus ad verum perducendi universalitatem *actualem*, quae iterum non debet esse physica, seu omnes gentes vel plane omnes homines complectens ; sufficit, uti in ceteris humanis, *moralis:* tantam extensionem exhibens, ut iam ista amplitudine peculiarem dignitatem et valorem internum hominibus bonae voluntatis suadeat.

DEMONSTR. **Scr.** Ex *prophetarum* vaticiniis regnum messianum omnes gentes est comprehensurum. Talem voluit etiam *Christus* Ecclesiam suam : Apostolos misit praedicare evangelium omnibus gentibus Mt 28 ; et hoc erit signum finis : «*Praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe*, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio» Mt 24 ; ascensurus dixit apostolis : «Accipietis virtutem supervenientis Spiritus s. in vos, et *eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae*» Act 1. Quae universalitas tamen pedetentim erit perficienda : «*Simile est regnum caelorum grano sinapis*, quod minimum quidem est omnibus seminibus ; quum autem creverit, maius est omnibus oleribus et fit arbor, ita ut volucres caeli veniant et habitent in ramis eius» Mt 13. In exordio Ecclesiae ergo universalitas

est magis virtualis ; est pusillus grex, lupis rapacibus dilaniatus, schismatis debilitatus ; nihilominus iam tempore apostolorum evangelium praedicatum erat «omni creaturae» Col 1.

Tr. Iam *Ignatius* Ecclesiam catholicam appellat Smyrn. 8, 2, et exeunte s. 2. illud iam epitheton constans est. *Aug.* dicit : «Securus iudicat orbis terrarum bonos non esse, qui se dividunt ab orbe terrarum» (Ep. Parm. III 24). — **R.** Ecclesiae commissa est *veritas Christi* custodienda et propaganda. At veritas est omnibus hominibus et temporibus destinata, ergo et vera Ecclesia ; inest deinde veritati tanta potestas, ut virtualem istam universalitatem veritatis ad perfectum perducat.

QUAEST. Si quaeratur : *ad quantum gradum actualitatis* universalitas Ecclesiae virtualis unquam perventura sit, revelatio explicite non respondet. Inepte quidam ponunt ex In 10 supra allato de uno pastore et uno ovili, *aliquando omnes homines* pertinere ad Ecclesiam. Etenim ex contextu Christus d. istis verbis id unum tantum enuntiat aliquando cessare separationem iudaeorum et paganorum. Nec acu rem tangunt M. Cano et Bellarminus in contrarium opinantes Ecclesiam fors aliquando *de gente ad gentem migrare.* Sed sicut Ecclesia iam tempore apostolorum ad plures gentes pervenit et iam primis saeculis propagationis miraculo (§ 11, 4) omnibus hominibus bonae voluntatis ostendit inesse sibi semen plenae catholicitatis, ita saeculis futuris quoque *non ad paucas vel plane ad unicam gentem* restringetur, sed universalitatem a Christo Domino sibi inditam manifesto et efficaciter semper prae se feret.

THES. 3. **Ecclesia Christi est sancta.** *De fide* ex Apostolico.

EXPLIC. *Sanctitas* principaliter est conformitas animi cum Christo exemplari perfectissimo (2 II 81, 8). Analogice sanctae sunt doctrina et institutiones, quae sanctitatem principalem, quae etiam *subiectiva* nuncupatur, progignunt foventque (sanctitas *obiectiva);* deinde res atque personae, quae in id consecrantur ut sint pignus, instrumenta, signa, sanctitatis et subiectivae et obiectivae (sanctitas *realis vel passiva).* Sanctitatis signa manifestissima sunt charismata et miracula.

DEMONSTR. **Scr.** Ecclesia Christi sancta est, quia *a) sanctus est fundator* eius, Christus d. ; sanctus est *finis* Jn 17 ; et sancta sunt *media:* doctrina quae est veritas aeterna, sacramenta quae sunt gratiae instrumenta efficacia ex se ; sanctum denique imperium, ut vel nomen eius prodit : hierarchia. «*Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata*» Eph 5. — *b)* At Ecclesia Christi etiam *subiective* est sancta : per baptismum omnes suscipiunt gratiam, germen metaphysicum sanctitatis, ideo sancti ab apostolis appellati ; et omnes sunt ad germen istud sanctitatis evolvendum vocati : Estote perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est ! — *c)* Sanctitas Ecclesiae *conspicua* est : «*Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est*» Mt 5. Christum quotquot receperunt, «*dedit eis potestatem filios Dei fieri*» Jn 1. Nec unquam deerunt *charismata* ac miracula sanctitatem Ecclesiae disertissime monstrantia Mc 16, 15-8 ; Jn 17, 22 ; 1 Cor 12.

At minime docet Christus omnia membra Ecclesiae sancta fore ut volebant cathari. Imo ex Christi d. consilio Ecclesia est «*corpus permixtum*», ut patet ex parabolis de zizanio, sagena, decem virginibus, hospite absque

veste nuptiali apparenti. Christus d. praenuntiavit scandala esse ventura, et dedit Ecclesiae suae explicite potestatem remittendi peccata (cf. supra n. 2). Nihilominus Ecclesia etiam ut corpus permixtum sancta est dicenda, quia hinc quidem omnes, etiam peccatores ad sanctitatem sunt vocati, illinc vero peccatores recte ideo non sunt sancti, quia non Christi spiritum suscipiunt ; ipse bonum semen seminavit, zizania vero «inimicus» Mt 13.

Tr. *Apologetarum argumentum* validissimum adversus persecutores erat vita sancta christianorum (§ 13, 3). Omnes Ecclesiam ut sponsam Christi immaculatam celebrant. Pervulgatum est illud *Irenaei* (III 24, 1) : «Ubi Ecclesia, ibi Spiritus Dei ; et ubi Spiritus Dei, illic est Ecclesia et omnis gratia». **R.** cf. § 84, 3.

4. Indefectibilitas et apostolicitas Ecclesiae. — THES. 1. **Ecclesia Christi est indefectibilis.** *De fide.*

EXPLIC. Indefectibilitas duo complectitur : *perennitatem et immutabilitatem*, et statuit Ecclesiam neque desinere neque substantialiter mutari. Immutabilitas seu indefectibilitas Ecclesiae in doctrina revelata servanda et proponenda est infallibilitas (§ 83). Adversantur *spirituales*, novam Ecclesiam evangelii aeterni, vel novam post Patris et Filii aeram Spiritus s., vel post Ecclesiam petrinam catholicam, paulinam protestanticam, novam ioanneam («pastoris angelici») expectantes, in quibus multae sectae protestantes, uti quaekeri, swedenborgiani, adventistae, irwingiani, *oecumenici* dierum nostrorum (Söderblom, Heiler) ; utique etiam rationalistae et modernistae (Lament. propp. 52. 53. 63) thesim infitiantur. Propositio Ecclesiae damnatione istorum errorum exhibetur (cf. etiam *D* 1501. 1445. etc.)

DEMONSTR. **Scr.** Ex doctrina prophetarum *regnum messianum* sempiternum erit (§ 12, 2. 3). *Christus* d. ubi apostolos ante ascensum praedicaturos mittit, subiungit : «*Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*» Mt 28 ; Ecclesiam suam in fundamento saxeo Petri ponit, et *portae inferi* (infestationes et impugnationes diaboli) *non praevalebunt* adversus eam Mt 16. His Christus d. explicite perennitatem Ecclesiae enuntiat ; at implicite etiam immutabilitatem ; etenim de «sua» Ecclesia loquitur ; at alia, mutata, non esset sua. Ex doctrina *apostolorum* Ecclesia est corpus Christi, ergo incorruptibilis ; est foedus aeternum ; est columna et firmamentum veritatis ; est vocata ad salvandos in Christo «omnes» homines (1 Cor 11, 26 ; 12, 12 ; 2 Cor 3, 11 ; Eph 1, 22 ; 4, 13 ; Heb 12, 28 ; 13, 20 etc.). — **Tr.** Patribus persuasum erat Ecclesiam ultima hora esse fundatam et perseveraturam usque ad finem istius horae novissimae. Immutabilitatem eius colligunt ex eo quod est alterego Christi ; atqui Christus non mutatur. *Ignatius* (Eph. 17) dicit : «Ob id Dominus in capite suo accepit unguentum, ut Ecclesia spiret incorruptionem», et *Aug.* (Ep. 43, 9, 27) : «Nemo delet de caelo constitutionem Dei ; nemo delet de terra Ecclesiam Dei». (cf. Chrys. Captiv. Eutrop. 6 ; ante exil. 1. 2 ; Athanas. in Ps 88, 38 etc.). — **R.** Deus in Christo et per Christum revelationem omnium ultimam et absolutam dedit hominibus ; atqui Ecclesia instituta est ad istam revelationem servandam et proponendam ; ergo non debet novo aliquo revelationis instituto excipi (§ 14).

DIFF. 1. *Etiam de V. T.-o praenuntiatum erat* illud stare in aeternum. — RESP. Prophetae explicite praedicant V. T. esse transiturum (§ 14, 1).

Quod sempiternum in ipso erat, transivit in N. T. ; christiani sunt verus Israel facti (Rom 11, 1. 29).

2. *Nihil est sub sole quod non mutetur:* πάντα ῥεῖ (Heraclitos) ; nec Ecclesia istam sortem declinabit. — RESP. *Dist.* Mutari in Ecclesia accidentalia *C*, elementum divinum *N*. Idque iuste : Ecclesia in ipso Deo immutabili radicatur, et finem atque munus habet profitendi veritatem aeternam atque immutabilem.

THES. 2. **Ecclesia Christi est apostolica.** *De fide.*

EXPLIC. Apostolicitas Ecclesiae in eo consistit, quod antistites eius sunt successores legitimi apostolorum, et *vi successionis apostolicae* Ecclesia praesens continuitate non interrupta cohaeret cum Ecclesia apostolica, quacum essentialiter eandem habet doctrinam, cultum, gubernium. At ut antistites qui nunc sunt, vere sint apostolorum successores, et igitur legitimi possessores trinae potestatis apostolicae, non sufficit, ut successione continua ab apostolis deriventur : *apostolicitas materialis ;* sed requiritur insuper, ut et ipsi et antecessores eorum membra collegii apostolici fuerint, seu ut in unione cum capite Ecclesiae vixerint : apostolicitas *formalis*. Haec est causa et fons *originis apostolicae*, vi cuius antistites qui nunc sunt, vel immediate vel mediate legitima successione ab apostolis oriuntur; et simul est causa et fons *continuitatis apostolicae*, quum *externae*, vi cuius Ecclesia praesens eadem est numerice, quam apostoli constituerant (et non forsitan nova aliqua, etsi apostolicae similis), tum *internae*, vi cuius eadem est doctrina eaedemque institutiones, potestates, auctoritates nunc quae erant in ecclesia apostolica.

DEMONSTR. **Scr.** *Christus* d. Ecclesiam suam super apostolos aedificavit : ispsis dedit trinam potestatem, ipsis promisit fore se cum eis usque ad consummationem saeculorum, ipsis promisit Spiritum s., qui eos docturus erat omnem veritatem. Et voluit ut potestates istae apostolicae per traditionem et successionem continuam transferantur in generationes ulteriores : «Sicut me misit Pater, et ego mitto vos». Eadem est doctrina *apostolorum*. Paulus dicit fidelibus : «*Iam non estis hospites et advenae; sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu*» Eph 2 ; ex visione Ioannis Ierusalem caelestis habet murum magnum et altum, «et murus civitatis *habens fundamenta duodecim, in ipsis duodecim nomina apostolorum Agni*» Ap 21.

Tr. Iam prisca ecclesia nihil antiquius habuit quam hierarchis ipsam apostolorum trinam potestatem et auctoritatem tribuere (Did. 15, 1 ; Clem. R. 42, 1 ; 44, 1 ; Ign. Smyrn. 8, 1 etc.). *Adversus gnosticos* deinde, qui traditiones nescio quas arcanas invocabant, *Irenaeus* et Tertullianus explicite apostolicitatem tamquam orthodoxiae criteriumi invocabant : «Habemus annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt neque cognoverunt, quale ab his deliratur» (Iren. III 3, 1). *Tertullianus* ex his *argumentum praescriptionis* construit : vi continuitatis apostolicae Ecclesia est in iusta possessione doctrinae, et igitur onus probandi in heterodoxos revolvitur (Praescript. imprimis 34 ; ita etiam Orig. Pr. praef. 2). Et argumento isto Stephanus papa adversus rebaptizantes, Augustinus adversus pelagianos utitur (Iul. imperf. II 34 ; cf. Faust. XXXII 19).

R. Per apostolicitatem Ecclesia continuitate viva coniungitur cum origine sua, cum Christo d. et apostolis, et ita *indolem historicam* servat, nec periculum ei imminet, ut habeatur quasi schola philosophica, a quovis novo magistro vel a nova generatione evertenda et immutanda. Apostolicitas est fundamentum indefectibilitatis.

Caput 2. Veritas Ecclesiae catholicae.

Quaeritur 1. de vera Ecclesia Christi, 2. de infallibilitate, 3. sanctitate Ecclesiae catholicae.

§ 82. Vera Ecclesia Christi.

Statuuntur 1. notae verae Ecclesiae, 2. apostolicitas, 3. unitas et universalitas Ecclesiae catholicae.

1. Notae verae Ecclesiae.

Plures sunt societates religiosae, quae christianas se dicunt et indolem Ecclesiae Christi sibi vindicant: *Ecclesia catholica romana,* quae plus mille episcopis sub primatu Pontificis romani constituta cca 300 milliones fidelium complectitur; ecclesia *graeca* orthodoxa vel orientalis, complexio cca 15 ecclesiarum autocephalarum, uti sunt russica, constantinopolitana, serbica, bulgarica etc. cca 140 millionum; *veteres sectae orientales,* uti nestoriani (cca 800.000 asseclarum), monophysitae (iacobitae, syri, armeni seu georgiani, copti, abessini) cca 10 millionum; *protestantes,* in quibus lutherani, calviniani, anglicani cca 200 millionum fidelium.

Quum autem exploratum sit unicam esse Ecclesiam Christi eamque perennem, istae societates *non possunt omnes esse verae Christi Ecclesiae,* at una ex iis debet esse vera. Primo enim obtutu apparet falsam esse *theoriam ritualistarum anglicanorum* s. 19. (Palmer, Pusey): veram Christi ecclesiam tribus quasi ramis constare ecclesiae romanae, anglicanae, orientalis. Sic enim Ecclesia Christi non esset iam una, sed confoederatio plurium, earumque maxime discrepantium et doctrina et gubernio et sacramentis. Item compertum est *veram Christi Ecclesiam debere esse ut talem cognoscibilem* et a falsi nominis ecclesiis discernibilem. Christus d. enim Ecclesiam suam fundavit visibilem; est velut civitas supra montem posita, ergo a longinquo debet agnosci. Insuper est necessaria ad salutem; at si certo cognoscibilis et discernibilis non esset, homines non possent satisfacere obligationi ingrediendi Ecclesiam, unicum salutis refugium.

Ergo *debent esse notae Ecclesiae;* quae sunt proprietates essentiales Ecclesiae conspicuae et facile perviae, quibus vera Christi Ecclesia certo et facile potest ut talis cognosci; sunt quasi sigilla, quibus diploma regium Dei potest discerni. Notas theologi communiter *quattuor* illas Nicaeni enumerant: credo in unam, sanctam, catholicam, apostolicam Ecclesiam. Si veteres quandoque tres (Lerin. Comm. 3), quandoque sex (Epiphan.) enumerant, recentiores plures (Bellarm. 15), numeratione non re differunt. Istae quattuor vere sunt nòtae Ecclesiae Cristi:

1. *Unitas* est *a)* conspicua; non enim difficile est statuere, utrum eadem sit fides, obedientia, vita sacramentalis alicuius societatis religiosae; *b)* est proprietas essentialis (§ 81, 3); *c) causam immediate supernaturalem clamat.* Naturae enim est illud tritum: Quot capita, tot sensus; unitas vero supernaturalis immediate causam supernaturalem appellat: unitas fidei magisterium, sacramentorum ministerium, obedientiae imperium authen-

ticum et auctoritativum. Ideo ipse Christus d. a Patre rogat fidelium suorum unitatem perfectam, «ut credat mundus, quia tu me misisti» Jn 17.

2. *Universalitas* eaque extensiva est *a)* conspicua, *b)* essentialis (§ 81, 3); *c)* Christum legatum saltem supernaturaliter divinitus instructum clamat causam; impossibile enim est alioqui tot homines, tam diversos indole, stirpe, tempore, ingenio in religionem naturae adeo adversam coniungere (cf. § 11, 4).

3. *Sanctitas* est *a)* proprietas essentialis Ecclesiae (§ 81, 3); *b) Spiritum s. clamat auctorem;* alio enim modo fieri non potest, ut homines ad illud sanctitatis et perfectionis culmen attingant, quo Christus suam Ecclesiam insignitam voluit (§ 12, 3); *c)* est *conspicua.* De sanctitate obiectiva id evidens est. At *etiam sanctitas subiectiva* facile videtur volenti: Etsi enim animus sanctus atque gratia per se et in se sunt invisibilia, vi legum psychologicarum multis tamen manifestantur. Maxime conspiciuntur in charismatis et miraculis, in martyrio et virtutibus heroicis. At conspicitur sanctitas etiam in eo, quod sanctitatis norma et exemplar inconcusse tenetur adversus obfuscationes epicuraeorum, sadducaeorum, pharisaeorum; deinde eo quod multos quovis tempore ad illud sanctitatis normam amplectendam movet. Ipse Christus d. sanctitatem subiectivam notam Ecclesiae suae esse voluit: «*Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita; neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est*» Mt 5.

Caute tamen in sanctitate *communi* statuenda procedendum est; ad integram vitae religiosae et moralis normam ea est revocanda, neque omittendum, ex missione Christi Ecclesiam omnibus esse magistram sanctitatis, non solum quibusdam electis, idque pro tota norma sanctitatis, non pro quibusdam tantum virtutibus. Ex quo videtur sectarum quarundam recenter ortarum (baptistarum, nazarenorum, Salvation Army) industriam ac fanatismum plerumque socialem et profanum non verae sanctitatis specimina praebere.

4. *Apostolicitas* est *a)* proprietas essentialis (§ 81, 4); *b)* conspicua; imprimis *successio apostolica,* fundamentum omnis apostolicitatis, quam Christus d. eo facilius et certius cognoscibilem reddidit, quod Ecclesiam suam super fundamentum Petri aedificavit. Satis facile enim comperitur quis sit successor legitimus Petri et quaenam societas christiana sit in communione cum capite Ecclesiae a Christo d. constituto, ergo quaenam sit sub imperio collegii apostolici. *c)* Apostolicitas *causis supernaturalibus* debetur. Mere historice enim est impossibile, ut societas, cui munera tam gravia, naturae adeo adversa sunt commissa, tot saeculorum cursu totque vicissitudinibus obruta fidelis maneat exordio suo; ut patet ex iis quae de miraculo conservatae religionis evangelicae sunt dicta (§ 11, 4).

His criteriis vera Christi Ecclesia potest cognosci et dignosci a) negative: si vel una istarum notarum deest societati ad speciem christianae, iam non est vera Ecclesia; caret enim proprietate essentiali qua Christus Ecclesiam suam praeditam esse voluit; *b) positive:* ea cui omnia conveniunt, vere et

sola est Christi Ecclesia. Immo quum notae istae ut causam sufficientem immediatam Dei operationem supernaturalem postulent, rite applicatae etiam rationi naturali probant credibilitatem Ecclesiae et sic «*demonstratione catholica*» probationis apologeticae cursum consummant (§ 14, 3). Docet Vat. 3 cp. 3 : «*Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci*».

QUAEST. Notarum haec est *necessitudo: fundamentalis est apostolicitas* probans originem a Christo derivatam ; *unitas est forma* et simul criterium apostolicitatis : successio enim apostolica quam expeditissime per communionem antistitum cum Petri successore comperitur. Unitas simul est conditio virtutis et vigoris Ecclesiae divini, quae vis ac vigor extra manifestatur catholicitate, intra sanctitate. Sic vel unica nota diligenter applicata omnes simul complectitur.

ADDIT. *Graeci orientales* in eo ponunt criterium verae Ecclesiae, ut eandem doctrinam cum septem conciliis oecumenicis orientalibus (usque ad Nicaenum II.) profiteatur. At falso omnino. Etenim *a)* criterium hoc non est perspicuum ; opus enim arduum est statuere conformitatem doctrinae alicuius societatis cum septem conciliis ; deinde ponit Ecclesiam s. 8-i, sc. Nicaeni II.-i esse veram Ecclesiam ; at illud non potest criterio suo probare ; denique criterium graecum depravat genuinum conceptum profectus dogmatici (§ 19, 3). — *Novatores* s. 16. haec habent criteria (utique contradicentes sibi ipsi ; si enim Ecclesia est invisibilis, non potest dignosci) : pura doctrina evangelica et sacramentorum administratio evangelica. At quaenam sit doctrina et administratio evangelica, unde discernitur? Deinde pura doctrina evangelica ex protestantium s. 16. opinione est principium eorum formale : sola Scriptura et materiale : sola fides ; administratio sacramentorum evangelica praesertim intellegitur sumptio Eucharistiae sub utraque specie. Quae equidem non sunt proprietates essentiales Ecclesiae, immo prout iacent, neque plenam veritatem evangelicam continent. Ergo non possunt esse criteria.

2. Apostolicitas Ecclesiae catholicae. — Via plana, certa, facilis apostolicitatis Ecclesiae catholicae probandae est, quam ipse Christus d. monstravit, quum Ecclesiam super Petrum fundavit. *Ubi* enim *fundamentum, ibi domus.* Quum deinde omnes antistites verae Ecclesiae Christi in unione cum fundamento sint oporteat, successio apostolica universa locupletissime probatur successione apostolica successorum Petri. Dehinc

THES. **Pontifex romanus est successor legitimus Petri in primatu Ecclesiae.** *De fide.* Vat. 4 c. 2 anathematizat eum qui dixerit «*Romanum Pontificem non esse beati Petri in primatu successorem*» (cf. § 80, 3). Ita etiam Lateran. IV. et Florent (et prop. damn. Wicleffii 4).

Adversantur graeci schismatici, Wicleff, Hus, novatores s. 16., qui primatum papae ex ambitione episcoporum romanorum derivant ; protestantes nostri rationalistae et modernistae effectum evolutionis historicae eum habent, cuius pars maxima fuerit, quod Roma erat caput mundi mediterranei seu Imperii romani.

DEMONSTR. 1. *Genetice. Petrus Romae est mortuus ut Urbis episcopus.* Quum Christus d. nihil de persona successorum Petri ordinasset, ex rei natura successor Petri est, qui muneris eius, ergo episcopatus romani

est successor. Petrum Romae fuisse ibique martyrium subiisse, hodie etiam critici proloquuntur (Lietzmann : Petrus und Paulus in Rom [2]1926). Id quod Litterae s. quoque indicant Act 12, 17. Romae episcopum eum fuisse, iam vel ex isto facto colligitur. Quae enim alia causa potuit esse longae eius et periculosae in Urbe commorationis? Teste Paulo (Rom 1, 8 ; 15, 20) fides ecclesiae romanae tunc iam tot fructibus enituit, qui absque cura continua alicuius apostoli vix intelleguntur. Petrus *primam epistulam Babylone* scripsit 1 Pet 5. At Babylon ad Euphratem tunc ruina fuit, Babylon Aegypti vile erat oppidulum ; neque ullibi narratur Petrum in Aegypto fuisse. Ergo Babylonis nomine Roma signatur, sicut etiam Ap 17, 5 ; (cf. Eus. H. E. II 15).

2. *Historice.* Episcopum romanum successorem legitimum Petri et caput Ecclesiae esse traditione locupletissima quum theoretice seu effatis Patrum, tum potissimum practice seu agendi ratione et episcoporum romanorum et fidelium comprobatur.

a) Theoretice. Ignatius (Rom. init.) ecclesiam romanam multis laudibus ornat et inter alia ita alloquitur : προκαθημένη τῆς ἀγάπης, «praesidens caritati» ; hic non mere caritas intellegitur, sed caetus caritate iunctus, cui praeest ecclesia romana, ut ipse Ign. (Rom. 9, 3) affirmat. — *Irenaeus* adversus gnosticos, qui fictis traditionibus insistunt, appellat successionem apostolicam; et quia longum est omnium ecclesiarum enumerare successiones, satius ducit rimare successionem ecclesiae «maximae et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo fundatae». «*Ad hanc enim ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, h. e. qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea quae ab apostolis est traditio*» (Haer. III 3, 2). Loci huius, qui sola versione latina originalis probabiliter aliquantum corrupti superest, multum disputati sensus essentialis ex contextu clarus est : Adversus haereses ecclesia romana determinat fidem orthodoxam ; nam propter successionem non interruptam apostolicam primatum quendam iurisdictionis exercet in ceteras ecclesias, quas cum ipsa convenire oportet in rebus fidei. — *Cyprianus* non eadem claritate primatum romanum profitetur, forsitan propter independentiam relativam ecclesiarum africanarum, forsitan etiam spiritu Tertulliani montanistae, quem «magistrum» colebat, aliquantum infectus. Nihilominus ecclesiam romanam matricem et radicem omnium ecclesiarum dicit (Ep. 55, 14) et Ep. 43, 5 ad Cornelium papam data vehementissime reprehendit schismaticos, qui navigare audent «*ad cathedram Petri atque ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis orta est*».

Inde a s. 4. testimonia abundant. *Hieronymus* (Ep. 15, 2) scribit ad Damasum papam : «Ego nullum primum nisi Christum sequens beatitudini tuae, i. e. cathedrae Petri communione consocior». Eodem modo scribit *Ambr.* ad. Siricium papam (Ep. 42). *Aug.* (Ep. 43, 7 ; 53, 1. 2 ; 186, 2 ; Litt. Pet. II 118 ; Ps. Donat.) testatur in ecclesia romana semper conservatum esse «cathedrae apostolicae principatum», «summam auctoritatem», «dignitatem Petri», et profitetur papam qui nunc est, esse successorem

s. Petri. Idem profitentur magni Patres graeci. Secundum *Nazianz.* (Carm. 2, 1) ecclesia romana potestate sua religiosa principatum tenet totius orbis (cf. *Theodoret.* Ep. 116). At abundantius est ecclesiae orientalis testimonium practicum.

Practice: Episcopi romani ita agebant et sentiebant, sicut caput totius Ecclesiae, ceteri episcopi vero et fideles id subiectione agnoscebant. *Clemens R.* probabilissime motu proprio plena auctoritate litem corinthiorum componit. *Anicetus* († 166) aditur a Polycarpo in quaestione paschali (Eus. H. E. V 27). *Eleutherium* († 189) martyres lugdunenses rogant, ut ecclesias Asiae et Phrygiae a montanistis commotas sedaret (Eus. V 5). *Victor* († 199) asiatis sub paena excommunicationis imperat, ut in quaestione paschali ecclesiae romanae se subiciant (Eus. V 26), et ipse Theodorum adoptianum damnat. *Callixtus* († 222) potestatem remittendi peccata plenam «omni ecclesiae Petro propinquae» vindicat. Eodem tempore in rebus fidei Romam petit Hegesippus, Irenaeus, Abercius; Marcion et alii haeretici Romae approbationem quaerunt (Eus. V 22. 4). Quaestionem haereticorum rebaptizandorum *Stephanus* papa († 257) summa auctoritate adversus Cyprianum decernit. *Dionysius* († 268) Dionysium Alex. de fide sua trinitaria examinat illeque rationem reddit (Eus. VII 9, 26). S. 4., *tempore magnarum haeresum christologicarum,* non obstante antagonismo orientalium adversus occidentem et haeretici et catholici Romam appellant, et semper ea pars est inventa catholica, quae Romam sequebatur (quo facto celeberrimus Newman convincebatur falsam esse theoriam ritualistarum et verum esse criterium catholicum). Athanasius adversus arianos, Chrysostomus adversus Eudoxiam papae praesidium petebant. *Caelestinus I.* Ephesino, *Leo Magnus* Chalcedonensi per legatos praesidebant, non ut consiliarii sed ut iudices.

DIFF. 1. *Chalcedon. c.* 28 «sanctissimo novae Romae throno aequalia priveligia» tribuit antiquae Romae throno, sequens «patres Constant. I-i». — RESP. Neque Constant. I. in hac materia est approbatum (non fuit oecumenicum et labentibus saeculis ea parte tantum est approbatum, quatenus processionem Spiritus s. adversus pneumatomachos definivit); nec canonem 28. Chalcedonensis *Leo M.* approbavit; immo *reprobavit.* Ceterum non de primatu ibi agebatur, sed de patriarchatus Constant. potestate adversus romanum episcopum, qui non modo caput Ecclesiae sed etiam patriarcha occidentis est.

2. Episcopi romani saepe «*auctoritate Petri et Pauli*» loquuntur. — RESP. Ut testes fidei ecclesiae romanae ambos invocant pontifices; ubi de primatu iurisdictionis agitur, episcopus romanus semper successorem Petri se dicit. *Gregorius episcopi oecumenici titulum* adversus ambitionem Ioannis Ieiunatoris episcopi Constant. renuit; ergo humilitatis exemplum dedit et nihil auctoritati cathedrae Petri derogavit.

3. Si testimonia sive theoretica, sive practica quandoque non sunt adeo diserta, considerandum est: *Etiam primatus dogma profectum dogmaticum subivit.* Prisco tempore implicita professione tantum tenebatur. Neque mirum, quod primis saeculis tempore fundationis ac priscae propagationis successores s. Petri primatum magis fundamenti instar exercebant: sustentando et uniendo, in silentio, vim ac potestatem aperte in eos tantum manifestius ostendendo, qui in fundamentum et unitatem aperte offendebant. Tempore haeresum christologicarum tamquam paterfamilias

vigilans pontifex romanus clavibus praeditus apparebat ; et demum quum Ecclesia iam firma solidaqua in orbe terrarum vigeret, plena iurisdictionis potestate explicite etiam imperavit. — Quod ad s. *Cypriani agendi modum* in quaestione rebaptismatis attinet (§ 88, 1), exploratum est primatum romanum ab eo theoretice non negari, immo asseri ; practice ea forsitan opinione, utique falsa ducebatur romanum Pontificem in quaestione rebaptismatis terminos suae iurisdictionis egressum esse. Ceterum primatus romani Pontificis etiam in isto casu diserte evincitur : semisaeculo vix elapso doctrina Stephani papae in toto orbe christiano invaluit, non obstantibus sive auctoritate Cypriani sive argumentis ab eo et Firmiliano in contrarium prolatis.

3. *Dogmatice.* Ex voluntate et institutione explicita Christi d. Ecclesia etiam post obitum Petri perpetuo capite visibili instructa sit oportet (§ 80, 3). At si romanus Pontifex, qui primatum sibi vindicat et inde a primis haeresibus talis agnoscitur, non esset caput Ecclesiae, eo minus esset alius aliquis, qui dignitatem istam sibi non attribuit, nec ab aliis accipit ; et igitur Ecclesia capite visibili careret. Atqui tunc frustraretur voluntas et praenuntiatio Christi ; quod est contra divinitatem immo iam contra legationem divinam Christi.

COROLL. 1. *Pontifex romanus habet primatum iurisdictionis* eiusdem indolis atque dignitatis, qualem Petrus a Christo d. accepit. «*Si qu. d. romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent, aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis, aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles, a. s.*» (Vat. 4 c. 3).

Ergo potestas Pontificis r. est *a) iurisdictionis* (cf. § 80, 3) ; *b) plena;* seu habet omnem potestatem magisterii, ministerii, imperii, qua Christus d. Ecclesiam suam instructam esse voluit. Neque dicere licet plenitudinem istius trinae potestatis esse apud collegium apostolicum, pontificem vero habere partem eius, etsi principalem ; sed dicendum est : potestatis apostolicae trinae duo sunt in Ecclesia subiecta virtualiter inadaequate distincta : papa et collegium apostolicum. Ergo *terminus ultra quem non potestatis pontificiae* est solum ius divinum a Christo d. Ecclesiae suae collatum ; quo utique quam efficacissime cautum est, ne potestas pontificia in tyrannidem degeneret (cf. Bernard. Consider. III 4, 15. 17). — Perperam ergo gallicani, febroniani, veteri-catholici *Florentinum* invocabant: Romano Pontifici «in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a d. n. I. Christo plenam potestatem traditam esse καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται»; quasi potestas illa ex mente concilii restringeretur ad modum et normam oecumenicorum conciliorum et canonum ; etenim sensus patet ex textu latino, pariter authentico : «quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum et in s. canonibus continetur»; *c)* est *summa*, seu nullam aliam habens super se, neque Ecclesiae totius, neque concilii, ut volebant constantienses et basileenses ; *d)* est *immediata* in omnes et singulos fideles et pastores. Pontifex romanus est episcopus Ecclesiae, episcopus episcoporum ; quivis fidelis ergo duos habet episcopos.

Nihilominus Pontifex romanus ita praeditus est summa et plena potestate, ut *etiam singuli episcopi* iure divino sint antistites suae dioecesis ; utique non absque indultu Pontificis saltem implicito ; alioqui enim non pertinerent ad collegium apostolicum. — Multum disputatur, *utrum potestas iurisdictionis, quam episcopus habet in suam dioecesim, sit immediate a Deo vel immediate a Pontifice.* Quum Act 20 enuntietur episcopos a Spiritu s. esse positos ad regendam ecclesiam Dei, probabilius dicitur eam esse immediate a Deo, et indultum pontificis requiri tantum ad validum exercitium potestatis episcopalis.

2. *Pontifex romanus iure divino fit caput iuridicum Ecclesiae* plenae potestatis. Iure divino enim, ex institutione Christi venit, ut sit summus pontifex in Ecclesia, non ex voluntate Ecclesiae vel plane ex evolutione historica, licet persona potestate primatus ornanda ab hominibus designetur ; sicuti etiam in sacramento ordinis persona ordinandi ab hominibus designatur, character autem et potestas immediate a Deo datur. Ex quo sequitur : *Praeter pontificiam et episcopalem nulla alia potestas iurisdictionis est in Ecclesia iure divino;* archiepiscopi, metropolitae, patriarchae, sicut et plebani (adversus gallicanos *D* 1509) iure ecclesiastico et non divino sua potestate pollent.

Hic quaeritur, *utrum primatus Ecclesiae iure divino et inseparabiliter sit etiam episcopatui romano adiunctus.* Exploratum est et ab omnibus datum, separationem nullo pacto posse fieri ab ecclesia acephala, sive in concilio, sive praeter concilium. Utrum fieri possit ab ipso Pontifice, ex eo pendet, utrum Petrus ex formali voluntate Dei sedem episcopalem romanam sibi elegerit. Compertum est electionem istam non esse factam absque peculiari Dei providentia (III 35, 7 ad 3) ; item voluntatem Christi formalem ex fontibus fidei diserte probari non posse. Est sententia communior et probabilior theologorum, ex loquendi modo Patrum ac conciliorum voluntatem Christi formalem conici posse (quomodo etiam aliter de Ecclesia «romana» potest esse sermo?). Quin ex hoc efficiatur Romam urbem usque ad finem saeculorum duraturam. Papa manet episcopus romanus, etiamsi non residet Romae, uti v. g. factum est in aera avenoniana.

3. *Ecclesia romana catholica est vera Ecclesia Christi, quia sola praedita est nota apostolicitatis. Sectae* quae nomen christianum praeseferunt, *a)* iam *origine* apostolicitatem negant ; eo enim oriebantur, quod ab antiqua ecclesia deficiebant et adversus eius caput rebellabant. Perperam veteres protestantes successionem apostolicam eo salvam esse volebant, quod semper in Ecclesia fuerint «reformatores», qui praeter successionem hierarchicam quasi protestanticam constituerint. Etenim Christus d. super Petri fundamentum fundavit Ecclesiam, et illi soli, nec pastoribus ex alio grege tradidit trinam potestatem apostolicam. *b)* Omnes *respuunt principium formale apostolicitatis,* primatum successorum Petri, quem antecessores eorum adhuc profitebantur. Ergo alii sunt facti ; idque longe post tempora apostolica. Ergo non possunt esse apostolici. Insuper explicite se ab ecclesia romana separabant ; ergo eorum antistites a collegio apostolico explicite recedunt.

Apostolicitas Ecclesiae catholicae est conspicua. Caput huius Ecclesiae est episcopus ecclesiae romanae, quae teste iam s. Paulo est apostolica. Episcopus romanus ut caput Ecclesiae est successor Petri, ceteri vero huius Ecclesiae antistites cum capite vinculo symbolico, liturgico, hierarchico coniunguntur ; ergo saltem formaliter sunt apostolici. Et igitur omnes ecclesiae quae sunt in communione ecclesiae romanae, sunt apo-

stolicae, etiam ratione doctrinae, quam teste historia apostolicam semper servabant ; quum econtrario protestantes nostri iam vel Apostolicum in discrimen vocant (cf. Dörholt : Das Taufsymbolum 1898).

Criterium catholicum apostolicitatis est facile usu, omnibus pervium. «Ubi enim Petrus, ibi Ecclesia» ; ita Ambr. (in Ps 40, 30). Eodem Ambrosio narrante (Excess. fratr. I 47) Satyrus naufragio in regionem ignotam deiectus, fidei deditus ut erat, episcopum istius loci hoc primum interrogavit, utrum in communione romani episcopi sit (cf. Hieron. Ep. 16).

3. Unitas et universalitas Ecclesiae catholicae. — 1. *Ecclesia catholica praedita est ea unitate, qua Christus d. Ecclesiam suam insignitam voluit,* quaeque est nota verae eius Ecclesiae. *a)* Adest unitas *fidei;* omnes enim fideles saltem implicite credunt id quod a magisterio authentico credendum proponitur. Unitas ista non rumpitur per haereticos non formales, utpote qui virtualiter magisterio se subiciant ; neque per haereticos formales arcanos; unitatis nota enim ad elementum visibile Ecclesiae spectat ; neque per haereticos formales manifestos, qui ab Ecclesia separantur. — *b)* Adest unitas *liturgica:* idem sacrificium eademque sacramenta. Non adversatur varietas rituum orientalis et occidentalis, utpote non ad essentiam depositi apostolici tangens ; ideoque ecclesia occidentalis ritus orientales nunquam non approbavit. — *c)* Adest unitas *hierarchica.* Catholici enim strenue profitentur hierarchiam Ecclesiae esse iuris divini, obligans in conscientia. Quae persuasio est praesidium firmissimum unitatis : omnes fideles parati sunt in omnibus rebus ad fidem et mores pertinentibus obedire hierarchiae ; potestas hierarchica vero recapitulatur in capite Ecclesiae, in romano Pontifice, qui ergo est unitatis et causa efficiens proxima et symbolum.

Unitas ista *neque tempore schismatis* occidentalis frangebatur. Etiam tunc vigebat principium Ecclesiam esse in capite unitam; etsi dubium fuerit aliquando, in quonam individuo primatus resideat. Simulatque in Constantiensi dubium facti solutum est, etiam unitas virtualiter nunquam deficiens ad actum perducebatur.

Ceterae societates christianae carent nota unitatis. Deest enim eis *fundamentum et principium unitatis:* unitas imperii in capite consummata. Ideoque omnes istae societates labente tempore ingentem sectarum multitudinem proferebant : 15 ecclesias orientales, in quibus sola russica iterum in plus ducentas partes abivit ; protestantes, qui iam initio in partes Lutheri, Calvini, Zwinglii dividebantur, in dies novas sectas progignere pergunt. Neque iuvat cum protestantibus veteribus asserere adesse unitatem fidei *quoad articulos fundamentales;* distinctio enim ista est gratuita et falsa (§ 17, 3) ; neque cum ritualistis *theoriam trium ramorum* eiusdem arboris invocare, iam vel ideo, quia neque anglicani, neque orientales apostolicitatis nota unt praediti ; neque cum liberalibus et oecumenicis (Harnack, Heiler, Söderblom) *animi christiani unitatem* appellare, quippe qui animus iam non sit nisi nomine christianus.

Ipsis diebus nostris docemur quomodo dissolvantur societates et religiosae et civiles, quae a fundamento Petri se retrahunt. Sola *Ecclesia catholica effulget ut unitatis miraculum et fons;* simul est etiam exemplar fecunditatis, quae est verae unitatis comes ; valet enim in ea illud Augustinio attributum : In necessariis unitas, in non necessariis libertas, in utrisque caritas.

2. *Ecclesia catholica est universalis.* Quod iam vel *nomen* prodit, ut facunde eloquitur *Aug.* (Ep. Man. 4, 5) : «In catholica enim Ecclesia, ut omittam sincerissimam sapientiam, ad cuius cognitionem pauci spiritales in hac vita perveniunt, . . . multa sunt alia quae, in eius gremio me iustissime teneant . . . Tenet postremo ipsum Catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut quum omnes haeretici se catholicos dici velint, quaerenti tamen alicui peregrino, ubi ad Catholicam perveniatur, nullus haereticus vel basilicam suam vel domum audiat ostendere».

Et revera Ecclesia catholica est *a)* universalis *tempore*, nata prima pentecoste, vigens per saecula in hunc diem (§ 11, 4) ; *b)* universalis *spatio:* plures numerat fideles quam quaevis alia societas christiana, est divulgata in toto orbe, est tamen ubique terrerum una. Etenim si protestantes et orientales quoque multi sunt numero, universalitas tamen eis deest iam vel ideo, quia numerositas ista non est amplitudo unius, sed complexio multorum. *c)* Est *universalis etiam virtualiter*, seu habet propositum et virtutem assidue crescendi. Nunquam non voluntas ei fuit obedire mandato Christi et praedicare evangelium omnibus gentibus, idque ad mentem Apostoli dicentis : «Sic autem praedicavi evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus» Rom 15 (cf. § 11, 4).

Econtrario *sectis deest* universalitas temporis, quum omnes longe post aeram apostolicam ortae sint ; deest universalitas spatii, iam vel ideo, quia deficit unitas. Idem valet etiam de catholicitate virtuali : non conversione paganorum, sed «ubi nominatus est Christus», apostasia catholicorum asseclas sibi comparabant, uti iam Tert. (Praescr. 42) et Aug. (Faust. XIII 12) conqueruntur. Graeci missiones usque in hunc diem neglegunt ; protestantes demum s. 19. maiore industria eas amplectuntur, non absque motivis politicis et vana cum spe ; non enim potest ibi enasci universalitas, ubi deest unitas.

§ 83. Infallibilitas Ecclesiae.

Statuitur 1. factum, 2. obiectum, 3. subiectum infallibilitatis.

1. Factum. — THES. **Ecclesia catholica in doctrina revelata custodienda et proponenda est infallibilis.** *De fide.* Vat. (4 cp 4) definivit romanum Pontificem quum ex cathedra loquitur «*ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit*».

EXPLIC. Ex thesi Ecclesia in veritate revelata tradenda non fallit, nec unquam fallet : *infallibilitas activa*, cuius effectus est infallibilitas *passiva* ecclesiae discentis. *Naturā sua* non est infallibilitas ipsius Dei, sed est providentia Dei peculiaris, *assistentia divina supernaturalis negativa* (non activa inspirationis), qua Deus efficaciter cavet, ne Ecclesia unquam errorem in revelatione doceat. Est quidem charisma ordinarium et assiduum Ecclesiae datum et quotiens opus est, paratum ; at non est habitus individuis quibusdam inhaerens. Quum sit momentum providentiae divinae, Ecclesiam docentem non dispensat a praeparatione propria quam

diligentissima ; nihilominus non est fructus humanae industriae, sed est donum Dei gratuitum (gratia externa). — *Adversantur* materialiter omnes haeretici et schismatici, facto eam negantes. Wicleff, Hus, novatores s. 16., anglicani docent infallibilitatem convenire ecclesiae invisibili ; visibilis ex eorum opinione saepe et graviter erravit. Modernistae, qui non admittunt charismata Ecclesiae immediate a Christo d. data, etiam infallibilitatem infitiantur (Lament. 6. 7).

DEMONSTR. 1. *Christus* d. Ecclesiae suae dedit charisma infallibilitatis : *a) Postulat, ut homines absolute credant Ecclesiae* docenti : «Euntes in mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui vero non crediderit, condemnabitur» (Mc 16 cf. Jn 3, 18 ; 13, 20 ; Mt 10, 14). At pugnat cum absoluta Dei veritate et sanctitate, ut consecutionem salutis errori adiungat. *b) Explicite* infallibilitate instruxit Ecclesiam : Ubi dedit apostolis mandatum docendi omnes gentes, addidit promissionem, se cum ipsis fore omnibus diebus usque ad consummationem saeculi Mt 28; imo magisterium apostolorum in eodem numero cum suo ponit : «Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit» Lc 10 ; promisit eis Spiritum veritatis, qui eos docturus sit omnem veritatem Jn 14. Denique sancte affirmavit, portas inferi, patrem mendacii, non praevalere Ecclesiae suae Mt 16 (cf. infra n. 3).

2. *Apostolis* persuasum erat se absque errore docere veritatem Christi : *a) Hierosolymis*, ubi de obligatione veteris legis quaerebatur, definiebant : «Visum est Spiritui s. et nobis» Act 15. *b) Paulo* compertum erat Christum loqui per os eius (1 Cor 7, 40) ; ausus est galatis dicere : «Licet nos aut angelus de caelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit» Gal 1. Quae eo sunt maioris momenti, quod promissiones supra laudatae Christi d. ipsi non erant immediate factae. *c)* Ex apostolorum doctrina *Ecclesia est «columna et firmamentum veritatis»* 1 Tim 3 ; est *corpus mysticum Christi*, quod oportet incolume manere Eph 5, cuius munus ab ipso Christo d. sibi commissum est hoc : «Ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, *in aedificationem corporis Christi; donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei*, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, *ut iam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae* in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris ; *veritatem autem faciendo in caritate* crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus» Eph 4. Quibus impossibile est satifacere, si Ecclesia potest errare in veritate proponenda. Istam suam doctrinam apostoli confirmabant sequentibus signis (Act 2, 43 ; 3, 1 ; 5, 12 ; 19, 11 ss. ; 2 Cor 12, 12 ; Heb 2, 3).

3. Ecclesia inde *a tempore Patrum apostolicorum* eandem fidem profitetur et verbo et re. Ex doctrina *Ignatii* (Eph. 3, 2) Iesus Christus «sententia Patris» est, «ut et episcopi per tractus terrae constituti in sententia Iesu Christi sunt» ; *Iren.* (III 24, 1 ; cf. 4) dicit : «*Ubi Ecclesia, ibi et Spiritus Dei; et ubi Spiritus Dei, illic Eclcesia et omnis gratia; Spiritus*

autem veritas». *Tert.* (Praescr. 28) : «Age nunc, omnes ecclesiae erraverint ; nullam respexerit Spiritus s., ut eam in veritatem deduceret, ad hoc missus a Christo, ad hoc postulatus a Patre, ut esset doctor veritatis». Inde a s. 4. fides ista Ecclesiae quasi vi erumpens se manifestavit *in conciliis oecumenicis*, adversus haereticos, in quorum oppugnatione quasi tessera erat Patribus : non est ista doctrina Ecclesiae !

4. *Ratione* etiam suadetur : *a)* Natura spiritualis hominis *veritatem* eamqua plenam et certam esurit in rebus maximi momenti ; quae fames non satiatur nisi certa veritatis doctrina. *b)* Verbum Dei revelatum plenam subiectionem mentis et *assensum firmum* postulat ; at si deest magisterium auctoritativum et infallibile, hic assensus est psychologice et logice impossibilis. *c)* Si Ecclesia non est magistra infallibilis veritatis evangelicae, non potest fidem exigere, heterodoxos efficaciter arcere, nec unitatem servare, cuius fundamentum spirituale est vinculum fidei, eiusdem sc. veritatis professio. *d)* Est *consecutio indefectibilitatis* Ecclesiae ; si enim esset sive active sive passive fallibilis, deficeret ab evangelio et desineret esse Ecclesia ea quam Christus instituit.

DIFF. 1. Ecclesia *circulo vitioso* gyrat, ubi infallibilitatem suam ex Scriptura probat, quum de Scripturae inspiratione ex solo Ecclesiae infallibili testimonio constet (§ 15, 1). — RESP. *a)* In probatione apologetica infallibilitatis Scriptura solum ut fons historicus consideratur. *b)* Infallibilitas est proprietas essentialis magisterii *vivi* Ecclesiae ; atqui vivens non tenetur argumento peculiari probare quod sanitate fruitur, sed vivendo id immediate ostendit.

2. Conservatio et propositio revelationis non necessario postulat magisterium infallibile ; *etiam V. T. eo carebat.* — RESP. *a)* Nego suppositum. In V. T.-o aderat pro conditione temporum institutio, qua revelatio infallibiliter conservabatur: institutum 70 seniorum (Ex 24 ; Num 11; Ios 9, 15 ; Iud 21, 16 ; Prov 25, 1 ; Ecl 12, 11 etc.) et imprimis series prophetarum ; *b)* V. T. materialiter est revelatio non ultima et omnibus numeris absoluta ; nihil ergo mirum, quod neque formaliter magisterio perfectissimo erat praeditum.

3. Infallibilitas *propositum non assequitur ;* sc. non est par certitudini fidei procreandae ; nunquam enim absque formidine contrarii constare potest, pontificem ex cathedra esse locutum vel doctrinam aliquam ab ordinario magisterio proponi. — RESP. *a)* Nego suppositum. Si paucissima excipiantur, certo constare potest de facto propositionis infallibilis (cf. infra n. 2. 3 ; § 17), ut videre licet ex quocunque enchiridio dogmatico. *b)* Est πρῶτον ψεῦδος istius difficultatis magisterio infallibili tolli omnem fidelium industriam propriam investigandi et inveniendi propositionem infallibilem (unicuique utique pro modulo suo) ; sicut falsum est ponere charismate infallibilitatis activae superfluum reddi omnem praeparationem propriam Ecclesiae docentis.

2. Obiectum. — THES. 1. **Obiectum primarium infallibilitatis est omnis veritas formaliter revelata.** *De fide.*

EXPLIC. et DEMONSTR. *a) Christus d. Ecclesiam hunc in finem infallibilitate donavit,* ut sua vice magisterio fungeretur, sua auctoritate et sua efficacia. Atqui Christus magisterii sui esse censuit communicare hominibus id quod a Patre accepit (§ 10, 1). Ergo etiam charisma infallibilitatis ratione sui et directe in id tendit, ut solam et omnem revelationem tradat. *b) Promissionem infallibilitatis adiunxit* mandato docendi

omnia quae ipse praeceperat Mt 28 ; Spiritum veritatis promisit eis in omnibus, quae sua erant : «De meo accipiet et annuntiabit vobis» Jn 16.— Sequitur : *Ad obiectum primarium infallibilitatis ea quoque pertinent, quae* non sunt quidem revelata formaliter, attamen *sunt revelationis formalis a)* vel *necessaria forma conservationis,* uti Scriptura eiusque interpretatio authentica, fontium traditionis et census et interpretatio, *b)* vel *necessaria propositio:* apta definitio, haeresum proscriptio.

THES. 2. **Obiectum secundarium infallibilitatis sunt ea omnia, sine quibus impossibile esset revelationem integram incolumemque servare et infallibiliter proponere.** *Certum.*

EXPLIC. et DEMONSTR. Christus Dominus ideo venit ideoque veritatem revelavit, *ut homines vitam habeant* et abundantius habeant Jn 10. Verba quae ipse locutus est, spiritus sunt et vita Jn 6. At ut vita vere spiritualis in hominibus progignatur, veritas naturae humanae servatis legibus psychicis et individualibus et socialibus inseratur oportet. Et sic inevitabiliter et inseparabiliter *connectitur cum veritatibus et factis non revelatis* quidem, tam stricte tamen cum ea unitis, ut eis labefactatis et ipsa ruat ; sicut domus utut solide exstructa nutat et collabitur, si movetur solum cui fundamentum est immissum. Si ergo Ecclesia non est infallibilis in istis cum revelatione inseparabiliter iunctis docendis, neque iam in revelatis tradendis potest infallibilitatem servare. Quum infallibilitas Ecclesiae in istis non directe sed indirecte tantum ex mandato Christi derivetur, constituunt obiectum secundarium infallibilitatis, cui fides ecclesiastica debetur (§ 18, 3). Et sunt haec :

1. *Ipsa infallibilitatis dicio.* Certum. Si enim Ecclesia non haberet potestatem infallibiliter statuere, in quibus ei infallibilitas competat, facile errorem proponeret, ubi sc. contenderet infallibiliter docere id ad quod infallibile magisterium non extenditur. Neque fideles unquam securi essent sibi hic et nunc veritatem proponi infallibiliter ; neque haeretici efficaciter repelli possent ; in quovis casu enim eis competentiam Ecclesiae in dubium vocare fas esset.

2. *Conclusiones theologicae.* Certum. *a)* Si Ecclesia in istis posset errare, quum error in praemissas redundet, et quum praemissa naturalis ut philosophica plerumque evidens sit, suspicio erroris in alteram, sc. revelatam caderet. *b)* Ecclesia via facti probat suam in conclusionibus proponendis infallibilitatem : saepe tales credendas proposuit, saepe etiam contrarias ut haereses damnavit, uti hoc Summario quoque abunde exhibetur (v. g. *D.* 299. 602. 679. 1542. 1684. 1748 etc.).

3. *Veritates philosophicae cum revelatione inseparabiliter coniunctae:* veritates logicae, sine quibus revelata non possunt definiri, nec haereses retundi, nec conclusiones theologicae effici ; deinde prima principia metaphysica, noetica, ethica, sine quibus revelata non possunt rationaliter proponi et defendi. Revera Ecclesia talia saepe auctoritative docuit et contraria damnavit (v. g. *D.* 1650. 1813).

4. *Facta dogmatica.* Certum. Facta dogmatica *sensu latiore,* uti authentia dogmatica Vulgatae, oecumenitas concilii, legitimitas papae nunc regnantis, veritatum quarundam revelatarum sunt conditiones historicae, sicut quaedam veritates philosophicae (immediate supra dicta) sunt conditiones theoreticae. Facta dogmatica *sensu restrictiore* vero sunt conditiones hermeneuticae. Namque si Ecclesia non esset infallibilis in iudicio

ferendo, contineaturne nec ne locutione quadam revelatio, vel veritas ei non contraria, vel error ei adversus, iam non posset esse iudex auctoritativus fidei et magistra infallibilis veritatis revelatae ; non enim potest in magisterio exercendo supersedere sermoni et loquendi modo humano. Id Ecclesia via facti quoque comprobavit (cf. § 17, 3). — Non tangit substantiam thesis nostrae *quaestio* inter theologos disceptata, utrum quoad facta dogmatica sensu latiore sumpta infalliblitas Ecclesiae immediate ad *in ispum factum* terminetur, v. g. «Pius XI. est Pontifex legitime constitutus», *vel* vero immediate *in conclusionem* ex facto dogmatico tamquam praemissa efficiendam : «Pius XI. est caput Ecclesiae ab ipso Christo d. constitutus».

5. *Praescripta, quibus cultus et disciplina universalis Ecclesiae ordinantur, necnon approbatio sollemnis ordinum religiosorum.* Certum. Etenim istis Ecclesia nihil aliud agit, atque veritates revelatas immediate applicat et practice interpretatur : v. g. ubi sacerdotibus caelibatum praescribit, docet caelibatum non modo in casibus quibusdam extraordinariis sed etiam communius esse possibilem. Ecclesiae revera in istis infallibilitatem sibi tribuit, ut patet ex bullis approbantibus ordinum religiosorum. — *Sequitur:* Cultus et disciplina universalis Ecclesia est expressio infallibilis revelationis : legem credendi satuit lex supplicandi. At *non sequitur: a)* Ecclesiam omnia quae indulget vel approbat, eo ipso etiam vera haberi velle, v. g. omnia quae lectionibus nocturni II. brevarii exhibentur. Saepe enim mere negative statuit : nihil quod revelationi adversetur, ibi contineri ; *b)* cultum, disciplinam, ordinem approbata in omnibus esse perfectissima. Approbatio enim theoretice est infallibilis : convenientiam cum revelatione statuens ; non practice : aliquid esse hic et nunc omnium perfectissimum.

6. *Canonisatio sanctorum.* Hodie commune. Agitur de canonisatione, quae est iudicium sollemne et definitivum aliquem fidelem sancte vixisse et post mortem beatitudinem aeternam esse consecutum; et non de beatificatione, quae non est definitiva et irreformabilis. — *Probatur: a)* Pontifices in canonisationum bullis eiusmodi locutionibus utuntur, utpote qui persuasi sibi sint de infallibilitate sui iudicii (cf. Bendict. XIV : De servorum Dei beatif. I 36, 21 ; 45, 28). *b)* Iudicium canonisationis est conclusio theologica, cuius altera praemissa est revelata : norma sanctitatis christianae eiusque corona caelestis ; altera est factum humanitus certo explorandum : vitae sanctitas et aeternae beatitudinis consecutio (quod miraculis probari potest cf. § 7). *c)* Si Ecclesia in his posset errare, fors damnatum fidelibus colendum exhiberet et igitur graviter aberraret a munere, quod est sanctificare homines in veritate. — *Obstat:* Nemo absque speciali revelatione certus esse potest certitudine cui non potest subesse falsum, se gratiam esse consecutum (§ 76, 1) ; neque evidens est effata pontificia in bullis canonisationum esse doctrinas ex cathedra. — Nihilominus thesis nostra saltem ut conclusio theologica *certa est pro canonisationibus iuridicis*, quales inde ab Alexandro III. exercentur. Canonisationes populares, antea in usu, probabiliter non sunt infallibiles.

In omnibus sive primariis sive secundariis obiectis Ecclesiae infallibilitas *ad ea omnia et sola* se extendit, quibus magisterium plenae potestatis, pleno etiam potestatis usu, universali Ecclesiae aliquid credendum proponit ; per se ergo non extenditur ad expositiones, probationes, applicationes.

3. Subiectum. — THES. 1. **Collegium apostolicum episcoporum est infallibile, quum sive in concilio sive modo ordinario cum plenitudine potestatis docet.** *De fide.*

EXPLIC. *Collegium apostolicum* episcoporum est societas episcoporum

legitime in Ecclesia constitutorum in communione cum romano Pontifice. Quod collegium infallibile est utique in eo, in quod infallibilitas Ecclesiae extenditur, sive primarie sive secundarie. Est infallibile, quum *ex plenitudine potestatis* docet, seu quum ut magisterium authenticum a Christo d. constitutum in rebus ad fidem vel mores pertinentibus Ecclesiae universae auctoritative aliquid credendum proponit. Exercitium plenum istius plenae potestatis fit vel in concilio oecumenico, vel vero magisterio ordinario. *Ut concilium sit oecumenicum requiritur*, ut *a)* sit convocatum a *papa* vel explicite vel saltem virtualiter, uti prima octo concilia, ubi romanus Pontifex per legatos concilium agnovit (excepto Constant. I a. 380, quod demum post saecula, approbatione subsequenti Pontificum et consensu Ecclesiae auctoritatem concilii oecumenici adeptum est) ; *b)* ut vocentur *episcopi* totius Ecclesiae omnes, saltem moraliter omnes, et ut saltem tot episcopi sint praesentes, quibus universa Ecclesia moraliter repraesentatur. Nota bene : Vocandi sunt episcopi consecrati ; vocari possunt et recentiore tempore solent etiam alii potestatem quasi-episcopalem habentes, uti cardinales, praelati ordinum relgiosorum ; *c)* ut Pontifex per se vel per legatum praesit *praesidio iurisdictionis* et non mere directionis ; *d)* ut *approbatione* decreta concilii confirmet. Quod ad magisterium ordinarium attinet, cf. dicta de subiecto propositionis ecclesiasticae (§ 17, 2). — Vat. (3 cp 3) definivit : «*Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur*».

DEMONSTR. 1) *Christus* d. Ecclesiam suam infallibilitate ornavit ; infallibilitas est proprietas magisterii authentici et auctoritativi ; magisterium auctoritativum vero a Christo d. in Ecclesia institutum est collegium apostolicum episcoporum (§ 80). Si ergo collegium apostolicum episcoporum non esset infallibile, Ecclesia careret charismate infallibilitatis. — 2) *Ecclesia a)* statim ab initio *decreta conciliorum* tamquam irreformabiles fidei definitiones suscepit. Ita iam concilium hierosolymitanum (Act 15 et Gal 2). Patres quattuor concilia (nicaenum, constant., ephes., chaled.) ut quattuor evangelia susceperunt (Athanas. Ep. ad afr. 2 ; Gregor. M. Ep. I 25). *b)* Quod ad *infallibilitatem magisterii ordinarii* attinet, compertum est, plenam magisterii potestatem a Christo d. collegio apostolico esse commissam, quin ipse in specie determinaverit, quo modo quave forma magisterium istud exerceri debeat. Ex rei natura vero prius est magisterium ordinarium quam concilia, quae ex causis historicis enata multum sunt utilia, non tamen absolute necessaria ut falso volebant constantienses ; tribus enim primis Ecclesiae saeculis et tribus saeculis post Tridentinum nulla celebrabantur concilia generalia, quin infallibilitatis charisma eo tempore conquiesceret. Iam Ign. (Eph. 3, 2) dicit: «Episcopi per tractus terrae constituti, in sententia Iesu Christi sunt».

Nota bene: *Singuli episcopi non sunt infallibiles*, ut iam ecclesia apostolica fatetur (Act 20, 30 ; 1 Tim 4, 7 ; 2 Tim 2, 3 ; Tit 3, 9 etc.), et probat historia errores etiam gravissimos quorundam episcoporum narrans, uti Pauli samosateni, Nestorii, episcoporum arianorum etc. Singuli enim episcopi sunt quidem testes et magistri authentici revelationis, at non iudices fidei. Verba quibus Christus d. Ecclesiae suae infallibilitatem promisit vel contulit, semper vel ad Petrum, vel ad collegium apostolorum erant data. Ex eadem causa etiam synodo provinciali vel plane dioecesanae infallibilitas non convenit.

THES. 2. **Romanus Pontifex solus quoque est infallibilis, quum ex cathedra loquitur.** *De fide* ex Vat. 4 cp 4 : «*Docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, quum ex cathedra loquitur, i. e. quum omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in beato Petro promissam ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque eiusmodi romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse*».

EXPLIC. *a)* Romanus Pontifex *eo modo eaque mensura* est infallibilis, qua Christus d. Ecclesiam suam infallibilem esse voluit. *b)* Infallibilitas est *charisma officiosum* papae, ut summi pastoris Ecclesiae. Non ergo dogmate enuntiatur romanum Pontificem non posse ut privatum hominem deficere in moribus vitae, imo in rebus fidei (at non est probabile quorundam sententia posse eum etiam haereticum formalem fieri). Imo neque in omnibus actibus magisterii officiosi est infallibilis, sed solummodo, *c)* quum *ex cathedra* loquitur, seu quum omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens, non ut homo privatus vel theologus, non ut episcopus vel patriarchia, α) doctrinam de fide vel moribus, β) ab universa Ecclesia tenendam, γ) definit. Quando ex cathedra loquatur, plerumque ex conditionibus, tenore, contento documenti pontificii dignoscitur (cf. § 67, 1). Non loquitur ex cathedra, quum in singulari casu interroganti cuipiam respondet, quum ad unam dioecesim vel provinciam loquitur, quum modo ordinario (non speciali) decreta congregationum romanarum confirmat. *d)* Charisma istud muneri primatus debetur, ergo non ingenio vel eruditioni vel sanctitati, nec personae ; ideo neque in alium ullo modo transferri potest.

DEMONSTR. **Scr.** *a)* Petrus ex institutione Christi est *fundamentum* saxeum Ecclesiae Mt 16, quae est regnum veritatis a Deo revelatae. At si ipsum fundamentum in veritate deficeret, porta inferi ei praevalerent, inferi inquam, cuius princeps est pater mendacii et erroris (Ap 12 ; Jn 8, 44 ss.). — *b)* Christus d. Petro tradidit *claves* regni caelorum Mt 16 ; quod ipse aperit vel claudit, quod solvit vel ligat, ratum habetur in caelis. Si ergo erraret in clavibus adhibendis, seu munere summi capitis fungens, a caelo ratus haberetur error. — *c)* Petrus est summus *pastor* Ecclesiae Jn 21, Christi vice fungens ; ergo tunc tantum bonus pastor ad exemplar ipsius Christi d. invenietur, si veritate et non errore pascit gregem suum. Insuper errorem docens vel gregem secum traheret, et tunc tota Ecclesia deficeret, quod est contra indefectibilitatem Ecclesiae ; vel vero grex ei resisteret, et tunc contra naturam grex pasceret pastorem. — *d) Christus d. explicite* quoque Petro infallibilitatem promisit in ultima coena : «*Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*» Lc 22. Quae verba sicut alia duo gravia de fundamento clavibusque et de pastore (Mt 16 et Jn 21), *non sunt ad personam, sed ad munus Petri* data. Si enim necesse fuit fratres a Petro in fide firmari tempore pristini zeli et charismatum, eo magis postea. Imo si Christus soli Petro dedisset

promissionem, neque ad verum esset perducta ; etenim ipse Petrus quoque infirmus est inventus etsi non in fide, tamen in professione fidei. Ergo divinitas Christi in discrimen vocatur, si verba ista ad solum Petrum restringuntur, neque ad successores extenduntur.

Tr. Diserta doctrina Scripturae *primis saeculis* a Patribus *raro formaliter* explicite exhibetur. Nec mirum. Infallibilitas enim est momentum formale comitans quamcunque manifestationem magistralem plenae potestatis romani Pontificis, sicuti conscientia quemcunque actum humanum comitatur ; at tempore primae activitatis raro fit reflexio ad formalia. Nihilominus implicite contineri in manifestationibus magistralibus plenae potestatis romani Pontificis etiam professionem infallibilitatis, patet

a) Ex agendi ratione priscae ecclesiae : α) *Episcopus romanus* plena auctoritate docendi fruebatur, ut ostendit iam agendi ratio Clementis R., Victoris, Dionysii (§ 82, 2) ; Callixtus modo definitivo damnavit montanistas, Theodorum coriarium, Innocentius I. pelagianos, Caelestinus I. nestorianos, Leo M. monophysitas *(D* 110. 139. 129). β) *Haeretici* quoque Romam appellant, eiusque approbationem summa industria prosequuntur (cf. quod Newman est expertus ; § 82, 2). γ) *Concilia* etiam oecumenica romanum Pontificem ut summum magistrum et iudicem fidei agnoscunt. Quum epistula Leonis M. in Chalcedonensi praelegeretur, patres concilii acclamabant : «Omnes ita credimus, orthodoxi ita credunt ; anathema ei, qui non ita credit. Petrus per os Leonis locutus est» ; id quod deinde repetebant concilia unionis : Constant. IV., Lugdun. II., Florent.

b) Ex dictis patrum: Ignatio dicente ecclesia romana est «Christi legem habens, Patris nomine insignita» (Rom. prooem.). Secundum *Irenaeum* (§ 82, 2) adversus gnosticorum errores haec est tuta fidei norma : esse in unione fidei cum ecclesia romana (ex contextu : cum episcopo romano). Idem fatetur Cypr. (§ 82, 2). Teste *Epiphanio* (Ancor. 9) firmata est fides eius, qui claves regni caelorum obtinuit. Secundum *Ambrosium* (Ep. 42) : tenendum symbolum apostolicum, quod ecclesia romana incolume semper retinuit. Item Hier. (Ruf. III 12 ; Ep. 15). Pervulgatum est illud *Augustini:* In causa pelagianorum duarum synodorum relationes factae sunt ad sedem apostolicam. «Rescripta venerunt ; Roma locuta causa finita ; utinam finiatur aliquando et error» (Ep. 131, 10 ; 42, 5).

Idem docent *theologi principales medii aevi* (2II 1, 10). Solum *versus finem medii aevi* testimonium illud unanime aliquantum obfuscabatur agentibus sectis antiecclesiasticis et favente schismate occidentali. Constantienses et Basileenses synodum supra papam constituebant, in quorum quasi successionem gallicani docebant decreta pontificia tunc demum esse irreformabilia, si accedat ecclesiae universae consensus ; at fatentibus ipsis eorum theologis, contra unanimem consensum veterem id docebant (Tournely : Ecclesia Christi 5, 3).

R. Christus d. ad hoc venit in mundum, ut testimonium perhiberet veritati (Jn 18) ; et idem munus commisit Ecclesiae, quam recte ideo infallibilitate instructam esse voluit ; alioqui enim erroris et non veritatis esset testis. Eadem ipsa veritas a Christo data est vinculum firmissimum unitatis Ecclesiae. *Convenit* ergo, *ut infallibilitatis et unitatis in Ecclesia idem sit fundamentum, pignus, symbolum.* Alioqui, quum dissensiones orirentur in corpore, i. e. in collegio epsicoporum, et unitas et veritas in discrimen vocaretur, si caput careret charismate infallibilitatis. Econtrario,

si oculus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit Mt 6. Ista «*recapitulatio*» *veritatis et unitatis Ecclesiae in capite* sic ad verum perducitur, ut caput in viva unione et communione est cum collegio apostolico episcoporum. Ex veritate catholica enim duo sunt subiecta infallibilitatis virtualiter inadaequate distincta : romanus Pontifex et collegium apostolicum episcoporum, ita ut nec collegii apostolici infallibilitas a solo pontifice derivetur (curialismus), nec infallibilitas pontificis ex consensu episcoporum dependeat (episcopalismus et gallicanismus).

DIFF. 1. *Apostoli errabant;* omnes finem mundi proxime instare putabant. Petrus falso de obligatione veteris legis sentiebat Gal 2 ; Paulus milesiis dixit eos non se esse visuros, et contra est factum (Act 20 : 2 Tim 4). — RESP. De tempore adventus secundi Christi d. apostoli eodem modo sentiebant, quo Christus docuerat (§ 114, 1 ; 12, 1). Quod Paulus milesiis dixit, non tangit charisma infallibilitatis, quod est muneri annexum pro bono universae Ecclesiae et non est habitus personalis comitans omnem omnino manifestationem. Petrus in quaestione Legis eodem modo atque ceteri apostoli sentiebat Act 15 ; at iudicante Paulo minus prudenter agebat ; quod iterum non tangit infallibilitatem, quae est charisma vere docendi, non perfecte agendi.

2. *Pontifices quoque* graviter in rebus fidei *errabant: Liberius* († 366) formulae arianae subscripsit ; *Vigilius* († 555) Tria Capitula (scripta Theodori Mopsuesteni, Theodoreti Cyrensis, Ibae Edesseni) mox approbavit, mox reprobavit ; *Honorius* († 638) monophysitismo favebat, propterea a Constant. III. damnatus ; *Zacharias* († 752) damnavit Virgilium quendam docentem esse antipodos ; *Nicolaus I.* (†867) in rescripto ad bulgaros circa formam baptismi graviter erravit. — RESP. *a)* Teste historia ecclesiastica in istis ne in uno quidem casu de definitione ex cathedra agitur. *b)* Immo neque de errore. De *Liberio* constat, arianismum ab eo semper esse reprobatum ; diu et acriter vexatus subscripsit (forsitan) formulae ex a. 358, quae tertia sirmiensis dicitur et interpretationem catholicam admittit. *Vigilius* circa doctrinam idem sensit, atque Constant. II. ; at non aequum esse iudicavit damnari scriptores, qui in pace Chalcedonensi obdormierant. De *Honorio* cf. § 54, 3. *Zacharias* id unum damnavit esse homines, qui extra dicionem redemptionis per Christum factam sunt positi. De *Nicolao* I cf. § 89, 3.

3. *Errare humanum est;* nec ergo a romano Pontifice alienum. — RESP. Si Deus dedit revelationem, debuit eam magisterio authentico committere; quod tamen non erit auctoritate necessaria instructum, si caret infallibilitate ; at infallibilitas Ecclesiae corruit, si caput eius non est infallibile. Ultima analysi divinitas ergo Christi et igitur existentia ipsius Dei personalis transcendentis in discrimen vocatur, si infallibilitas romani Pontificis negatur. Ideoque si errare est humanum, *non errare est divinum;* et infallibilitas Pontifici non humanitus, sed divinitus obtingit, ex peculiarissima Dei providentia.

§ 84. Sanctitas Ecclesiae catholicae.

Statuitur 1. factum ; 2. cultus sanctorum ; 3. Ecclesia ut corpus mysticum Christi.

1. Factum. — *Ecclesia catholica est sancta ea sanctitate, qua Christus d. Ecclesiam ornatam esse voluit.*

1. Ecclesia catholica *norma et exemplar sanctitatis* a Christo exhibitum incolume semper servavit. *Quoad theoretica* hoc ipso Summario id

minutatim probatur. Quod vero *ad practica* attinet, teste historia Ecclesia adversus naturalismum semper theonomiam supernaturalem, pretium vitae evangelicae, consiliorum evangelicorum, virtutum heroicarum sancte affirmavit; adversus catharismum et supernaturalismum haereticum iura verae humanitatis vindicavit, adversus rationalismum vitae mysticae et supernaturalis partes capessivit.

Ita sponsa Christi veram pariens vitam evangelicam est inventa adversus *orientales*, qui olim in omni genere vitae evangelicae florentes post schisma mira sterilitate laborant. *Protestantes* veteres vero doctrinis de natura humana per peccatum originale penitus corrupta, de servo arbitrio fundamenta vitae vere christianae commovebant, deinde subiectivismo et rationalismo suo latenti, negatione consiliorum evangelicorum et pretii virtutum heroicarum fontes perfectionis sanctitatisque obstruebant, et quum magisterium et imperium auctoritativum negarent, prolapsi sunt in relativismum ethicum, ex quo usque in hos dies laborant (cf. quae de matrimonio, de republica nunc docent).

2. Ecclesia *praedita est mediis sanctitatis. a) Sacramentis*, imprimis Eucharistia et sacrificio missae optime naturae humnae in spiritualibus consulit (cf. § 97. 100). *b)* Quam efficacissime iuvat omnes fideles *institutionibus et ordinationibus* etiam disciplinaribus, uti sunt: auditus missae diebus dominicis et festis, praecepta abstinentiae et ieiunii, confessio et communio annua, festa Ecclesiae, adoratio Eucharistiae, missiones internae, exercitia, devotiones populares, ordines religiosi. Istorum orientales vix aliquid, et protestantes nihil omnino exercent. *c) Sancti* ex omnibus temporibus, conditionibus, ingeniis exemplo evangelium illustrant; et ita modo omnibus accomodato normam vitae evangelicae exhibent. *d)* Ecclesia *auctoritate* et potestate divina docet ac dirigit, et sic ornata est ea potestate et certitudine et superioritate, sine quibus impossibile est homines ad sublimiorem vitae gradum elevare.

3. Ecclesia *sanctitatis normam ad effectum conspicuum perducit: a) Fideles* quovis tempore talem vitae et morum gradum praebent, ut ex aequa comparatione semper superiores ceteris appareant, utique omnibus conditionibus diligenter consideratis. Argumentum, quod ex fructibus evangelii construere licuit (§ 13, 3), in Ecclesiae veritatem militat. Religio evangelica enim non in abstracto, sed prout ab Ecclesia exercetur, fructus istos protulit. *b)* In Ecclesia nunquam deerant, qui vitam et *sanctitatem evangelicam eximio gradu* exercebant. Magno semper numero inveniuntur, qui consilia evangelica normam vitae sibi eligunt in ordinibus religiosis vel extra ordines (s. 19. solo 64 ordines virorum et plus 100 feminarum sunt orti). Tot sunt deinde qui vitam evangelicam gradu heroico exercent, ut peculiare forum *sanctorum canonisandorum* (factum penitus singulare in historia humani generis) sit institutum, quod solo saeculo elapso plus quingentos sanctos declaravit. Non potest non videri, sanctos istos Ecclesiae ex peculiari Dei providentia esse datos: praedicatio evangelii apud gentes, instauratio morum apud fideles, impugnatio haeresum, illustratio revelationis theologica, plerumque a sanctis originem sumunt vel ad culmen perducuntur. (cf. Schütz : Szentek

élete az egyházi év minden napjára 4 vol. 1931 s.). Sancti simul comprobant nunquam defuisse charismata in Ecclesia (§ 11, 4 ; 13, 3). *c) Conversionum* et numerus et imprimis modus diserte ostendit vigere in Ecclesia illam ubertatem, ex cuius fructibus facile dignoscitur arbor (cf. § 13, 3).

Protestantismus caret sanctis et charismatis, quae neque admittit ; imo quidquid ut mere natura adversus spiritum et adversus gratiam luctatur, socium et adiutorem eum invenit, uti v. c. cultus ille carnis et sanguinis, quo haec nostra aetas adeo faedatur. *Ecclesia orientalis* quoque, aliquando mater sanctitatis, ex tempore schismatis sterilis sedet : sacerdotes et religiosi vix populi curam gerunt, qui deinde proprio marte viam vitae religiosae intensioris quaerens in sectarianismum abit ; totaque vita ecclesiastica orientalium ritualismum sapit.

4. Ecclesia *sanctificat et fovet omnes nobiliores industrias et conatus cultus humanitatisque*, quae nostri «culturam» nominare malunt. Ex munere sibi a Christo d. demandato *directe quidem animarum saluti*, ergo veritatis vivificae atque caritatis cultui incumbit, ad perfectum ducens illud Domini : Quaerite primum regnum Dei et veritatem eius, et cetera adicientur vobis. At quum regnum Christi utut non *de* hoc mundo, tamen *in* hoc mundo et propter hunc mundum sit, *indirecte permultum utilitatis culturae temporali* quoque confert : *Negative*, arcendo omnia quibus nomine culturae salus animarum periclitatur (cf. Syllabum errorum Pii IX. ex a. 1864), efficaciter inculcans illud Christi : Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae autem suae detrimentum patiatur? *Positive* eo, quod primum sanā cultura eiusque operibus ad regnum Dei aedificandum utitur, quum v. g. theologiae ancillam facit philosophiam, artibus ad liturgiam exstruendam utitur et sic culturae altiora munera dignitatemque confert ; omnibus deinde artibus et industriis humanis novas aperit regiones, novas suppeditat ideas, novas praestituit fines, novas addit vires. Fatentibus etiam criticis Ecclesia fuit etiam in temporalibus magistra gentibus, quae nunc praesunt «culturae» humanae. Ita via facti comprobat gratia naturam non destrui sed perfici.

5. Ecclesia omni tempore et re et mente profitebatur dogma catholicum de *communione sanctorum*, eo praesertim quod sanctos pie coluerit.

2. Cultus sanctorum. — THES. 1. **Sancti caelites sunt venerabiles.** *De fide* ex Tridentino.

EXPLIC. *Sancti* sunt et angeli et homines visionem Dei beatificam iam adepti ; *cultus* eis debitus est duliae (cf. § 56, 2). *Adversantur* Aërius, Vigilantius saeculo 4. et novatores. E doctrina Tridentini (25) impie sentit, qui cultum sanctorum more catholico exercitum stultum esse dicat.

DEMONSTR. **Scr.** Angelos esse honorandos Scriptura passim commendat (§ 44, 3) ; idque ex doctrina Domini ideo, quia vident faciem Patris ; atqui eadem est ratio pro sanctis. *Patriarchae* iam in V. T. in magna veneratione erant Sir 44—50 ; *Christus* d. ipse Moysem, David, tres patriarchas, Ioannem Baptistam (Mt 8, 21 ; Lc 16, 22) magnis elogiis celebrat, cuius vestigiis apostoli inhaerent. **Tr.** Christiani iam saeculo 2. magno honore eos prosquebantur, qui pressius vestigiis Christi inhaeserant: prophetas, apostolos, martyres. *Martyrium Polycarpi* (17, 3) dicit : «Christum utpote Filium Dei adoramus, martyres vero tanquam Domini discipulos et imitatores merito diligimus propter eximiam illorum erga regem et magistrum benevolentiam». Iam Smyrnenses obitum Polycarpi quot-

annis celebrabant; idem factum esse erga omnes martyres testis est *Tert.* (Cor. mil. 3) et Cypr. (Ep. 39, 3). *Hieronymus* vero peculiari scripto veritatem hanc adversus Vigilantium defendit (cf. Aug. Faust. XX 21; Civ. XXII 10). **R.** *Humanum est* cultu venerari nobilitatem proximorum; ita iam in communitate civili; conveniens ergo est, ut maxima omnium nobilitas, sanctitas quoque a domesticis Dei et civibus sanctorum celebretur. Qui honor est vere religiosus; etenim ipse Deus in sanctis suis magnificatur, cuius electione et gratia illi sancti facti sunt. Stultum est itaque dicere cultu sanctorum gloriae Dei vel Christi derogari.

Cultus sanctis praestandus *in eo consistit* ut *a)* sanctitas eorum cum submissione agnoscatur et laudetur, seu ut festa eorum celebrentur; *b)* ut «imitari non pigeat quod celebrare delectat» (Aug.); *c)* ut fiducia eis praestetur, seu ut invocentur.

THES. 2. **Licita et utilis est invocatio sanctorum.** *De fide* ex Trid. 25.

DEMONSTR. **Scr.** Testis est V. T. *amicos Dei* saepe a Deo exauditos esse, dum adhuc vitam mortalem agerent; ita Abraham pro Sodoma Gen 18, Moyses pro populo Ex 32, Iob pro amicis; eo magis ergo Deo accepta est eorum intercessio, quum iam faciem Dei cernunt. Et revera: «*Hic est fratrum amator et populi Israel; hic est qui multum orat pro populo et universa sancta civitate, Ieremias, propheta Dei*» 2 Mach 15. In parabola de divite et Lazaro dives ad Abraham orat eumque invocat Lc 16. *Christus* post ascensionem stat ad dexteram Dei semper vivens ad interpellandum pro nobis Heb 7; ergo etiam membra eius. *Paulus* adhuc vivus intercessit pro naufragis Act 27; viginti quattuor seniores *Ap* 5 habent phialas aureas plenas odoramentorum, quae sunt orationes sanctorum.

Tr. Quam altis radicibus doctrina haec cordibus fidelium universaeque Ecclesiae fuerit infixa, testes sunt multae inscriptiones, quibus martyres immo etiam alii pii christiani defuncti invocantur, acta martyrum, litaniae; primus testis explicitus theoreticus est Origenes (Or. 11, 2; Exhort. mart. 30; in Num 26, 6). **R.** Sancti *possunt* cognitionem invocationis nostrae acquirere; hoc enim ad obiectum secundarium visionis beatificae pertinet (§ 117, 3). *Volunt* pro nobis intercedere; etenim ut fratres sancta dilectione nos prosequuntur. *Valet* eorum intercessio coram Deo; etenim sunt amici Dei. Neque hoc derogat intercessioni Christi; quaecunque enim petimus, cum sanctis per Christum a Deo obtinenda petimus (2II 83, 11 ad 4). — Ex quibus *sequitur:* Possunt sancti peculiares pro peculiaribus necessitatibus invocari; etenim corpus Christi membris diversis constat. Ergo *licitus et utilis est cultus patronorum.*

THES. 3. **Licitus et utilis est cultus reliquiarum.** *De fide. Adversantur* gnostici et manichaei omnem materiae dignitatem abnegantes, Vigilantius, iconoclastae, quos Nicaen. II. et novatores, quos *Trid.* 25 damnavit.

DEMONSTR. **Scr.** Litterae d. hunc cultum indicant, ubi suscitationem mortuorum *per ossa Elisaei* 4 Reg 13 et per *pallium Eliae* narrant 4 Reg 2. Similiter in N. T. mulier fluxu sanguinis laborans *tacto Domini vestimento* Mt 9, multi aegroti per transitum Petri et *sudaria Pauli* sanitatem receperunt Act 5. 19. **Tr.** Cultus reliquiarum initium sumpsit cum cultu martyrum. Iam *Smyrnenses* ossa Polycarpi «gemmis pretiosissimis exquisitiora et super aurum probatiora» habebant (Mart. Polyc. 18). *Fideles* in vicinio martyrum sepeliri delectabantur, ossa eorum tamquam providentiae divinae pignora in domibus et urbibus habere volebant; et iam saeculo 4. obiecta votiva

ibi deponebant. **R.** *In vita communi quoque* reliquiae eorum qui magis amantur, magni habentur (Aug. Civ. I 13). Sanctorum reliquiae eo magis sunt honore dignae, quia corpora eorum erant instrumenta magnarum virtutum, templum Spiritus Sancti, et sunt nunc quoque instrumenta miraculorum edendorum (III 26, 6). — Nota bene : *Cultus reliquiarum*, ad quas sensu latiore praeter ossa etiam utensilia sanctorum pertinent, est utique *relativus* idque dupliciter, ut concise *Hier.* (Ep. 109) statuit : «Honoramus autem reliquias martyrum, ut Eum cuius sunt martyres adoremus» ; et ideo si reliquiae quandoque non verae colerentur, non cederet in iniuriam religionis : in reliquiis enim sancti et per eos Deus honorantur (CIC 1283—6).

THES. 4. **Licitus et utilis est cultus imaginum sacrarum.** *De fide.* Adversus *iconoclastas* Nicaen. II. et Constant. III., adversus novatores *Trid. s.* 25 cultum imaginum defendit statuens «*imagines Christi, Deiparae Virginis et aliorum sanctorum in templis praesertim habendas et retinendas eisque debitum honorem et venerationem impertiendam*, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas et virtus . . . sed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa».

DEMONSTR. **Scr.** *Israelitis*, proni ut erant ad idololatriam, vetitum erat imaginibus Deum honorare (Ex 20, Num 26) ; tamen insinuatur aliquis eiusmodi cultus per cherubim sedentes super arcam foederis, per ipsam arcam, serpentem aeneum, cuius Christus Dominus quoque mentionem facit Jn 3. **Tr.** Initio propter pericula ex paganismo imminentia caute procedebatur. Tamen *saeculo 2.* iam catacumbae imaginibus ornabantur, saeculo 4. etiam templa. *Tert.* (Apol. 16) iam cultum imaginibus Christi exhibitum indicat. *Magni Patres* cum fervore de sacris imaginibus loquuntur (eorum valorem didacticum potissimum praedicantes). Saeculo 5. vero proscynesis, oscula, candelae percebrescebant ; ita ut *Nicaen. II.* iure traditionis suffragium appellare potuerit. — *In occidente* post vetitum synodi Eliberitanae c. 36 (ob causas paedagogicas, non dogmaticas editum) aliquantum remissior erat cultus ; libri Carolini et *synodus Francofordensis* a. 794. falsa interpretatione latina actorum concilii Nicaeni II. nixi cultum ibi definitum proscripserunt ; at a Hadriano I. melius edocti eum admiserunt. Eodem tempore cultum imaginum facunde propugnabant Nicephorus Byzantinus, Theodorus Studita, Ioannes Damascenus.

R. *Naturae humanae, utpote compositae* e corpore et anima maxime convenit, ut quae ei colenda praecipiuntur, sensibus quoque apte exhibeantur ; prout Scriptura quoque symbolis et anthropomorphismis de Deo rebusque supramundanis persaepe loquitur. Quod si fiat, conveniens est, ut tales imagines peculiari cultu honorentur non propter seipsas sed propter prototypa quae iisdem repraesentantur.

QUAEST. *Quo accuratius modo imagines sacrae sunt obiecta cultus religiosi?* — De hac quaestione *tres* sunt praecipue theologorum sententiae : *a) Durandus* opinabatur imagines esse occasionem, ut eum veneremur qui imagine describitur. *b)* Ex sententia *s. Thomae* (III 25, 3) cui adstipulantur Bonaventura et Vasquez, prototypus et imago tamquam obiectum totale unum, eodem genere cultus (vel latriae vel duliae) coluntur ; at prototypus absolute, imago relative, ita ut cultus extrinsecus imagini exhibitus ad prototypum sit referendus. *c)* Ex opinione *Bellarmini* et Ambr. Catharini imagines in se quoque venerandae sunt peculiari quodam cultu

duliae relativo, interno quidem, sed inferiore quam prototypa. Sententia Durandi utpote sensui catholico prorsus adversa communiter reicitur; hodie Bellarmini sententia communior tenetur; et recte quidem, si cum doctrina Thomae coniungatur. — Nota bene: *Cultus sanctorum sive absolutus sive relativus per se non obligat;* solus contemptus et negatio thesium praecedentium est contra legem Dei. Obligat tamen per accidens (v. g. sacerdotem, qui in honorem sanctorum missam celebrat), deinde obligat ratione amoris proprii ordinati. Etenim cultus sanctorum et absolutus et relativus media salutis tam efficacia procurat, ut istis neglectis via salutis multo iam difficilior reddatur.

3. Corpus mysticum Christi. — Est quasi breviarium totius doctrinae de Ecclesia: *Ecclesia est corpus mysticum Christi.* Id quod *s. Paulus* formaliter docet et exponit Eph, Col 1. 2, 1 Cor 12-4, Rom 12, docens Christum esse caput Ecclesiae, Ecclesiam vero esse corpus Christi, non tantum analogice, sicut princeps est caput regni, sed modo reali omnino etsi mystico; prout ipse Christus, qui saepe se caput etiam sensu isto analogo dixerat, docet: «*Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum*» Jn 15. Dicit enim Paulus: *Deus Christum «dedit caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus eius et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur*» Eph 1; et «*Sicut corpus unum est et membra habet multa, omnia autem membra corporis quum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita et Christus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive iudaei, sive gentiles, sive servi, sive liberi; et omnes in uno Spiritu potati sumus*». 1 Cor 12. Quibus verbis Ecclesia simpliciter iam aequatur Christo, ita ut *communicatio quaedam idiomatum* oriatur, prout Christus d. Saulum qui persequebatur ecclesiam apostolicam, ad Damascum alloquitur: «Saule, Saule, quid *me* persequeris?» Act 9. Ex quo efficitur fideles quoque intime inter se uniri: «*Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra*» Rom 12; «*Veritatem autem facientes in caritate crescamus in illo per omnia, qui caput est Christus; ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate*» Eph 4. Huius doctrinae sensus patet, si Christi mystici et organismus et functiones considerantur.

1. *Organismus.* — Ad analogiam Christi hominis Christus mysticus componitur ex corpore et anima, quae conveniunt in capite.

Caput est ipse Christus homo (§ 59, 2) qui non modo moraliter dirigit et gubernat Ecclesiam, sicuti princeps regnum, sed vi vitali, organice in totum influit et agit, ut paterfamilias in suos, quibus etiam sanguinis vinculis coniungitur, immo sicut vitis in palmites. — Vim istam Christus caput in Ecclesiam eo praesertim exserit, quod Spiritum suum dedit *animam* Ecclesiae, non sensu proprio, quasi sit forma intrinsece inhaerens et informans (quod adversatur aseitati divinae; cf. § 74, 1); sicut neque Verbum divinum ut tale est caput Ecclesiae. Sed sicut Verbum sanctitate substantiali ungit et consecrat Christum hominem (§ 58, 2) in caput Ecclesiae, sic Spiritus s. ut fons absolutus personalis sanctitatis infundit in Ecclesiam fidem, gratiam, infallibilitatem, characterem sacerdotalem, sanctitatem subiectivam, seu omnia quibus anima Ecclesiae formaliter constituitur.

Corpus sunt membra Ecclesiae. Ecclesiae corpus principaliter constituitur membris plenis, qui charactere baptismatis et confirmationis (§ 86, 3) morphologice seu ontologice inseruntur in Christum mysticum, biologice per gratiam sanctificantem, psychologice per fidem et caritatem, et ita apti sunt qui in omnibus assimilenter vitae ipsius Christi : «Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus». Non omnium membrorum eadem sunt munera, sed sicut dicit Paulus, secundum operationem in mensuram uniuscuisque membri. Hierarchae Christi vicem gerunt in magisterio, ministerio, imperio ; at quum omnis eorum potestas a Christo veniat, penitus ex Christo pendent. Christus caput adaequate repraesentatur capite Pontifice, qui omnem Ecclesiam quasi recapitulat (§ 81, 3).

2. *Functiones.* — Functiones Christi mystici sunt partim formales, quibus sc. essentia eius immediate manifestatur, partim conservativae.

Formalium summa est haec : Omnes actus vitales Christi mystici circa idem versantur, quod est finis ordinis supernaturalis : communio vitae trinitariae divinae, servata indole Ecclesiae sociali. Bona, quibus communio ista absolvitur, a Christo capite profluunt : «Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis . . . Et de plenitudine eius nos omnes accepimus . . . gratia et veritas per Iesum Christum facta est» Jn 1. Quae communio ad verum perducitur in Ecclesia per mutuam operationem ecclesiae docentis et discentis, gubernantis et gubernatae. Omnis ergo Ecclesiae ut Christi mystici functio est actio sacerdotalis, intenta ad sanctificandas animas in veritate. Inde intellegitur, cur ecclesia gubernans per characterem sacerdotalem in Christum mysticum inseratur, et cur omnis vita Ecclesiae in ss. Eucharista quasi in corde suo palpitet : Verbum ab aeterno in sinu Patris natum et in sinu Matris caro factum, in sinu Ecclesiae sacrificio eucharistico quasi de novo incarnatur, ut sit symbolum, fons, pignus unitatis Christi mystici : «Unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus» 1 Cor 10 ; necnon ut sit sacrificium dignum, quo Ecclesia in Christo et per Christum se ss. Trinitati in sanctam communionem offert.

Functiones *conservativae* non in eo consistunt, quod Ecclesia sicut alii organismi vivi, in individuo moriatur et in novis individuis eiusdem speciei reviviscat. Est enim aeternitatis filia, cum Christo capite in aeternum vivens. At in hoc saeculo adinstar Christi infans nascitur, in occulto adulescit, in laboribus et militia et cruce crescit usque ad plenitudinem aetatis Christi; et expectat triumphum, dum Agni nuptiae venerint et uxor eius se praeparaverit Ap 19. Nullum est ergo discrimen inter Ecclesiam idealem et realem seu historicam, ut quidam volunt ; sicut unus est Christus historicus, ita una est Ecclesia historica, alterego Christi, quasi alter Christus continuus per historiae cursum : Christus mysticus. Est et ipsa mysterium magnum pietate amplectenda, in humiliationibus et tentationibus suis quoque fideliter diligenda, sicut et Christus dilexit Ecclesiam et semetipsum tradidit pro ea Eph 5.

TRACTATUS SEPTIMUS DE SACRAMENTIS.

Disseritur de sacramentis in genere et de singulis septem sacramentis.

Caput 1. De sacramentis in genere.

Quaeritur 1. de essentia et existentia, 2. de efficacia, 3. auctore, 4. personis sacramentorum.

Tractatus de sacramentis. M. *Canus:* Relectio de sacramentis in genere; *Lugo:* De sacramentis in genere; *Salmant:* XVII; *Ioannes a s. Thoma* IX. — J. B. *Franzelin:* De sacr. in genere [5]1910; P. *Pourrat:* La théologie sacrementaire [4]1910; P. *Schanz:* Die Lehre von den h. Sakramenten der kath. Kirche 1893; L. *Billot:* De Ecclesiae sacramentis [6]I 1924 [7]II 1930; J. H. *Oswald:* Die dogmatische Lehre von den h. Sakramenten 2 vol. [5]1894; A. D. *Sertillanges:* Les sept sacrements de l'Église 1912; J. B. *Umberg:* Systema sacramentarium 1930. — A. de *Smet:* Tractatus dogmatico-moralis de sacramentis [2]1925; N. *Gihr:* Die h. Sakramente der kath. Kirche 2 vol. [3]1918; A. *Villien:* Les sacrements. Histoire et liturgie 1931; F. *Probst:* Sakramente und Sakramentalien in den ersten drei Jahrhunderten 1871; *Maltzew:* Die Sakramente der orthodox-katholischen Kirche des Morgenlandes 1898.

§ 85. Essentia et existentia sacramentorum.

Statuitur 1. essentia, imprimis signum, 2. existentia septem Novae Legis sacramentorum.

1. Essentia. — *Sacramentum Novae Legis* definitur: *Signum efficax gratiae a Christo institutum.*

Sacramenta sunt in genere signorum. *Signum* est res cognitioni propior remotiorem ex coniunctione quadam manifestans. Est plerumque (licet non semper) *res sensibilis;* sacramenta sunt signa sensibilia. — *a)* Ratione coniunctionis inter signum et signatum signa alia sunt *naturalia,* si coniunctio utriusque a Deo auctore naturae est condita, uti diluculum signum est solis surgentis, et vocantur *symbola,* si analogiam quandam proportionis seu similitudinem cum signato habent; alia sunt *arbitraria,* si vel arbitrio Dei vel conventione hominum sunt constituta, uti litterae sunt signa sermonis. Sacramenta ita sunt signa arbitraria, ut etiam signorum naturalium indolis participia sint; sunt symbola, eaque ritualia, seu ad cultum Dei spectantia. — *b)* Ratione efficacitatis signa distinguuntur *theoretica et practica,* prout vel significant tantum vel etiam efficiunt id quod significant. Sacramenta sunt signa practica bonorum supernaturalium. — *c)* Denique respectu significati signa sunt *commemorativa, demonstrativa, prognostica.* Sacramenta sunt signa commemorativa passionis Christi, demonstrativa gratiae, prognostica futurae gloriae. Id de Eucharistia ipse Christus d. indicat: Eucharistiam in eius commemorationem consecramus (mortem Domini annuntiamus, donec veniat 1 Cor 11), per

eam vitae supernaturalis participes efficimur, et resurgemus ad vitam aeternam. Idem de baptismo docet Apostolus Rom 6, 3 (III 60, 3).

THES. 1. **Signum sacramentorum rebus et verbis constat.** *Certum.* Ponitur in omnibus ferme decretis Ecclesiae de sacramentis tractantibus.

DEMONSTR. **Scr.** Litterae divinae de sacramentis principalibus utrumque enuntiant. Baptismus est «*lavacrum regenerationis in verbo vitae*» Eph 5; quoad Eucharistiam narrantibus evangelistis Christus in coena ultima sumpsit panem et vinum et dixit: hoc est corpus meum, hic est sanguis meus; apostoli in Samaria confirmationem conferentes baptizatis imponebant manus et orabant Act 8; item a presbyteris infirmi ungendi et simul oratione firmandi erant Iac 5. **Tr.** «Tolle aquam, non est baptismus; tolle verbum, non est baptismus»; «*accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum*» (August. in Jn 15, 4; 80, 3). De singulis deinde sacramentis quae sit doctrina Patrum, postea erit exponendum.

R. Sacramenta ut quaedam signa ad hominem sanctificandum adhibentur. Sic autem tripliciter considerari possunt: Primo *a causa sanctificanti*, quae est Verbum incarnatum, cui sacramentum quodammodo conformatur in hoc quod rei sensibili verbum adhibetur, sicut in mysterio incarnationis carni sensibili est Verbum Dei unitum. Secundo possunt considerari *ab homine* sanctificando, qui componitur ex anima et corpore, cui proportionatur sacramentalis medicina, quae per rem visibilem corpus tangit et per verbum ab anima creditur. Tertio possunt considerari *ex parte ipsius significationis sacramentalis*, ad cuius perfectionem necesse fuit, ut per aliqua verba determinaretur (III 60, 6).

THES. 2. **Res et verba in sacramentis ita se habent ad invicem ut materia et forma.** *Certum.*

DEMONSTR. *a)* Postquam scholastici (primus probabiliter Stephanus Langton † 1228) praeeunte s. Augustino iam diu ita docerent, *Decretum pro Armenis* (Eugenii IV ex a. 1439) statuit: «Omnia sacramenta tribus perficiuntur: videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum». Similiter Trid. (14, cp 2). *b)* E *doctrina Aristotelis* omne ens naturale e materia, elemento potentiali ac indeterminato et forma substantiali, elemento actuanti atque specificanti constat. Ita etiam in sacramentis materia in se indeterminata atque potentialiter plura significans per formam ad unum specificatur atque in suo ordine perficitur. Hae autem notiones materiae et formae analogice tantum ad sacramenta sunt transferendae; etenim *unum* non physicum, sed morale constituunt.

Quod singillatim attinet ad *materiam:* illud quandoque est elementum (aqua, vinum, oleum) quandoque vero actibus consistit («quasi-materia», uti contritio); et distinguitur remota seu ipsum elementum vel actus, et proxima, i. e. materiae remotae applicatio.

Forma vero ratione efficaciae est vel concionatoria, si mere quid fiat enuntiat, vel etiam *consecratoria*, si id quod fit, simul efficit. Formam sacramentorum Novae Legis esse consecratoriam, probabitur, ubi de efficacia sacramentorum agetur (§ 86). Ratione formae grammaticalis

est *vel deprecativa, vel indicativa.* Formae sacramentorum antiquitus (et in ecclesia graeca usque hodie) erant deprecativae; in ecclesia latina cca a. 1250 formae indicativae plerumque invaluerunt.

Materia est *essentialis,* si quantumvis mutata ex communi aestimatione tamen illius materiae (vini vel olei etc.) nomine adhuc vocari possit ; et forma, si quamvis mutata adhuc mentem Christi vel Ecclesiae exprimat. Utraque est *integra,* si omnia ab Ecclesia praescripta serventur (III 60, 8).

ADDIT. 1. *In definitione* sacramenti «signum» est genus proximum ; «efficax gratiae» est differentia specifica, ita ut gratia sanctificans potissimum intellegatur, licet gratia quae sacramentalis dicitur, necessitudinem cum gratia actuali habeat, et character quem tria sacramenta imprimunt, genere propinquus sit charismatis. «Institutio Christi» est proprium sacramentis n. Legis. — Quae si diligentius considerantur, facile intelleguntur scholastici, e quorum doctrina in sacramentis distinguantur oportet *sacramentum tantum* (signum), *res tantum* (gratia sanctificans et sacramentalis), denique *res et sacramentum* (character vel simile quid ; cf. quae de singulis sacramentis dicentur). Item : aliquid significans et non significatum, aliquid significatum et non significans, denique aliquid et significatum et significans.

2. *Verbum sacramenti* non semper eandem quam definivimus significationem habuit. Consuetudine sermonis *romana* quandoque pecuniam a litigantibus apud pontificem deponendam et a causam perdente in usus sacros convertendam, interdum iuramentum fidelitatis a militibus praestandum, nonnunquam vero aliam rem sacram significavit. *In V. T.* sacramentum idem audit atque mysterium ; est res sacra et arcana, vel eius signum, *in N. T.* insuper edicit instituta sacra et arcana quae Christus ad salutem hominum ordinavit. Eadem significatione *a Patribus* adhibebatur : Apud Tertullianum sacramenta sunt fides et instituta christiana ; apud graecos ea imprimis quae ex disciplina arcani celanda erant infideles, praesertim baptismus et Eucharistia; cf. Cyrilli Hier. Catecheses mystagogicas, ad quarum similitudinem scripsit *Ambrosius* De mysteriis ; eidemque probabiliter a peritis vindicatur opus De sacramentis. Hi ergo nomen sacramenti saepe iam ad signa efficacia gratiae restringunt. S. *Augustinus,* qui plurimum ad doctrinam sacramentorum excolendam contulit, plerumque sacramenta habet visibilia signa rerum invisibilium, gratiae potissimum. Est eius insigne illud : «In nullum nomen religionis seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliqua signaculorum vel sacramentorum consortio colligentur, quorum sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, et ideo contempta sacrilegos facit» (Faust. XIX 11). At quum ille tum sequentes multa adhuc sacramentorum nomine generico complectebantur, quae sunt sacramentalia. *Post Hugonem Victorinum* demum auctor ignotus Sententiarum et *Lombardus* talem dederunt definitionem, quae solis septem signis n. Legis convenit.

2. Existentia. — THES. **Septem sunt n. Legis sacramenta,** *De fide.*

Adversantur *waldenses et albigenses* qui omnia, Wicleff et Hus qui quaedam reiciebant. *Novatorum* principio materiali de sola fide sacramenta sunt contraria ; non est ergo mirum quod omnes reiciunt quaedam ex septem, sed non omnes eadem fatentur ; Calvinus et Zwingli baptismum et Eucharistiam, Luther in primo etiam paenitentiam admisit. Ex *modernistarum* opinione sacramenta ortum habuerunt ex eo quod apostoli eorumque successores ideam aliquam intentionemque Christi eventibus suadentibus ac moventibus interpretari et liturgice exprimere pergebant, ita ut initio fuerint duo, modo sint septem sacramenta, quorum numerus

in posterum augendus est. Tridentinum definivit (7 c. 1) : «*Si qu. d. sacramenta n. Legis non fuisse omnia a Iesu C. d. n. instituta, aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet baptismum, confirmationem, Eucharistiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum, a. s.*».

Poenitentiam

DEMONSTR. **Scr.** et **Tr.** Thesis *synthetice non potest probari ;* seu formaliter, sive explicite, sive implicite, neque e Litteris Sacris erui potest, si obscurae quaedam indicationes praetermittantur, uti de septem donis multiformis gratiae, de septem stellis et candelabris novae Ierusalem, vel : «sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem» Prov 9 ; neque a Patribus traditur.

Quod de Patribus diximus, has habet *rationes: a)* Patres utpote hac in materia haeresibus non inquietati, vitae christianae fovendae causa de re sacramentaria scripserunt. Atqui in prisca vita christiana sacramenta initiantia (baptismus cum confirmatione et Eucharistia) in primo loco erant collocata ; medicinalia vero magis seponebantur. *b) Disciplina arcani* quoque suas partes, etsi non adeo graves ut polemistae s. 17. volebant, in sacramentis celandis habebat (Funk). *c)* Quia nondum satis expolita erat notio sacramenti, veteres res diversissimas ad speciem tamen similes in eundem numerum referebant, uti baptismum cum catechumenatu, extremam unctionem cum sepultura, ordinationem cum consecratione abbatum, et ideo modo plus, modo minus quam septem sacramenta numerant. Simulatque genuinus sacramenti conceptus expolitus est cca a. 1150, septenarius numerus quoque quasi ex condicto invaluit apud auctorem ignotum Sententiarum divinitatis, in opere de sacramentis Simonis magistri, apud Lomb. etc. — Thesis nihilominus solide *probatur:*

1) *Inductive* in tractatione sacramentorum singulorum comprobabitur non esse nisi septem ritus a Christo d. institutos efficaces gratiae.

Si lotio pedum Jn 13 primo aspectu proprietates sacramenti praebere videtur, *a)* ex contextu minus est probabile hoc ritu a Domino gratiam esse collatam ; *b)* neque ullum est indicium voluisse Christum ibi sacramentum seu ritum manentem in Ecclesia instituere. Augustinus (Epist. 55, 33) et liber De sacramentis (III 1, 4 ss.) testantur in multis ecclesiis, etiam romana, lotionem pedum non fuisse receptam, in aliis pro ritu levioris momenti esse habitam. Si ergo quidam (Ambr., Bernard.) vim sanctificantem ei tribuunt, videntur non de sacramento sed de sacramentali loqui.

2) *Dogmatice:* Ecclesia iam quattuor ferme saeculis ante protestantes numerum septenarium sacramentorum ut doctrinam fundamentalem profitebatur ; atque in rebus fidei Ecclesia non potest deficere.

3) *Argumento praescriptionis:* Quum protestantes sacramenta impugnare inciperent, Ecclesia iam diu in possessione septem sacramentorum erat, neque ostendi potest, quonam tempore, a quo concilio vel Pontifice ullum eorum in Ecclesiam invectum sit; imo ecclesiae etiam orientales iam pridem avulsae a matre romana in numero septenario sacramentorum profitendo consentiunt. Pro coptis, armenis et syris Denzinger Ritus orientalium, pro nestorianis et monophysitis Assemani Bibliotheca orientalis id docte probant. Graeci a tempore schismatis de hac re nunquam occidentalibus exprobrabant, neque in conciliis unionis aliquam unquam difficultatem movebant ; imo Ieremias patriarcha

Hierosol. adversus professores Tubingenses (a. 1576), synodus Constant. adversus Cyrillum Lucarim ad calvinismum apostatam, item nuper (a. 1874) graeci adversus veteri-catholicos strenue fidem septem sacramentorum profitebantur. Iam vero «quod apud multos unum invenitur» (Tert.), «nec conciliis institutum, nonnisi auctoritate apostolica traditum» est (Aug. Bapt. IV 14).

R. 1) *Conveniens est, ut sint* sacramenta : *a) Naturae humanae proprium* est, ut per corporalia et sensibilia in spiritualia et intellegibilia deducatur ; pertinet autem ad divinam providentiam, ut unicuique rei provideat secundum modum suae conditionis ; et ideo convenienter divina sapientia homini auxilia salutis confert sub quibusdam corporalibus et sensibilibus signis. *b)* Homo *peccando* per affectum corporalibus rebus se subdit. Ibi autem debet remedium homini adhiberi, ubi patitur morbum ; et ideo conveniens fuit, ut Deus per quaedam corporalia signa hominibus medicinam spiritualem adhibeat. *c) Studium actionis humanae* praecipue circa corporalia versatur. Ne ergo esset homini durum, si totaliter ab actibus corporalibus abstrahatur, proposita sunt ei corporalia exercitia in sacramentis, quibus salubriter exerceatur ad evitanda superstitiosa exercitia (III 61, 1).

2) *Conveniens fuit, ut septem sint* n. Legis sacramenta. Etenim *vita spiritualis conformitatem aliquam habet cum vita corporali*, in qua dupliciter aliquid perficitur, uno modo quantum ad personam propriam, alio modo ad totam communitatem societatis. Iam nunc quinque prima sacramenta ad spiritualem uniuscuiusque hominis perfectionem, duo ultima ad totius Ecclesiae regimen multiplicationemque ordinata sunt. Per baptismum enim spiritualiter renascimur ; per confirmationem augemur in gratia et roboramur in fide ; renati autem et roborati nutrimur divina Eucharistiae alimonia. Quodsi per peccatum aegritudinem incurrimus animae, per paenitentiam spiritualiter sanamur ; spiritualiter etiam et corporaliter prout animae expedit, per extremam unctionem ; per ordinem vero Ecclesia gubernatur et multiplicatur spiritualiter, per matrimonium corporaliter augetur (III 65, 1 ; Decret. pro Arm.).

§ 86. Efficacia sacramentorum.

Statuuntur 1. efficacitas obiectiva, 2. modus efficiendi, 3. effectus.

1. Efficacitas. — THES. **Sacramenta n. Legis continent gratiam quam significant eamque non ponentibus obicem ex opere operato conferunt.** *De fide.* — Adversantur novatores, e quibus *Zwingli* statuit sacramenta esse mera signa distinctiva fidelium et symbola sanctificationis ; e mente *Calvini* sunt pignora gratiae, ex opinione Lutheri sunt excitamenta fidei ; ex sententia *modernistarum* vero eo spectant, ut praesentiam Creatoris semper benefici in mentem revocent. Trid. 7 cc. 6-8 eos anathematizat qui dixerint, «*sacramenta n. Legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre; non dari gratiam per huiusmodi sacramenta semper et omnibus quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant; per ipsa n. Legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam*».

EXPLIC. *Opus operatum* (phrasis primum probabiliter a Petro Pictaviensi † 1205 adhibita, ubi «operatum» est participium passivum, et non, ut volebat Moehler, activum, quasi opus quod Christus operabatur,

sit intellegendum) est signum sacramentale cum debita intentione rite positum, et opponitur operi operantis, seu actibus suscipientis. Thesis statuit in opere operato contineri gratiam, utique non sicut in vase (Hugo Vict. cf. III 62, 3 ad 1), sed ut instrumento quo in suscipientem transmittatur. Actus quidam praeparatorii in adultis suscipientibus requiruntur quidem, ut gratia in actu primo communicata in actum secundum deducatur, at non tamquam causa meritoria vel dispositiva, sed ut mera conditio ; e doctrina concilii eam solum habent rationem et finem, ut removeant *obicem* seu obstaculum gratiae (nomen obicis : Aug. Ep. 98).

DEMONSTR. **Scr.** *a)* Litterae s. ubi de efficacitate sacramentorum loquuntur, praepositionibus causalibus (ab, per, ex ; in c. acc.) vel ablativo instrumentali utuntur : «*Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto*» Jn 3 ; «*Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*» Tit 3 ; «*Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*» Act 2 ; in confirmatione vidit Simon magus, «*quia per impositionem manuum apostolorum daretur Spiritus s.*» Act 8 ; quoad ordinationem dicit Paulus : «*Resuscites gratiam quae est in te per impositionem manuum mearum*» 2 Tim 1. Eucharistia est cibus in vitam aeternam Jn 6. *b)* Institutiones V. T. sunt «*infirma et egena elementa*» Gal 4 ; ergo institutiones N. L., quarum nobiliora sunt sacramenta, iam non sunt vacuae et infirmae.

Tr. *a) Paedobaptismi* praxi probatur Patribus persuasum fuisse sacramenta propria vi, non ex actibus suscipientis effectum producere. *b)* Id explicite testantur, ubi elementa sacramentorum a Spiritu s. vim sanctificatricem imbibisse dicunt, et ea matrici e qua anima renascitur, comparant. *Tert.* dicit : «Caro salutis cardo. . . Caro abluitur, ut anima emaculetur ; caro ungitur, ut anima consacretur ; caro signatur, ut et anima muniatur ; caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur ; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur» (Carn. resur. 8). Si *Augustinus* fortissimus assertor efficacitatis obiectivae sacramentorum adversus donatistas dicat : «Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo ; non quia dicitur, sed quia creditur?» (in Jn 80), nihil nisi quod et Christus d. alibi affirmaverat, vult dicere : «Caro non valet quidquam, spiritus est qui vivificat» Jn 6; ut patet vel ex immediate sequentibus : «Nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens».

R. Conveniens erat, ut potestas deivirilis humanitatis Christi ut instrumenti coniuncti etiam in sacramentis, instrumentis separatis manifestaretur ; quod autem non fieret, si sacramenta essent mera symbola vel fidei excitamenta. — Perperam etiam doctrina catholica a protestantibus lacessitur, *quasi modum sanctificationis magicum* et mechanicum inducat. Etenim *a)* e mente dogmatis catholici sacramenta non sunt instrumenta magica vi quadam occulta cogentia Deum, ut effectus miros praestet, sed instrumenta voluntatis divinae ab ipso Deo sanctissime ordinata ; *b)* quum sacramenta ex propria vi actu primo tantum conferant gratiam, quae nisi obice remoto in actum secundum non deducitur, Ecclesia et doctrina et praxi quam efficacissime singulos adultos ut digne se disponant, movet.

COROLL. 1. *Sacramenta etiam infantibus et amentibus ceterum capacibus conferri possunt.*

2. *Forma sacramenti* utpote pars eaque potior operis operati, est

causa (utique instrumentalis) partialis eaque principalior gratiae ; et ideo verba sacramentorum non sunt mere concionatoria, sed sunt *consecratoria*.

3. In se possibile est, ut sacramentum valide collatum, quod propter obicem suscipientis gratiam non produxerat et proinde erat informe, remoto obice reviviscat, sicuti semen quod in terram aridam ceciderat, humectatum virescere incipit. *Reviviscentia* certa est pro baptismo, communiter tenetur quoad confirmationem et ordinem ; communius et probabilius statuitur de matrimonio et unctione extrema ; non est probabilis quoad Eucharistiam ; paenitentia non reviviscit.

2. De modo quo sacramenta gratiam quam continent communicent, *quattuor* sunt theologorum praecipuae sententiae :

1. *Theoria efficientiae physicae*, cuius auctor est s. Thomas (III 62), expolitor Caietanus, assectatores thomistae, Bellarminus, Suarez, est haec : Sacramenta sunt instrumenta (separata), quibus Deus causa principalis gratiae quandam virtutem (sive qualitatem transeuntem, sive rectius motum specialem) communicat supernaturalem, qua gratiam immediate in animam transferant, sicut lingua ab anima ad loquendum, vel potius sicut humanitas Christi a Verbo ad actiones deiviriles movetur.

Argumenta: a) Scriptura, Patres, Tridentinum docent sacramenta continere, causare gratiam ; quod sensu obvio non potest nisi de efficientia physica accipi ; *b)* sacramenta sunt instrumenta gratiae ; atqui instrumentum non operatur nisi motum ab agente principali, qui habet esse completum et permanens in natura ; virtus autem instrumentalis habet esse incompletum et transiens ex uno in aliud.

Diff. 1) *Productio gratiae* est actio creatrix, quae nullum patitur instrumentum ; insuper gratia quae est spirituale ac supernaturale quid, est toto genere aliud a signo sacramentali, quod est materiale quid, et ergo ineptum ad effectus supernaturales spirituales transferendos. — *Solutio* thomistarum : *a)* procreatio gratiae utpote accidentis non est creatio simpliciter, sed eductio e potentia obedientiali animae. *b)* Virtus spiritualis non potest quidem esse in re corporea per modum virtutis permanentis ; nihil tamen prohibet, quin sit ibi instrumentaliter, inquantum corpus potest moveri a substantia spirituali ad effectum spiritualem inducendum ; sicut et in voce humana est quaedam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis (III 62, 1).

2) *Gratia in instanti infunditur;* at signum sacramentale haud raro per intercapedines, immo tempore vel spatio interiecto (quandoque in paenitentia, in matrimonio per procuratorem) ponitur. — Sacramenta significando causant (Verit. 24, 4 ad 13) ; ergo tunc demum progignunt effectum, ubi signum integrum iam positum est.

3) *Ubi sacramentum reviviscit*, iam nulla adest causalitas physica ; deficit etenim signum sacramentale. — Ex hac efficientia extraordinaria alioqui satis obscura non licet arguere contra ordinarium modum operandi sacramentorum. Ceterum ea tantum sacramenta certo reviviscunt, quibus character imprimitur, qui potest esse fundamentum reviviscentiae instrumentaliter physicae.

2. *Theoria efficientiae moralis.* Lugo, cui plerique *molinistae* assentiunt, sacramenta causas morales gratiae habet. Causa moralis eo differt a mera conditione, quod competat ei aliqua virtus, dignitas, excellentia, quae non physice influat et cooperetur ad effectum proferendum, est tamen causae physicae ratio, propter quam progignat effectum (Franzelin).

Sacramenta ergo «tamquam chirographum continens meritum Christi» (Canus) movent Deum, ut ipse gratiam conferat.

Argumenta: a) Causalitas moralis est vera causalitas, quae ergo satisfacit locutionibus Scripturae, Patrum, conciliorum veram causalitatem asserentibus. *b)* Theoria physica thomistarum difficultatibus gravissimis, forsitan insolubilibus premitur, quas causalitas moralis vitat.

3. *Theoria efficientiae intentionalis.* Scholastici haud pauci ante s. Thomam ea innixi ratione, quod gratia a creatura procreari non possit, asserebant sacramentis immediate proferri in anima *ornatum* quendam, qui non est iam signum, at nondum gratia, sed est res simul et sacramentum disponens animam (physice) ad gratiam immediate a Deo accipiendam. Quam deinde sententiam *Billot* nuper hunc in modum retractavit : Sacramentum formaliter et immediate, ut signum efficax procreat titulum eumque moralem appellantem gratiam, quae deinde non ponentibus obicem immediate ab ipso Deo confertur. Causalitas sacramenti est ergo instrumentaliter dispositiva idque ordinis intentionalis : sacramenta ut signa a Christo instituta operatione propria edicunt aperiuntque decretum divinum sanctificandi hunc hominem, et simul operatione instrumentali decretum istud huic homini applicant, ordinando eum efficaciter ad gratiam obtinendam ; sicut litterae quibus Pontifex episcopum instituit, edicunt dari huic homini iurisdictionem, simulque ut instrumentum consilii Pontificis eam conferunt. — *Argumenta a)* E doctrina Tridentini sacramenta conferunt id quod significant ; at propter obicem saepe non conferunt gratiam ; ergo conferunt aliquid, quod gratiam praecedit ; *b)* reviviscentia hac theoria facile et concise explicatur ; *c)* difficultates aliarum theoriarum vitantur.

4. *Theoria causalitatis conditionalis.* Scotus et plerique *scotistae* ad mentem quorundam veterum scholasticorum docebant sacramenta propria virtute nihil efficere ; Deus tamen ex aeterno voluntatis suae consilio immediate et per se confert gratiam, quotiens signum sacramentale ponitur ; quod ergo est conditio (utique sine qua non), et non instrumentum gratiae. Quum autem ex doctrina Tridentina sacramenta gratiam contineant conferantque, quocum sententia scotista vix ac ne vix quidem componi potest, ideo licet nunquam censurā afflicta, sensim emoriebatur.

DIACRISIS. Licet efficientia sacramentorum sit altum mysterium, sicut ipsa gratiae operatio, tamen *probabilior est sententia s. Thomae: a)* E doctrina Scripturae et Patrum et conciliorum sacramentis in re sanctificationis vis instrumentalis est tribuenda. Atqui vera efficientia instrumentalis nisi physica esse non potest ; *b)* ex opinione causalitatis moralis (ad quam ultimo etiam theoria Billot reducitur) sacramenta videntur esse instrumenta non adeo Dei ad hominem sanctificandum, sed hominis ad Deum movendum ; quod minus convenit maiestati Dei absolutae.

3. Effectus. — THES. 1. **Omnibus sacramentis gratia sanctificans eiusque comitatus confertur.** *De fide* ex iis, quae thesi praecedenti sunt statuta. Ibi etiam *demonstratum est* sacramenta ex opere operato semper conferre gratiam non ponentibus obicem ; at gratia usu loquendi Litterarum s. et Patrum et conciliorum est gratia sanctificans. Singillatim probabitur, ubi de effectibus singulorum sacramentorum dicetur.

Nota bene: «Per sacramenta omnis iustitia incipit vel incepta augetur vel perdita restituitur» (Trid. 7 prooem.). Sacramenta quae ad primam gratiam conferendam sunt instituta, baptismus videlicet et paenitentia, *sacramenta mortuorum* vocantur ; cetera, quae ex primaria institutione ad

gratiam secundam conferendam sunt condita, vocantur sacramenta *vivorum*. Certum est sacramenta mortuorum saepissime conferre gratiam secundam, quum sc. a iustificatis suscipiuntur. Communius et probabilissime deinde docetur *sacramenta vivorum quandoque per accidens conferre gratiam primam*. Etenim ex definitione Tridentini sacramenta semper conferunt gratiam non ponentibus obicem. Iam vero qui bona fide saltem attritus accedit ad sacramentum vivorum, non ponit obicem (id s. Thomas explicite etiam de Eucharistia docet).

QUAEST. 1. *Utrum sacramenta eandem mensura gratiam conferunt?* — Certum est aliud sacramentum alio esse dignius (v. c. Eucharistia), ex se ergo etiam maiorem gratiam continere. Certum deinde est idem quoque sacramentum magis dispositis maiorem gratiam conferre ; gratiam sanctificantem enim homines recipiunt «secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem» (Trid. 6 cp 7). Probabile denique est ceteris paribus eodem sacramento eandem mensura gratiam conferri. Sacramenta enim ad modum causarum naturalium operantur ; in eisdem ergo conditionibus eosdem effectus proferunt.

2 *Estne omnis gratia in praesenti salutis ordine sacramentalis?* — Ex doctrina Tridentini mox laudata colligitur omnem iustificationem in hoc salutis ordine mediantibus sacramentis fieri. At gratia non est ita alligata sacramentis, ut *a)* gratiae actuales non dentur etiam sine relatione ad sacramenta ; *b)* gratia sanctificans saepe confertur, quin sacramentum re suscipiatur ; non autem sine voto sacramenti. Etenim in praesenti salutis ordine omnis gratia est Christi mediatoris, cuius instrumenta sunt sacramenta. Ex quo sequitur

COROLL. *Sacramenta sunt necessaria :* «Si qu. d. sacramenta N. L. non esse ad salutem necessaria, sed superflua, et sine eis aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam iustificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, a. s.» (Trid. 7 c. 4). Sacramenta enim sunt instrumenta gratiae Christi ; sine Christo autem impossibile est consequi iustificationem, cuius causa formalis est gratia. Necessitas alia est interna, si essentia rei (causa materiali vel formali) nititur ; externa, si a causa vel efficienti vel finali repetitur. Quae iterum potest esse *necessitas medii*, si sine illa re finis obtineri non potest, ita ut neque ignorantia vel impotentia excuset ; et *praecepti*, si ex ordinatione positiva imponitur et igitur eos solos qui praecepti sunt capaces, obligat. Sacramentorum necessitas est externa, et quum medii, tum praecepti.

THES. 2. **Sacramenta conferunt gratiam sacramentalem secundum singula sacramenta differentem.** *Certum.*

DEMONSTR. *a)* E doctrina Tridentini *omnia sacramenta sunt necessaria;* atqui hoc nullam haberet rationem, si sacramenta non haberent effectus a gratia sanctificanti communi distinctos. *b)* Ex eodem Tridentino sacramenta «*continent gratiam quam significant*» ; atqui signa sacramentalia sunt septem ab invicem multum distincta; est ergo diversa etiam gratia, quam continent.

QUAEST. *In quo consistit gratia sacramentalis?* — Non est novus habitus animae infusus (Paludanus, Capreolus) ; nam anima per gratiam eiusque comitatum habitualiter satis instructa est ad vitam supernaturalem ducendam. Neque est mera denominatio (scotistae et nominalistae) ; repugnat enim thesi. Sed «addit super gratiam communiter dictam et super virtutes et dona quoddam divinum auxilium ad consequendum

sacramenti finem» (III 62, 2). Quid sit illud auxilium superadditum, non est exploratum. Ex opinione Joannis a s. Thoma, Salmant., Billuarti est specialis *modus* gratiae sanctificantis; e mente Caietani et Suaresii vero est *titulus moralis* ad gratias actuales fini sacramenti convenientes accipiendas. Nihil obstat, quominus duae hae sententiae coniungantur; quod equidem probale est valde.

THES. 3. **Tria sacramenta, baptismus, confirmatio, ordo characterem animae imprimunt.** *De fide.* — *Wicleff* negabat posse characterem ex revelatione probari; secundum *novatores* est «inventum obscurorum monachorum». *Tridentinum* (7 c. 9) definivit: «*Si qu. d. in tribus sacramentis, baptismo sc., confirmatione et ordine non imprimi characterem in anima, h. e. signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, a. s.*»

DEMONSTR. **Scr.** Character ex Litteris divinis omnibus recentioribus fatentibus non potest nisi ope traditionis inhaesivae erui, quae doctrina sigilli necnon initerabilitatis quorundam sacramentorum nititur. Docente s. Paulo christifideles in Christo per Spiritum Sanctum sigillati sunt: Deus elegit vos in Christo, «*in quo et credentes signati estis* (ἐσφραγίσθητε) *Spiritu promissionis sancto, qui est pignus* (ἀρραβών) *hereditatis nostrae*» Eph 1; Deus confirmavit nos in Christo et unxit; «*qui et signavit nos et dedit pignus spiritus in cordibus nostris*» 2 Cor 1. Iudaei corporaliter circumcisione erant signati, nos prout decet filios, spiritualiter, littera thau (Ez 9; cf. Ap 7, 3). Quod deinde signaculum est aeternum: «*Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: cognovit Dominus, qui sunt eius*» 2 Tim 2; hi sunt 144 milia signatorum Ap 12. — Initerabilitas trium sacramentorum, quae satis clare proponitur (Heb 6; Act 19; 2 Tim 1), non necessario quidem, aptissime tamen ex charactere explicatur.

Tr. *Patres saeculi 2. et 3.* iam inde a Herma cum Tertulliano baptismum signaculum fidei habent, confirmatione christianos «signaculo dominico consummari» (Cypr.) dicunt; nondum autem clare effectum quendam sacramentorum hoc nomine significant. Id praestant Patres *saeculi 4.* imprimis graeci et Ambrosius, qui signaculum (σφραγίς) animae per tria haec sacramenta, imprimis per baptismum impressum notae militari, signo pecoribus inusto comparant, et deleri non posse asseverant. Sed sigillum ipsum a gratia non diserte distinguunt. Quod demum *Augustinus* fecit, qui adversus donatistas statuit: «Aliud est non habere, aliud non utiliter habere sacramentum» (Bapt. IV 24); haeretici non utiliter habent quidem, tamen habent: ipsis Christi character (ab Augustino primo ita vocatus) imprimitur, qui ergo non est gratia, tamen aliquid supernaturale idque indelebile. «Ipse desertor (Donatus) characterem fixit imperatoris sui. Deus et d. n. Iesus Christus quaerit desertorem, delet erroris crimen, sed non exterminat characterem» (Serm. Caesar. 2). Inde non licet iterare haec sacramenta: «Utrumque sacramentum est et quadam consecratione utrumque homini datur; illud quum baptizatur, istud quum ordinatur; ideoque in Catholica utrumque non licet iterari» (Ep. Parmen. II 28). Quae deinde doctrina per plura saecula aliquantum obfuscata, praesertim propter praxim reordinationum, inde a s. 12 a scholasticis, imprimis a Guilelmo Alverno, Altissiodorensi, Halensi et Thoma, dilucidari ac expoliri caepit, qui diligentius etiam in essentiam characteris inquirebant.

De essentia characteris.

1. *Teleologice* character est signum obligativum, quo Deus fideles

eo sibi obligat, quod charactere signatos ontologice ac sacramentaliter corpori Christi mystico in perpetuum inserit et ad munus quoddam in illo corpore aedificando consecrat. Etenim docente s. Paulo Deus nos signat Spiritu s., ut in perpetuum tamquam membra Christi vivamus (Eph 1; 4); secundum Patres vero peculium Christi efficimur, sicut miles per notam militarem duci adscribitur. Placet ergo cum cl. Scheeben isto modo interpretari et expolire doctrinam s. Thomae, secundum quam «sacramenta N. L. characterem imprimunt, inquantum per ea deputantur homines ad cultum Dei secundum ritum christianum». Dico autem incorporationem illam esse ontologicam; seu «esse» supernaturale et non «operari» efficit; ut distinguatur ab ea incorporatione, quae per fidem, caritatem et gratiam fit; deinde dico sacramentalem, quia neque ritus V. T., neque iustificatio praetersacramentalis characterem imprimunt.

2. *Formaliter* est signum configurativum ontologice et sacramentaliter conformans animam Christo capiti. Etenim est sigillum, quod ex natura sua imaginem prototypi sigillato imprimit; deinde unit cum Christo capite; atqui omnis unio per assimilationem aliquam ad effectum perducitur. Quum Christus caput munere sacerdotali imprimis fungatur, per characterem cum Christo sacerdote potissimum conformamur, seu dicente Thoma ad cultum Dei deputamur.

3. *Metaphysice* character non est mera relatio externa, ut falso docuerat Durandus; neque ipse Spiritus s., ut inepte quidam recentior posuit; sed est qualitas supernaturalis animae (probabiliter non tantum potentiis, sed etiam substantiae) inhaerens. Ad quamnam speciem qualitatum sit reducendus, multum disputatur. A s. Thoma reducitur ad potentiam; confert enim potentiam moralem ad munera quaedam in corpore Christi mystico rite obeunda; aptius reducitur ad quartam qualitatis speciem, ad figuram, utique internam, utpote configurans animam Christo capiti et structuram corporis mystici Christi constituens (cf. § 84, 3)

QUAEST. 1. *Quare tria tantum sacramenta characterem conferunt?* — E mente Halensis ea tantum sacramenta conferunt characterem, quae statum fidei determinatum respiciunt; tres autem sunt status fidei: genitae, roboratae, multiplicatae. Ex sententia s. Thomae per characterem homines ad cultum divinum deputantur: active quidem per ordinem, passive per baptismum; et «ad idem ordinatur etiam quodammodo confirmatio» (III 63, 2 c). Quum autem ita indoles distincta characteris confirmationis non videtur satis salvari, neque tota dignitas et gravitas dogmatis satis apparet, forsitan rectius dicitur iis sacramentis imprimi characterem, quibus corpus mysticum Christi constituitur (= sacramenta constitutiva et consecrativa), ita ut per baptismum signatus fiat membrum eius; per confirmationem deinde in individuo, per ordinem vero in genere corpus Christi usque ad perfectam capitis aetatem crescat.

2. *Quae est relatio inter characterem et gratiam?* — Ex opinione multorum scholasticorum antiquorum character est semen vel quasi «lumen semiplenum» gratiae; seu est eiusdem generis atque gratia, quam tamen imperfecte et inchoative continet. Rectius et communius cum s. Thoma dicitur characterem esse dispositionem gratiae; idque ex praecedentibus non mere moralem, sed ontologicam, quae ita ad gratiam refertur, sicut organismus ad vitam. Ex quo intellegitur, quare character non cum peccato mortali deleatur; gratia enim peccato ut habitus privationi opponitur, non vero characteri.

3. *Quomodo tres characteres inter se distinguuntur?* — Non gradu tantum ut voluit Oswald, sed qualitate; quum singuli ad singula munera in corpore Christi mystico implenda animam deputent.

4. *Quousque manet character?* — Certo saltem usque ad mortem. At probabiliter «post hanc vitam remanet character in bonis ad eorum gloriam, in malis ad eorum ignominiam» (Thom ; cf. Schütz : A szentségi jegy mivoltáról in Az Ige szolg. n. 15).

§ 87. Auctor sacramentorum.

Statuitur 1. institutio sacramentorum a Christo facta ; considerantur 2. sacramentalia, 3. sacramenta non christiana.

1. Institutio. — THES. 1. **Sacramenta n. Legis omnia a Christo sunt instituta.** *De fide.*

Protestantes pleraque sacramenta inventa humana habebant, a quorum opinione non adeo abhorret doctrina modernistarum. Trid. (7 c. 1) eos anathematizat qui dixerint «*sacramenta N. L. non fuisse omnia a Iesu Christo d. n. instituta*» et sequentibus id explicite quoad Eucharistiam, paenitentiam et extremam unctionem repetit.

DEMONSTR. **Scr.** *a)* Litteris s. *institutio baptismi, Eucharistiae, paenitentiae* explicite ad Christum refertur ; ceterorum institutio saltem implicita singillatim probabitur; eadem est enim ratio etiam pro ceteris. *b)* Apostoli uno ore fatentur : «*Fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus*» 1 Cor 3 ; atqui sacramenta omnibus fatentibus pertinent ad fundamentum Ecclesiae. Etiam hoc erat eis persuasum : «*Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*» 1 Cor 4 ; ergo non auctores mysteriorum se habebant. **Tr.** Quum Patres nondum accuratum conceptum sacramenti excolerent multaque praeter septem illa sacramentorum nomine complecterentur, nihil mirum, quod saepe non explicite et diserte de institutione sacramentorum a Christo facta loquuntur. Nihil tamen habet quispiam eorum, quod thesi adversetur ; imo Augustinus, doctor sacramentorum, testatur a Verbo incarnato esse institutos paucissimos illos ritus, quibus populus christianus in unam societatem colligatur, uti baptismus, Eucharistia, et si aliud in Scripturis canonicis commendatur (Ep. 54 ; Vera rel. 17). Qui sacramenta administrant, semper ex persona Christi agunt (in Jn 5, 18).

R. *a)* Ratio *dogmatica:* Ecclesia iam ante novatores per plura saecula profitebatur septem sacramentorum administrationem sibi esse commissam, quin tamen potestatem sibi vindicaverit aliquid eiusmodi instituendi, vel substantialiter mutandi ; ergo persuasum ei erat ea ad depositum fidei apostolis a Christo d. commissum pertinere. *b)* Ratio *theologica:* Sacramenta sunt instrumenta gratiae meritis Christi acquisita, cuius dispensandae potestatem ergo non potest habere nisi ipse Christus.

QUAEST. 1. *Utrum Christus ut Deus an ut homo sacramenta instituit?* — Praeeunte s. Thoma (III 64, 3) circa sacramenta *triplex potestas* distinguitur : Potestas *auctoritatis* seu principalis, quae est solius Dei utpote gratiae auctoris ; potestas *ministerii secundarii,* quae est Ecclesiae ut vicario Christi commissa ; et potestas excellentiae seu *ministerii principalis,* quae

est Christi hominis, vi cuius meruit gratiam eiusque per sacramenta dispensationem, et meruit ut tamquam instrumentum coniunctum virtutem in Ecclesiam ad sacramenta, instrumenta separata administranda iugiter infundat.

2. *Christus immediate ordinavitne sacramenta?* — Christus mediate tantum ordinasset sacramenta, si apostolis potestatem dedisset sacramenta statuendi pro utilitate vel necessitate Ecclesiae, vel plane si post resurrectionem apostoli instinctu Spiritus s. quaedam sacramenta instituissent, prout de confirmatione et unctione Bonaventura et probabiliter Lombardus et Hugo Vict. putaverant. De hac re statuitur

THES. 2. **Christus immediate instituit omnia sacramenta n. Legis.** *Certum*, secundum complures de fide.

Etenim canon *Tridentinus* supralaudatus ex sensu obvio verborum vix ac ne vix quidem aliter atque de institutione immediata accipi potest; quum deinde concilium unctionem de qua medio aevo dubitabatur, explicite ad immediatam Christi ordinationem referret (14 cp 1), nullum reliquit dubium, quae eius esset mens in hac quaestione.

DEMONSTR. **Scr.** Litterae sacrae *institutionem immediatam baptismi, Eucharistiae, paenitentiae* explicite docent; atqui eadem est ratio ceterorum, quae Christus forsitan tunc ordinavit, quum apostolis «praebuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis *per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei*» Act 1. **Tr.** Patres nullum unquam sacramentum temporibus posterioribus tribuunt, neque fundamentum ullum singulari sententiae s. Bonaventurae praebent. **R.** Sacramenta sunt res gravissimi momenti immo fundamentales in Ecclesia; sicut ergo Christus fundamenta Ecclesiae ipse iecit, ita etiam sacramenta ipse instituere debuit (III 64, 2. 4).

Falsa est ergo opinio rationalistarum huius temporis sacramenta a s. Paulo vel ab aliis *ad imitationem mysteriorum paganorum* esse inducta in Ecclesia. Quod directe his probatur: *a)* Religio paganorum christianis erat abominatio reicienda et arcenda omnino; psychologice ergo impossibile fuit, ut ex eorum observantiis aliquid mutuaverint. *b)* Vera mysteriorum illorum natura et ratio propter penuriam fontium parum est cognita; ideo similitudo quaedam externa, cuius radix ceterum est natura humana mentem symbolis manifestans, quam similitudinem iam Tert. (Ap. 40, Bapt. 5) imitationem diaboli habet, minime potest obfuscare discrimen fundamentale: Mysteria magiam et theurgiam sapiunt (cf. § 1, 3) et penitus aliena sunt a sacramentis christianis, quae renovationem interioris hominis urgent et spiritualia spiritualibus conferunt (cf. § 13, 1).

3. *Determinavitne Christus in omnibus formam et materiam sacramentorum?* — Christus *d. tribus modis* potuit ordinare sacramenta: *in individuo*, determinando omnia et singula ita, prout hodie in Ecclesia servantur; *in genere*, significando se velle in posterum talem gratiam, v. g. regenerationis ritu sacramentali conferri, ritum autem non indicando; *in specie*, et materiam et formam saltem quoad essentiam seu substantiam indicando. Quibus positis *a)* certum est *nullum sacramentum a Christo in individuo esse determinatum;* alioqui non potuerunt ritus sacramentorum labente tempore adeo discrepare. *b)* Saltem baptismus et Eucharistia a Christo d. in specie sunt instituta. *c)* Quoad cetera hodie plerique *probabilius* docent *omnia sacramenta in specie* esse a Christo

instituta ; at sententia contradictoria quoque a multis iisque gravibus tenetur (Bellarm., Lugo, Salmant., Schanz, Billot) et libera est. Quum autem hinc quidem teste historia haud leves immutationes in quorundam sacramentorum ritu factae sint, inde vero Ecclesia constanter negaverit sibi ius substantiae sacramentorum mutandae competere (Trid. 21 cp 2) : ab omnibus concedendum est quorundam sacramentorum substantiam satis generaliter a Domino esse ordinatam.

2. Sacramentalia.

1. *Notio.* — Sacramentalia sunt res aut actiones, quibus Ecclesia in aliquam sacramentorum imitationem uti solet ad obtinendos ex sua impetratione effectus praesertim spirituales. (CIC 1144). Proprie actiones, improprie etiam res quaedam vocantur sacramentalia inde a Guilelmo Alverno (Hugo Vict. : sacramenta minora ; Thom. : sacra).

2. *Existentia.* — THES. **Ecclesia habet potestatem instituendi sacramentalia.** *Certum* ex doctrina Trid. adversus novatores (7 c. 13 ; 23 cp 2). — DEMONSTR. *a)* Ecclesia a Christo d. accepit *potestatem sacerdotalem;* atqui sacramentalia nihil aliud sunt nisi exercitium legitimum et efficacius huius sacerdotii, prout Paulus dicit : «*Omnis creatura Dei bona est, et nihil reiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei et orationem*» (1 Tim 4). *b) Christus ipse* usus est talibus, veluti exorcismis, benedictionibus, curationibus, lotione pedum, et exorcisandi etiam explicite potestatem dedit Ecclesiae. *c) Ecclesia* ab initio hac potestate utebatur. Antiquissima sunt exorcismus (cca. a. 200), signum crucis (iam a Iustino et Tertulliano commemoratum), aqua lustralis. Medio aevo deinde eorum numerus vehementer augebatur. Nunc ius nova sacramentalia instituendi, vetera interpretandi, abolendi vel mutandi Sedi Apostolicae est reservatum (CIC 1145).

3. *Classes.* — Duo sunt genera sacramentalium proprie dictorum : *a) Benedictiones,* α) *invocativae* quibus personae vel res speciali tutelae divinae committuntur ; β) *constitutivae* seu consecrationes, quibus personae vel res usui profano subtrahuntur et ad cultum divinum deputantur. *b) exorcismi,* quibus personae ab infestationibus, res ab abusu spirituum malignorum defenduntur. Praeter haec sunt sacramentalia alia sensu non proprio : *c)* antonomastice illae *res* quae sunt obiectum benedictionum ; *d)* sensu analogo talium rerum *usus* et *e) ritus* sacramentorum atque missae, quorum est sensum et effectus sacramentorum ac sacrificii liturgice manifestare et explicare, deinde curare, ut sancta sancte tractentur.

4. *Effectus.* — *a)* Sanctitas realis seu obiectiva tamquam effectus consecrationis ; *b)* cohibitio spirituum malignorum ; *c)* bona temporalia ; *d)* gratiae actuales ; *e)* indulgentia paenarum temporalium ; *f)* remissio peccatorum venialium. Nullum est sacramentale quod aliquem horum effectuum non procrearet, nullusque effectus qui ab aliquo sacramentali non proferretur ; at nullum existit sacramentale quod simul omnes progigneret (III 87, 3).

5. *Efficientia.* — Si considerantur orationes ab Ecclesia in sacramentalibus conficiendis dictae necnon sensus catholicus, probabiliter dicitur : *a) Benedictiones et exorcismi* ex opere operato infallibiliter proferunt suos effectus reales utpote impetrationes sponsae sanctae et immaculatae Christi.

b) Effectus personis destinati (b—f) non proveniunt sine opere operantis subiecti, at simul etiam ex opere operantis Ecclesiae, ita ut hac ex parte sacramentalia effectus suos ex opere quasi operato procreare dicenda videantur. — Ex quibus apparet quae sint differentiae sacramentalium et sacramentorum : sacramenta sunt instituta a Christo, sacramentalia ab Ecclesia plerumque statuuntur ; sacramenta sanctificant, sacramentalia praeparant et disponunt ad sanctificationem ; sacramenta continent gratiam, sacramentalia effectus suos ab Ecclesiae impetratione obtinent.

6. *Utilitas.* — Sacramentalia non sunt ad salutem necessaria, neque per se obligant (III 65, 1 ad 6, 17, 3). Obligant utique per accidens ; v. g. ritus, si sacramenta suscipiantur vel missa celebretur ; ex praecepto multae consecrationes v. c. campanarum, calicum etc. Nihilominus sunt valde utiles. Iis enim pietas et animus sacerdotalis Ecclesiae quasi corpus induit, et homines corpore utentes convenientissime ad supernaturalia trahuntur.

3. Sacramenta V. T.-i — 1. *Existentia.* — In V. Lege existebant ritus sacri, quibus effectus supernaturales erant annexi ; seu *existebant sacramenta sensu latiore*, ut apparet ex Florent. et Trid. (v. infra). Dicente Paulo «*sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis*» Heb 9. Est deinde doctrina communis Patrum et scholasticorum, qui theologiam sacramentorum V. T. hunc in modum exponunt :

2. *Classes.* — Numerus sacramentorum V. T. est permagnus et incertus : ea cum s. Thoma (III 61, 3) ad exemplar sacramentorum N. L. apte ad quattuor classes reducuntur : *a)* circumcisio (baptismus) ; *b)* esus agni paschalis et panes propositionis (Eucharistia) ; *c)* lustrationes rituales (paenitentia) ; *d)* unctio sacerdotum vel saltem summi sacerdotis (ordo).

3. *Efficacitas.* — Sunt minoris dignitatis quam sacramenta N. T. Etenim Tridentinum (7 c. 2) damnat Calvinum docentem «*N. L. sacramenta a sacramentis antiquae Legis non differre, nisi quia ceremoniae sunt aliae et alii ritus externi*». Et revera prophetae ne sacrificia quidem in se absque animo contrito et devoto magni habebant (Ps 49) ; item Christus d. et Baptista ; secundum Paulum erant «*infirma et egena elementa*» Gal 4 ; «*umbra bonorum futurorum*» Heb 10. E doctrina s. *Augustini* sunt symbola tantum et promissiones, non causa gratiae (Pecc. or. 32) ; sacramenta N. L. comparata cum sacramentis V. L. sunt «*virtute maiora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora*» (Faust. XIX 13).

Si ulterius quaeritur, in quonam accurate maior virtus sacramentorum N. L. consistat, unanimis est doctrina eaque certa theologorum : sacramenta V. T. *iustificationem non ex opere operato sed operantis proferebant.* Etenim Decretum pro Armenis statuit : «Illa (sacramenta V. T.) non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse praefigurabant». E doctrina s. Pauli Lex erat quidem paedagogus in Christum, sed non proferebat iustificationem. Dicente Augustino «sacramenta N. T. dant salutem, sacramenta V. T. promiserunt salvatorem» (in Ps 73, 2). Idem tenet s. Thomas (III 62, 6c), qui tamen quoad circumcisionem puerorum efficaciam ex opere quasi operato admittit : per ritum signabatur fides passionis Christi, cuius intuitu Deus infantes sanctificavit (III 70, 4). Quoad adultos quoque dandum est sacramenta illa *iustitiam legalem* ex opere operato progenuisse ; ad id enim erant instituta ; et licet iustificationem non protulerint nisi ex opere operantis, tamen

efficacius fidem salvatoris excitabant et uberiores gratias actuales utentibus procurabant, quam meri actus personales.

ADDIT. 1. *In statu naturae lapsae* quoque praesto erat remedium peccati originalis, quod pro infantibus sacramenti indolem habuit : **sacramentum naturae.** Communius et probabilissimum. — Etenim Deus omnium severe vult salutem ; et quum infantibus nisi instituto aliquo ex opere operato efficaci consuli non possit, recte colligit s. *Augustinus:* «Nec credendum est ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem iis inerat mediatoris fides, nullo sacramento eius opitulatos fuisse parvulis suis ; quamvis quid illud esset, aliquā necessaria causa Scriptura latere voluit» (Iulian. V 11, 45 ; cf. De voc. omn. gent. II 23). A s. Thoma non improbabiliter docetur aliud quoque extitisse sacramentum naturae ad adultos post lapsus personales cum Deo reconciliandos (III 65, 1 ad 7) ; reconciliationis negotium enim non potest per solum peccatorem absolvi (§ 62, 2).

2. Num etiam *in statu naturae sanctae et integrae* fuerint sacramenta, non est una omnium sententia. *Augustinus* probabiliter (Gen. lit. VIII 6 ; XI 40) cum quibusdam magnis Patribus graecis arborem vitae et matrimonium sacramenti nomine vult haberi ; e mente s. *Thomae* non fuit conveniens, ut rebus sensibilibus sanctificarentur, qui sensibus perfecte dominabantur (III 61, 2).

§ 88. Minister et subiectum sacramentorum.

1. Minister. — THES. 1. **Ad validam sacramentorum administrationem legitima et conveniens potestas requiritur.** *De fide.*

EXPLIC. *Valide* administratur sacramentum, si sacramenti signum cum debita intentione conficitur, quin quaeratur, utrum minister iuridice vel moraliter satis instructus fuerit ad sacramentum administrandum, nec ne ; si minister potestate iuridica conficit sacramentum, administratio erit *legitima*, si insuper etiam moraliter convenienter est dispositus, administratio erit *digna.* Adversantur novatores s. 16., e quorum opinione omnes, laici quoque, immo secundum Lutherum etiam diabolus, habent potestatem administrandi sacramenta. Tridentinum (7, c. 10) definivit : «*S. q. d. christianos omnes in verbo et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem, a. s.*»

DEMONSTR. Sacramenta *virtutem a Christo* ministro principali ducunt ; homines non possunt ea administrare nisi legatione pro Christo fungentes, tamquam eius vicarii ; atqui hunc honorem (vicarium esse Christi) nemo sibi sumit, sed qui vocatus est a Deo (Heb 5). Iam vero Dei voluntas haec fuit, ut ad singula sacramenta administranda conveniens potestas sacerdotalis (vel generalis vel specialis) requiratur, prout probabitur in tractatione singulorum sacramentorum.

Id *ratio theologica* quoque suadet : gratia desuper est ; convenit ergo, ut etiam ordo dispensandi gratiam desuper statuatur. — Hic quaestio movetur : *quomodo minister cooperatur* ad gratiam sacramenti conferendam? Ex opinione Scoti eo tantum, quod ponat signum sacramenti, quod Deo est conditio conferendi gratiam. Ex sententia s. Thomae (III 64, 1) actio ministri est pars integralis sacramenti, et ut causa instrumentalis partialis ad gratiam conferendam cooperatur.

COROLL. 1. Minister ordinarius ex ordinaria Christi institutione non potest esse nisi *homo viator.*

2. *Nemo sibi ipse* sacramentum administrare potest ; voluit enim

Christus, ut in ordine supernaturali quoque valeat lex mutui auxilii et solidaritatis : «Nemo sibi, sed suis !»

THES. 2. **Ad validam sacramenti administrationem in ministro requiritur intentio saltem faciendi quod facit Ecclesia.** *De fide.* — Adversus *novatores*, qui in sacramentis utpote mere incitamentis fidei administrandis necessitatem intentionis omnino negabant, Trid. (7 c. 11) definivit : «*Si qu. d. in ministris dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, a. s.*»

DEMONSTR. **Scr.** Ministri sunt «*dispensatores mysteriorum Dei*» (1 Cor 4) ; et pro Christo legatione funguntur. Atqui Christi legatus et dispensator mysteriorum eius non erit, nisi qui idem vult quod Christus ; quid autem Christus quoad sacramenta voluerit, ab Ecclesia docemur. Ergo nisi quis voluntatem habeat in sacramentis administrandis facere quod facit Ecclesia, non conformat voluntatem suam voluntati Christi. Et revera iam apostoli in nomine Iesu baptizabant, manus baptizatis imponebant, aegrotos ungebant, Eucharistiam celebrabant. **Tr.** Ecclesia vetus rectam intentionem communiter adesse ponebat et mentem suam *praxi* manifestabat : Quum Novatianus a tribus episcopis crapula oppressis consecraretur, consecratio eius a Cornelio papa statim invalida est declarata (Eus. H. E. III 43 ; I 14). Augustinus quaestionem num baptismus ludi vel ioci causa collatus («s. Genesius») validus sit, ad synodum remittit (Bapt. VII 53, 102).

R. *a)* Administratio per intentionem tantum fit *actus humanus*, ergo ministro Christi dignus ; *b)* materia et forma per intentionem tantum fit *unum morale; c)* signum in se etiam post Christi ordinationem indeterminatum (quod institutionis, ioci, imo etiam ludibrii causa poni potest) per intentionem tantum fit *determinatum*, ergo significans ac proinde conferens gratiam Christi (III 64, 8). — Sequitur : *Infantes, amentes, somnambuli* utpote intentionem formare non valentes *non possunt administrare sacramenta.*

ADDIT. Ut intentio (quae definitur : propositum adhibendi media determinata ad determinatum finem) ad sacramentum valide administrandum requisita diligentius explicetur, distingue :

1. *Ab obiecto* potest esse *externa*, quae intendit in actum externum absque eius significatione religiosa ; et *interna*, quae iterum est vel generalis seu implicita, si dirigatur tantum ad ritum, prout a communitate christiana praestari solet ; vel specialis seu explicita intendens explicite in «huius sacramenti» administrationem. Nunc *ad sacramentum valide administrandum probabilissime non est satis intentio externa* (prout post Ambrosium Catharinum volebant Contenson, Natalis Alexander, H. Serry etc.). Vix enim dici potest hypocritam, qui vult quidem ponere ritum externum, sed non sacramentum, adhuc conformari voluntati Christi (cf. *D* 1318). At non requiritur intentio interna explicita ; sufficit implicita seu generalis faciendi quod facit Ecclesia (ita primus vel Praepositinus † 1210, vel Guilelmus Altissiodorensis), imo quod facit communitas christiana ; sic enim satis minister voluntatem suam voluntati Christi, ministri primarii conformat.

2. *Ab intensitate* intentio potest esse *actualis* (praesens in anima vel directe : in actu exercito, vel vero reflexe : in actu signato), *virtualis* (non iam formaliter praesens, in actum praesentem tamen vi psychica influens), *habitualis* (neque formaliter neque virtualiter praesens, sed aliquando

habita nec retracta), *interpretativa* (quae formaliter nunquam habebatur, prudenter tamen praesumitur quod haberetur, si esset possibile). Ad sacramentorum administrationem intentio saltem virtualis requiritur ; habitualis vel plane interpretativa non sufficit, et actualis non est necesse, ut actus ex Christi mandato positus habeatur.

3. *A forma* est intentio vel *absoluta* vel *conditionata ;* conditio de praeterio vel praesenti ex iusta ratione licite ponitur et non invalidat sacramentum ; conditio de futuro ita ; etenim effectus sacramenti tunc in praesenti propter conditionem, in futuro propter signum iam pridem extinctum frustratur.

THES. 3. **Ad validam sacramentorum administrationem non requiritur fides vel sanctitas sive ethica sive supernaturalis ministri.** *De fide.* — Adversus *rebaptizantes*, deinde adversus *catharos* omnis generis (novatianos, waldenses, albigenses, fraticellos, Wicleff, Hus) definivit Trid. (7 c. 4) baptismum etiam a haereticis in nomine ss. Trinitatis collatum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia esse validum ; deinde (c. 12) eum anathematizat qui dixerit «*ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia quae ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramentum*».

DEMONSTR. **Scr.** Litterae sacrae communiter statum pervulgatum christianum ponunt : fidei et gratiae, neque diserte ad rem loquuntur. Tamen non modo explicite fidem vel sanctitatem nusquam postulant, sed etiam docent effectus supernaturales a virtute Christi originem sumere, non a dignitate ministri : indigni quoque in nomine Iesu daemonia eiciebant et prophetabant. Paulus vero dicit : «*Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*» 1 Cor 3.

Tr. In ecclesia primaeva haec quaestio nondum agebatur. Ubi primum movebatur, persuasio Ecclesiae statim manifeste apparuit. *Tertullianus* afer primus docuit a haereticis utpote non habentibus Christum non conferri baptismum Christi. *Agrippinus* deinde episcopus carthaginensis eiusque successores (s. *Cyprianus* quoque), baptizatos a haereticis rebaptizabant, idque contra consuetudinem, ut synodis carthaginensibus hac in re celebratis statutum est. Postquam autem *Stephanus papa* rescripserat : «Si qui a quacunque haeresi venient ad vos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illis imponatur in paenitentiam», Cyprianus ad *Firmilianum* Caesareensem recurrit, quo praeside asiatae (pariter, ut ipsi fatentur, adversus consuetudinem vigentem) praxi rebaptizandi haereticos assentiebantur. Eodem tempore Liber *de rebaptismate* anonymus validitatem baptismi haereticorum defendit. Quum saeculo sequenti *donatistae* validitatem baptismi et aliorum sacramentorum a moraliter indigno collatorum negarent, Optatus Milevitanus et maxime Augustinus ex professo thesim nostram asserebant. *Augustinus* rationem quoque veritatis catholicae reddit : Si quos baptizavit ebriosus, homicida, adulter, si baptismus Christi erat, Christus baptizavit (in Jn 5, 18 ; cf. Cresc. I 33 ; Ep. Parm. II 28 ; Bapt. IV 17, 24). Secundum Naz. etiam annulus ferreus, non tantum aureus, imaginem regis effingit.

R. *a) Minister est causa instrumentalis* eaque secundaria sacramenti ; atqui Deus auctor principalis, qui etiam absque instrumentis quod vult procreare potest, potest etiam instrumentis imperfectis sanctificationem hominum ad effectum perducere (III 64, 5 ; 2II 39, 3); semen Dei etsi manu sordida satum exoriri et fructum suum proferre potest. Ideo non est ad rem quod rebaptizantes in medium ducebant : nemo potest dare quod non habet, at haeretici non habent Spiritum s., ergo ; etenim effectum sacramenti minister non de suo dat. *b)* Si recta fides vel sanctitas ad validitatem sacramentorum requireretur, quum sanctitas interna nunquam certo statui possit, imo dubia in hac materia semper possint moveri, actum esset de pace animarum, de ordine ac disciplina Ecclesiae (cf. catharos medii aevi).

ADDIT. *Ad licitam sacramentorum administrationem* ex rei natura requiritur : *a)* iurisdictio ; *b)* status gratiae et debita praeparatio atque devotio ; sancta enim sancte sunt tractanda; *c)* observatio praescriptorum Ecclesiae (cf. Rituale et Pontificale Romanum).

2. Subiectum sacramentorum quum non fuisset tot haereticorum aggressibus expositum, neque a magisterio ecclesiastico tam accurate determinatum est. Si distinguatur valida sacramenti susceptio, qua sc. id quod est sacramentum tantum et quod est res ac sacramentum accipitur, a digna susceptione, qua res seu gratia sacramenti quoque confertur, haec sunt statuenda :

Conditiones susceptionis validae sunt

1. *Status viatoris.* Sacramenta enim Ecclesiae militanti sunt data. Administrationem sacramentorum mortuis quandoque a haereticis (cerinthianis, marcionitis, montanistis) factam Ecclesia ut abusum nunquam non graviter reprehendebat.

2. *Capacitas* naturae sacramenti conveniens : baptismi capax est omnis homo non baptizatus ; baptismus vero est ianua ceterorum sacramentorum, quorum non omnium omnes sunt capaces (cf. ordinem et matrimonium).

3. *Debita intentio.* Christus d. enim nemini invito per vim gratiam suam imponit ; Tridentinum explicite praeparationem in adultis postulat ; et apostoli quoque antequam sacramenta administrabant, certiores de intentione suscipientis fieri volebant ; Philippus eunuchum interrogavit : vis baptizari? Ad intensitatem intentionis quod attinet, universim satis est habitualis, immo illa habitualis implicita quoque, quam alii interpretativam vocari malunt ; in matrimonio et paenitentia ex eorum speciali indole virtualis requiritur.

4. *Non requiritur fides recta vel sanctitas* sive naturalis sive supernaturalis. Est conclusio theologica certa ex dogmate de efficientia sacramentorum ex opere operato et de validitate sacramentorum a haereticis collatorum (illi enim plerumque haereticis ea conferunt).

Ad dignam seu fructuosam sacramenti susceptionem ex doctrina Tridentini requiritur, ut suscepturus non ponat obicem, seu ad sacramenta mortuorum iis actibus se praeparet, quibus ex doctrina catholica impius ad iustificationem disponitur ; pro sacramentis vivorum necesse est, ut sit in statu gratiae. Praeterea ex iure naturae exigitur, ut debita devotione saltem virtuali accedat ad sacramentum. Quorum si quid consulto negligatur,

obex gratiam arcens erit *formalis*, qui non removebitur nisi sacramento paenitentiae vel eius voto ; si autem non consulto, obex erit *materialis*, et removetur per positionem actus, e cuius defectu obex obiectus erat ; v. g. si quis adultus inconsulto absque contritione saltem imperfecta ad baptismum accessisset, gratiam baptismi accipiet, simulatque attritionem elicuerit.

Caput 2. De baptismo.

Quaeritur 1. de institutione et signo, 2. de effectibus et necessitate, 3. de personis baptismi.

Tractatus. Tertullianus: De baptismo ; *Augustinus:* De baptismo contra Cresconium ; Ctra Epistulas Parmenianas ; De unico baptismo ; J. *Corblet:* Histoire dogmatique, liturgique et archéologique du sacrement du baptême 2 vol. 1881 ; F. *Dölger:* Der Exorzismus im altchristlichen Taufritual 1909 ; Sphragis, eine altchristliche Taufbezeichnung 1911 ; Sol salutis 1920 ; M. *Koch:* Die Taufe im N. T. 1910 ; A. *d'Alés:* De baptismo et confirmatione 1927 ; Th. *Spacil:* Doctrina theologiae orientis de sacramento baptismi 1926.

§ 89. Institutio et signum baptismi.

Statuuntur 1. institutio a Christo facta, 2. materia, 3. forma.

1. Institutio. — THES. **Baptismus est sacramentum n. Legis a Christo Iesu institutum.** *De fide.*

EXPLIC. *Baptismus* (a v. βαπτίζω, quod est iterativum a v. βάπτω, mergere, tingere) est sacramentum n. Legis, quo per aquae lavacrum et ss. Trinitatis invocationem gratia regenerationis confertur et homo regno Dei inseritur («lavacrum regenerationis in verbo vitae» : Paul.). *Vocatur* etiam fons sacer, unda genitalis, sacramentum fidei, signaculum, σφραγίς, φωτισμός, μύησις = initiatio. Rationalistae nostri negant originem supernaturalem ; e mente modernistarum «communitas christiana necessitatem baptismi induxit». Tridentinum thesim (7 c. 1) explicite definivit.

DEMONSTR. **Scr.** Propheta pro tempore messiano dicit : «*Effundam super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*» Ez 36 ; et Ioannes Baptista, quum advenisset plenitudo temporis, caepit baptizare in Iordane in paenitentiam, «quia appropinquavit regnum caelorum» Mt 3. Sed his multisque aliis (die primo creationis, flumine Paradisi, diluvio, transitu maris Rubri) verum baptisma solum praefigurabatur, ut ipse Ioannes testatur : «*Ego quidem aqua baptizo vos ; veniet autem fortior me, cuius non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum eius ; ipse vos baptizabit in Spiritu s. et igni*» Lc 3. Et revera Christus d. licet ipse quoque baptismum Ioannis susceperit («sic enim decet nos implere omnem iustitiam» Mt 3), postea novum tamen baptisma ordinavit. Dicit enim Nicodemo : «*Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu s., non potest introire in regnum Dei*» Jn 3 ; et ante ascensionem apostolis : «*Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*» Mt 28. Apostoli iam die pentecostes interrogati a turbis : «Quid faciemus», per Petrum responderunt : «*Paenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum*

in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestorum, et accipietis donum Spiritus s.» Act 2. ; et baptizare pergebant eos quoque, qui modo extraordinario immediate per Spiritum s. in Ecclesiam erant adducti ; quod ausi non essent, nisi firmiter persuasum sibi habuissent baptismum esse ordinationem Christi d. **Tr.** Patrum testimonia sunt locupletissima : Iam *Didache* ritum accurate praescribit; inde *a Tertulliano*, qui primus monographiam eamque amplissimam scripsit, vix invenitur Pater alicuius nominis, qui non ex professo materiam tractaverit ; ita *Cyril.* Hier. Cat. 19. 20 ; *Nyss.* Or. cat. 33—40 ; *Basil.* Hom. in bapt. ; *Naz.* Or. 40 ; *Ambr.* Myst. 1—5 etc.

DIFF. 1. *Mandatum baptismi* non est authenticum Christi historici verbum, sed persuasio communitatis christianae, quam postea Christo eique resurgenti affingebant. Ita Harnack et gregales. — At *a)* gratis omnino asseritur hoc verbum non esse authenticum ; in omnibus enim testibus legitur, nec ullus vel rationalistarum ex editionibus criticis illud expungere ausus est. *b)* De baptismo multa locutus est Christus non tantum post resurrectionem, sed iam ante mortem. *c)* Figmentum est rationalistarum Christum non dedisse mandatum missionis ad ethnicos, neque Trinitatis confessionem imposuisse (§ 79, 2; 35; cf. 9, 3).

2. Baptismus est ritus *ex iudaeis vel e mysteriis paganorum mutuatus.* — Lustratio religiosa (mundatione corporis mundationem internam symbolice significans) e legibus psychicis universalibus potest repeti ; nihil ergo obstat, quominus in aliis quoque religionibus inveniatur. Nullus autem lustrationum usus ad baptismum christianum, qui regenerationem supernaturalem e Spiritu s. confert et praeparationem moralem exigit, ullo modo attingit. Difficultas insuper gratis omnino ponit testimonia supralaudata non esse historica (cf. § 13, 2; 87, 1).

QUAEST. 1. *Quando Christus d. baptismum instituit?* — De hac quaestione labente tempore *tres sententiae* surgebant : 1. Christus baptismum instituit, quum ipse in Iordane baptizatus est ; tunc enim ex opinione plurimorum Patrum imprimis graecorum vim sanctificandi aquis tribuit, et quum tota Trinitas apparuisset, forma quoque significata est. Ita plerique scholastici cum s. Thoma (III 66, 3). 2. Scotus et s. Bernardus institutionem a colloquio cum Nicodemo repetunt ; at parum est probabile colloquio privato rem tam gravem et universalem esse ordinatam. 3. Recentiores plerique censent sacramentum institutum esse, quum mandatum baptismi est datum. Qua in materia non imprudenter iudicat s. *Bonaventura:* Baptismus institutus est materialiter, quum baptizatus est Christus; formaliter, qum resurrexit et formam dedit; effective, quum passus est, quia inde habuit virtutem (cf. verba Domini : «Baptismo autem habeo baptizari, et quomodo coarctor usquedum perficiatur» Lc 12); finaliter, quum eius necessitatem praedixit et utilitatem.

2. Quid valuit *baptismus Ioannis?* — Certo non fuit ritus inanis ille, qui Spiritu s. aspirante erat administratus, cuique ipse Christus d. se subiecit. Nihilominus minime erat eiusdem valoris atque baptismus Christi (ita Trid. 7 c. 1 bapt.). Ipse Ioannes testatur suo baptismate non conferri Spiritum s. ; apostoli eos qui baptismo Ioannis erant baptizati, rebaptizabant ; et adhuc Augustinus conqueritur de christianis, qui in festo Ioannis eius baptismum suscipiunt specialesque exinde effectus sperant. Haec si considerantur, probabilissima est sententia s. Thomae baptismum Ioannis fuisse sacramentale quoddam praeparans regnum Dei per paenitentiam, atque veniam peccatorum ex opere operantis conferens.

2. Materia. — THES. 1. **Materia remota baptismi est aqua naturalis in statu liquido.** *De fide.*

Haeretici *manichaeorum* placitis imbuti vel omnem materiam contemnebant et sola manuum impositione suos initiabant, vel vero igne, oleo, vino, lacte etc. baptizabant. E mente *Lutheri* quoque «quidquid balnei loco esse possit, aptum est ad baptizandum». Trid. (7 c. 2) eos anathematizat qui dixerint «*aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi*».

DEMONSTR. **Scr.** Litterae divinae ubicunque de baptismo loquuntur, solam aquam nominant. Ita iam typi v. T. ; ita Christus d., cuius verba Nicodemo dicta non licet ad metaphoram aliquam detorquere (Trid. 7 c. 1. bapt.), et apostoli. **Tr.** *Didache* 7 explicite dicit : «Baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti in aqua viva. Sin autem non habes aquam vivam, in alia aqua baptiza ; si non potes in frigida, in calida. Sin autem neutram (satis) habes, effunde in caput ter aquam in nomine P. et F. et Sp. s.» *Augustinus* (in Jn 15, 4) : «Quid est baptismus Christi? Lavacrum aquae in verbo. Tolle aquam : non est baptismus ; tolle verbum: non est baptismus !» **R.** *a)* Aqua ut *elementum generationis* aptissimum et instrumentum et symbolum est regenerationis spiritualis : «Nos pisciculi secundum ἰχθύν nostrum Jesum Christum in aqua nascimur» (Tert. Bapt. 1; cf. Aug. Civ. XVIII 23). *b) Proprietates aquae* apte significant effectus baptismi, qui abluit peccata, temperat calorem concupiscentiae, exstinguit ignem aeternum, explet sitim spiritualem (III 66, 3). *c)* Conveniens est, ut *elementum maxime universale* sit materia sacramenti maxime necessarii.

ADDIT. *Benedictio aquae baptismalis* est perantiqua, ut testantur Clemens A., Tertullianus et Cyprianus; sed a nemine nisi forte a Cypriano ad validitatem sacramenti necessaria esse censebatur.

THES. 2. **Materia proxima baptismi est vel immersio vel infusio vel aspersio.** *Certum.*

Immersio est modus antiquissimus et initio ferme unicus ; ita enim Ioannes baptizaverat ; ita Christus, eunuchus Candacis, Cornelius etc. baptizabantur ; hoc modo etiam symbolismus mortis et resurrectionis in Christo perficiendae dilucide exprimitur. Inde etiam baptisteria, fontes sacri etiam in catacumbis. At iam tempore apostolorum etiam baptismus *per infusionem vel aspersionem* (cuius usus in Ecclesia rarissimus semper fuit) invaluit : baptismus trium milium hominum die pentecostes, custodis in carcere (Act 16) vix potuit per immersionem fieri ; Didache explicite hunc modum permittit ; secundum Tertullianum baptismus est «una aspergo cuiuslibet aquae» ; ex sententia Augustini etiam «tantillum aquae» immundat infantem. Baptismus clinicorum, qui certo non fiebat per immersionem, quamvis non laudatus semper validus habebatur. Perperam ergo graeci, uti Marcus Eugenicus tempore Florentini, quandoque occidentales de baptismo per infusionem collato obiurgabant, apud quos ob causas plerumque practicas hic baptizandi mos (utpote facilior atque decentior) inde a 13. locum immersionis universaliter occupare caepit.

Nota bene : *Trina* sive immersio sive infusio probabiliter iam in

Didache praescripta ad validitatem sacramenti nunquam necessaria ducebatur. Quum Martinus Bracarensis saeculo 6. morem popularium suorum unica immersione (contra abusum quendam arianorum) baptizantium impugnaret, eundem morem Gregorius M. ratihabuit.

3. Forma. — THES. **Forma necessaria baptismi est invocatio ss. Trinitatis** *(de fide)* **et nominatio actus baptizandi** *(veritas catholica)*.

Id enim ab Eugenio IV. Armenis praescribitur ; Trid. validum habet baptismum ab haeretico in nomine ss. Trinitatis cum intentione faciendi quod facit Ecclesia collatum (7 c. 4 bapt.) ; Alexander VIII. damnavit propositionem iansenianam valuisse aliquando baptismum, ubi reticetur illud : ego te baptizo.

DEMONSTR. **Scr.** Esse aliquam baptismi formam testis est Paulus, qui baptismum «*lavacrum regenerationis in verbo vitae*» dicit. Verbum vero istud esse invocationem ss. Trinitatis, prout Christus d. mandaverat, indicat Paulus (Act 19, 2) et comprobat **Tr.** *Didache* 7, quae proculdubio modum administrandi praescribere voluit, explicite invocationem ss. Trinitatis imponit ; idem testantur Iustinus et Irenaeus. *Tertullianus* dicit : «Lex tingendi imposita est et forma praescripta : Ite inquit docete etc.» (Bapt. 13). Ita etiam Cyprianus, Firmilianus, Cappadoces, Chrysostomus etc. ; deinde *libri liturgici ;* Constitutiones apostolicae, Didascalia etc. **R.** Formae est materiam in se indeterminatam et ambiguam ad unum determinare ; quod non praestabit, nisi praeter ss. Trinitatis invocationem etiam actum denominaverit (III 66, 5). — Forma latina (primum in canonibus Hippolyti) est: «N., ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti».

DIFF. 1. N. T. saepius mentionem facit baptismatis *in nomine Iesu* collati ; Ambrosius (Spir. s. I 3) et eo innixus Nicolaus I (in responso ad Bulgaros dato *(D* 335) ita loquuntur, quasi validus sit baptismus in nomine solius Iesu collatus. — RESP. Ex opinione Lombardi hodie usque validus (etsi graviter illicitus) est baptismus solius Iesu nomine administratus ; e sententia Thomae (III 66, 6) et multorum scholasticorum fuit privilegium temporis apostolici. At theologi post Tridentinum communiter et recte docent illo «in nomine Iesu» non formam sacramenti indicari, sed baptismum christianum ab aliis (Ioannis potissimum) distingui ; namque «in nomine» idem est atque : potestate, mandato. Et revera N. T. nullibi significat se velle formam baptismi enuntiare, ubi de baptismate in nomine Iesu collato loquitur ; neque testes traditionis aliam formam atque invocationem ss. Trinitatis norunt. Ambrosius de professione fidei ante baptismum praestanda est accipiendus (= qui Christum profitetur, iam totam Trinitatem professus est), etenim alibi (Myst. 4, 20) explicite formam trinitariam exhibet ; Nicolaus I. vero de baptismo a iudaeo quodam collato interrogatus, probabiliter de recta intentione, non de forma loquitur.

2. *Ambrosius* (De sacr. II 7) narrat baptizandum ter interrogatum esse, num credat in Patrem etc., et ad singula responsa mersum esse ; ita etiam Canones Hippolyti et Testamentum d. n. I. C. ; ergo *nulla fuit invocatio*, sed tantum professio Trinitatis. Ita cum multis acatholicis etiam quidam catholici. — RESP. At *a)* teste Paulo baptismus iam apostolorum tempore erat lavacrum regenerationis in verbo vitae ; aderat ergo forma quaedam ; *b)* haec forma ex omnium supra appellatorum et aliorum plurimorum testimonio erat invocatio ss. Trinitatis. Paucissimi qui ab adversariis invocantur, probabiliter non quod a ministro, sed quod a suscipiente erat praestandum, narrant.

§ 90. Effectus et necessitas baptismi.

1. Effectus. — THES. **Per baptismum delentur peccata omnia ante baptismum commissa eorumque paena, confertur gratia sanctificans eiusque comitatus, et imprimitur character.** *De fide.*

Novatores saeculi 16. efficaciam baptismi hinc quidem diminuunt eum pro incitamento fidei tantum habentes et characterem negantes, illinc vero nimium extollunt docendo, quaecunque peccata post baptismum commissa «per regressum quendam et reditum ad baptismum» auferri. E contra iam Nicaen. profitetur unum baptisma in remissionem peccatorum ; post Viennense deinde Decretum pro Armenis thesim nostram integram enuntiat; *Trid.* (7 c. 6—10) superlationes Lutheri reicit, et (c. 5) eos anathematizat, qui per gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negaverint aut asserant non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet ; characterem per baptismum imprimi iam antea definierat (§ 86, 3).

DEMONSTR. 1. *Baptismus delet peccata omnia antea commissa.* **Scr.** Iam propheta praenuntiat pro tempore Messiae : «*Effundam super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*» Ez 36 ; Petrus turbam ad pentecostem congregatam hortatur, ut in remissionem peccatorum suorum baptizentur (Act 2) ; Apostolus dicit : «*Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata*» Eph 5. In baptismo consepulti sumus cum Christo et ex integro mortui homini veteri 1 Cor 6 ; Col 2 ; Rom 6. **Tr.** Patrum testimonium est unanime (cf. Did. 9, 5 ; Tert. Bapt. 1. 5.)

2. *Baptismus confert gratiam sanctificantem eiusque comitatum.* **Scr.** E doctrina ipsius Christi d. per baptismum ex aqua et Spiritu Sancto renascimur (Jn 3). Docente s. Paulo christianus per baptismum exuit veterem hominem et induit novum, qui est secundum Christum ; fit nova creatura, moritur peccato et reviviscit Deo. «*Deus secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus s., quem effudit in nos abunde per Iesum Christum salvatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius heredes simus*» Tit 3. **Tr.** Iam Iustinus christianos per baptismum Verbo veritatis et gratiae esse illuminatos affirmat. Spiritum s. dari per baptismum tam firma erat Patrum persuasio, ut *adversus Macedonium* eo quoque arguerent : si Spiritus s. non esset vere Deus, baptismate non in vitae novitatem renasceremur. **R.** Sequitur ex praecedenti asserto ; namque *nulla* datur in ordine praesenti *peccatorum remissio sine gratiae infusione.* Quapropter falso quidam scholastici putabant infantibus deleri quidem peccatum originale per baptismum, at non eis infundi gratiam et virtutes, quippe qui habitibus nondum uti valeant.

3. *Cum reatu culpae deletur omnis paenae quoque et temporalis et aeternae reatus*, ita ut baptismate renatos «nihil prorsus ab ingressu caeli remoretur» (Trid. 5 c. 5). **Scr.** E doctrina s. Pauli vetus homo ex integro

mortuus est in Christo et novus surrexit ; «*nihil ergo nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Iesu*» Rom 8. **Tr.** *Tert.* dicit : «Exempto reatu eximitur et paena ; ita restituitur homo Deo ad similitudinem eius, qui retro ad imaginem Dei fuerat» (Bapt. 5), cui adstipulatur etiam *August.* (Ep. Pel. II 3, 5 ; Civ. XIII 4). Confirmatur hoc praxi Ecclesiae baptizatis nullam paenitentiam imponentis.

Nota bene : *Concupiscentia* per baptismum non aufertur. Per se enim est consecutio naturae humanae compositae ex corpore atque anima et in statu pristino per peculiare donum praeternaturale (integritatis) erat exstincta. Quod Christus noluit largiri in praesenti, ut concupiscentia sit admonitio lapsus et palaestra boni agonis.

4. *Baptismus imprimit characterem.* Demonstratum est § 86, 3. Hic de *natura* eius quaeritur. *a)* Character formaliter in eo consistit quod homo quoad principium vitae supernaturalis Christo conformatur ; «*Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis*» Gal 3 ; est quasi nova nativitas ad vitam in Christo supernaturalem habilitans, unde nec iterari potest : «Uterus partus non repetit» (August.). *b)* Per configurationem hanc obligat et inserit hominem corpori mystico Christi : «*In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive iudaei, sive gentiles, sive servi, sive liberi*» 1 Cor 12. Et ideo per hanc ianuam spiritualem ingressis iam omnia bona spiritualia Ecclesiae, gratiae thesaurus et sacramenta patent, sed simul obligationes christianorum incumbunt ; per baptismum quivis membrum fit corporis Christi mystici, quod est Ecclesia, atque adeo subicitur iurisdictioni ecclesiasticae.

COROLL. *Baptismus obice remoto reviviscit.* Certum. Etenim quicunque cum obice (e loquendi modo Augustini : «ficte») susceperit baptismum, adhuc potest salvari ; atqui peccatum originale et personalia ante baptismum commissa non possunt remitti nisi baptismo, quem iterari non licet. Ergo si baptismus ficte susceptus non revivisceret, quidam baptizati non possent salvari. — Nota bene : *Gratia sacramentalis baptismi* ex praecedentibus est : remissio omnium peccatorum venialium et paenarum temporalium cum habilitate ad gratias actuales, novitatem vitae in baptismo acceptae efficaciter iuvantes.

2. Necessitas. — THES. 1. **Baptisma ex institutione divina ad vitam aeternam adipiscendam omnibus est necessarium.** *De fide.*

Ex opinione *pelagianorum* baptismus necessarius est ad regnum caelorum, non autem ad vitam aeternam consequendam. Cum *novatorum* principio materiali de sola fide salvifica necessitas baptismi non componitur ; nihilominus Luther eam infitiari non est ausus ; ita autem zwingliani et sociniani ; Calvinus necessitatem pro infantibus christianorum negavit. Trid. 7 c. 5 eum anathematizat, qui dixerit baptismum liberum esse, *h. e. non esse necessarium ad salutem.*

DEMONSTR. **Scr.** *Christus* d. in colloquio cum Nicodemo Jn 3 necessitatem medii, ante ascensionem mandato baptismatis Mt 28 necessitatem praecepti enuntiavit. Quam deinde necessitatem *apostoli* confirmant, quum omnes, etiam via miraculosa conversos baptizare festinarent, uti Cornelium, Paulum (Act 10. 9). **Tr.** Antiquis tam firma erat persuasio necessitatis, ut ex opinione Hermae (simil. 9, 16) etiam patres V. T.-i in limbo patrum ante assumptionem in caelos baptizati sint. *Tertullianus* diserte enuntiat : «Praescribitur nemini sine baptismo competere salutem»

(Bapt. 12). *Augustinus:* «Quisquis dixerit, quod in Christo vivificantur etiam parvuli, qui sine sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profecto et contra apostolicam praedicationem venit et totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur et curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo vivificari omnino non posse» (Ep. 166, 21 ; Anim. orig. III 9, 12). His argumentum ex praxi Ecclesiae, *paedobaptismus* assignatur. **R.** Necessitas universalis baptismi ex eo colligitur, quod est *sacramentum regenerationis ;* ad quemcunque enim vitae ordinem primo nasci est necesse. Inde necessitas baptismi est etiam necessitas medii, et non meri praecepti.

QUAEST. *Ex quo tempore est promulgata lex baptismi?* Haec quaestio ideo est alicuius momenti, quia dicente Trid. (6 cp 4) post evangelium promulgatum iustificatio non fit absque sacramento baptismi vel eius voto. — Dicendum : Certo non ante ascensionem Domini ; etenim tunc demum suis dedit mandatum universale. Et quia lex non promulgata non obligat, ulterius quaeritur, ex quonam evangelium promulgatum esse sit censendum. Communior et probabilior est sententia id non esse factum in prima pentecoste, sed pro diversis gentibus temporibus diversis. Nunc iam, imo forsitan a pluribus iam saeculis omnibus gentibus evangelium esse promulgatum, plerique affirmant, paucioribus contradicentibus et ab Ecclesia propterea non notatis.

THES. 2. **Baptismus fluminis suppleri potest per baptismum flaminis et sanguinis.** *Certum.*

EXPLIC. Sacramento baptismi, baptismo *fluminis* seu per aquam collato opponitur baptismus *flaminis* (a v. flare = spirare, sc. amorem ; est etiam nomen Spiritus s.), qui est caritas perfecta cum voto baptismi fluminis, quod eo ipso in caritate perfecta continetur. Docente Trid. iustificatio «post evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut eius voto fieri non potest» (6 cp 4). Baptismus *sanguinis* est martyrium (cf. § 13, 3). Est vetus adagium trinum baptismum efferens : Unda purgat, flamma lustrat, flamen vivificat.

DEMONSTR. 1. *Baptismus flaminis.* — **Scr.** Iam in V. T.-o nemo a salutis portu arcetur, qui sincero animo Deum quaerit totoque corde se ei dedit : «*Si impius egerit paenitentiam ab omnibus peccatis suis, vita vivet et non morietur*» Ez 18 ; «*Diligentes me diligam*» Prov 8. Christus d. dicit scribae : «*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo . . . hoc fac et vives*» Lc 10 ; «*Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et diligam eum et manifestabo ei meipsum*» Jn 14. Cornelius accepit Spiritum Sanctum antequam baptizaretur Act 10. **Tr.** *Cyprianus* qui baptismum haereticorum invalidum habuit, tamen haereticum bona fide baptizatum salvari Dei misericordia docet (Ep. 73, 23). «In Spiritu s. (= Flamine) posse homines sine aqua baptizari», affirmat Liber de rebaptismate. *Ambr. de Valentiniano II*, qui catecmehunus obiverat, dicit: «Hunc sua pietas abluit et voluntas» (53). **R.** *Deus omnes severe vult salvari, si et ipsi velint ;* quod obtinet eis, qui perfecta caritate ad Deum amplectendum convertuntur (III 68, 4 ad 2).

2. *Baptismus sanguinis.* — **Scr.** Christus d. dicit : «*Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum*» Mt 5 ; «*Qui autem perdiderit animam suam propter me et evan-*

gelium, salvam faciet eam» Mc 8. Ioannes magnam turbam vidit in caelesti Ierusalem : «*Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni*» Ap 7. **Tr.** In martyrio Perpetuae et Felicitatis martyrium baptisma secundum vocatur. Dicente *Tert.* (Bapt. 16) est nobis etiam secundum lavacrum, sanguinis sc. «Hic est baptismus, qui lavacrum et non acceptum repraesentat et perditum reddit». Secundum *Cypr.* (Ep. 73) catechumeni martyrium subeuntes «non privantur baptismatis sacramento, utpote qui baptizentur gloriosissimo et maximo sanguinis baptismo». Ecclesia tales martyres cultu quoque prosequebatur, uti docet festum Innocentium, s. Emerentianae (collactaneae s. Agnetis). **R.** Secundum Thomam (III 66, 11. 12) *vis baptismi* inde repetitur, quod morti Domini configuret: «quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus» Rom 6; id fit sacramentaliter per baptismum fluminis, non sacramentaliter caritate perfecta et martyrio; namque «maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis» Jn 15.

QUAEST. Quod ad *effectum baptismatis* flaminis et sanguinis attinet, *utrumque* peccata delet et gratiam sanctificantem confert ; sed *neutrum* characterem imprimit vel gratiam sacramentalem communicat. Praeterea martyrium delet etiam paenas temporales ; est perantiqua et communis persuasio Ecclesiae : «Iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre». Similis effectus ingressui in religionem medio aevo tribuebatur : baptismus monachorum (2II 189, 3). — Quoad *efficientiam* baptismus *flaminis* iustificat ex opere operantis, *martyrium* quasi ex opere operato, atque ideo etiam infantibus inferri potest : «aetas necdum habilis ad pugnam, idonea extitit ad coronam» dicit Cypr. (Ep. 56). de Innocentibus Dicitur efficacitas martyrii «quasi» ex opere operato, quia carnifices non sunt sicut sacerdotes instrumenta gratiae conferendae.

ADDIT. *De infantibus qui sine baptismo moriuntur*, communior et *tutior est sententia* eos a regno caelorum arceri, quin tamen cruciatibus afficerentur ; imo probabile est eos non carere beatitudine quadam naturali (cf. § 50, 4), ita ut omnibus consideratis melius sit eis sic esse quam omnino non esse. Quibusdam tamen ab exeunte medio aevo praeplacet opinio etiam infantibus sine baptismate decedentibus *viam salutis patere*, eo quod etiam eos Deus severe velit salvos fieri, deinde quod Christus d. de infantibus non baptizatis dixerit talium esse regnum caelorum, denique quod lex baptismatis eis non sit promulgata. — *Quonam autem modo* voluntas Dei salvifica quoad infantes non baptizatos ad effectum perducatur, non est omnium una sententia : Antiquiores cum *Caietano* ex votis parentum infantes tales salvari posse docebant ; ex sententia *Klee* in instanti mortis miro modo ad usum mentis evehuntur, ita ut votum baptismi elicere valeant ; ex opinione *Schell* morte praematura ex odio satanae, principis mortis secuta quasi martyrium subeunt. Quae omnes sententiae difficultatibus plus minus gravibus premuntur, ita ut standum sit universali necessitati et administrationi baptismatis.

§ 91. Minister et subiectum baptismi.

1. Minister. — THES. **Minister baptismi sollemnis est episcopus et tamquam vicarius eius ordinarius parochus vel alius sacerdos, extraordinarius diaconus ; minister necessitatis est quivis homo.** *Veritas catholica.*

EXPLIC. Episcopus est *minister sollemnitatis*, qui servatis omnibus ab Ecclesia praescriptis temporibus sollemnibus (paschatis et pentecostes) baptizat ; *minister sollemnis ordinarius* est parochus, qui servatis praescriptis ex potestate ordinis et iurisdictionis baptizat ; ex eius delegatione deinde quilibet sacerdos ; minister sollemnis *extraordinarius* est diaconus, qui ex speciali delegatione vi ordinis ritibus servatis baptizat ; minister *necessitatis* est quilibet etiam laicus, qui urgente necessitate (in articulo mortis) omissis ceremoniis baptizat. Iam Lateran. IV. definierat baptismum a quovis rite collatum proficere ad salutem. Decretum pro Armenis thesim proponit *(D* 430. 696 ; cf. CIC 737, 2. 759, 1).

DEMONSTR. **Scr.** Mandatum baptizandi Mt 28 immediate apostolis erat datum. Sed ipsi persuasum sibi habebant se potestatem istam aliis posse conferre : *Philippus* diaconus et eunuchum et alios multos in Samaria baptizavit ; *Ananias* Paulum baptizans probabiliter laicus fuit Act 9 ; *Paulus* ipse corinthiis affirmat : «Non misit me Christus baptizare (i. e. munus hoc aliis quoque committi potest), sed evangelizare» 1 Cor 1. **Tr.** Thesis ab initio implicite assumpta pedetentim enucleata est : *a)* Quid *primis duobus saeculis* senserint, Tertullianus manifestat : «Dandi (baptismum) ius habet summus sacerdos, qui est episcopus, dehinc presbyteri et diaconi. Alioqui etiam laicis ius est» (Bapt. 17). *b) Saeculo 3.* propter controversiam de rebaptizandis haereticis explicite pronuntiabatur etiam haereticos valide baptizare. *c)* Utrum etiam non baptizati possint baptismum conferre Augustinus asserit, at non commendat, sed ad synodum rem revolvit (Bapt. VII 53, 102 ; Ep. Parm. II 13, 30). *Nicolaus I.* baptismum a iudaeo collatum ratum haberi voluit. *d) Circa a. 1000* demum baptismus mulierum, quae usque tunc a baptismo conferendo arcebantur, palam admittebatur. **R.** Quum baptismus sit *sacramentum universaliter necessarium*, convenit imo oportet, ut suscipiendi facultas quoque sit universalis (III 67, 3. 4).

In baptismate extra casum necessitatis *patrinos* esse adhibendos de lege Ecclesiae iam Tertullianus est testis (cf. CIC 762).

2. Subiectum. — 1. **Subiectum baptismi est quilibet homo non baptizatus.** *De fide* ex ordinario Ecclesiae magisterio.

DEMONSTR. **Scr.** Mandatum baptismi omnibus est destinatum ; item colloquium Christi d. cum Nicodemo rationem universalem significat : omnibus necesse est renasci ex peccato per Spiritum s. Jn 3. Ideo dicit Paulus : «*Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est iudaeus neque graecus, non est servus neque liber, non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Iesu*» Gal 3. **Tr.** Ecclesia omnes ad baptismum admisit, neque vel corpore vel anima aegrotos (perpetuo amentes) exclusit.

THES. 2. **Etiam infantes baptizari possunt et debent.** *De fide.*

Pelagiani negabant necessitatem paedobaptismi. Paedobaptismus repugnat principio materali novatorum de sola fide, at consequenter *anabaptistae, sociniani et baptistae* tantum paedobaptismum reiciebant. Tridentinum definivit (5 c. 4) «*parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos* esse, *etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti*».

DEMONSTR. **Scr.** Paedobaptismus formaliter explicite s. Litteris non continetur, utique autem implicite. 1) Adest etiam pro ipsis necessitas medii : *a) peccatum originale* etiam parvulis inhaeret ; si ergo aegritudinem contrahunt, etiam medicinae capaces sint oportet. *b)* Revera etiam *creatura irrationalis* ingemiscens et parturiens usque adhuc revelationem filiorum Dei et liberationem a corruptione exspectat Rom 8 ; et Deus potens est etiam de lapidibus filios Abrahae suscitare Mt 3 ; quanto magis ex infantibus, de quibus ipse Dominus dixit, quod angeli eorum semper videant faciem Patris, deinde quod iis similes fieri debeant, quicunque regnum caelorum intrare nitantur. 2) Adest necessitas (ergo etiam capacitas) praecepti : Christus in caelum ascensurus Mt 28 apostolos mittit, ut discipulos faciant (ita graece : μαθητεύσατε) *omnes gentes*, in quibus utique etiam pueri sunt quam plurimi. 3) Confirmatur *a)* factis : *In familiis ab apostolis baptizatis* (Cornelii, Lydiae, custodis carceris, Stephanae) probabiliter etiam infantes erant ; *b)* analogia : *In V. T.-o pueri per circumcisionem* in communionem theocratiae sunt admissi, eo magis ergo eis communio caritatis pateat oportet.

Tr. Iam *Iren.* (II 22, 4) omnes etiam «infantes et parvulos et pueros» in Christo renasci debere docet. *Tert.* (Bapt. 18) non laudat quidem, sed eo ipso testatur usum paedobaptismi, quem *Origenes* (in Rom 5, 9) apostolicam traditionem esse asseverat .Quum saeculo 3. et 4. mos invalesceret baptismum usque ad maturiorem aetatem differendi, (ut innocentia baptismalis facilius servaretur, vel ut officia gravia christiana suscipienda differrentur), Cappadoces (Nyssen : Ctra differentes baptismum), Chrysostomus, Ambrosius hunc abusum acriter impugnarunt, et *Augustinus* adversus errorem Pelagii iam ad universalem usum et persuasionem Ecclesiae provocare potuit : «Et ipsi (parvuli) portantur ad Ecclesiam, etsi pedibus illuc currere non possint . . . Nemo ergo vobis susurret alienas doctrinas. Hoc Ecclesia semper habuit, semper tenuit» (Sermo 276). **R.** *a)* Conveniens est, ut qui *absque voluntatis consensu contraxerint peccatum originale*, etiam absque consensu liberentur. Etenim sunt hinc quidem capaces gratiae ex potentia obedientiali, illinc vero baptismo non ponunt obicem ; qui ergo ex opere operato effectum suum proferre potest. *b)* Construitur ordo supernaturalis *ad exemplar ordinis naturalis*. Sicut ergo ad vitam naturalem non interrogati, absque voluntatis assensu nascimur, ita nos convenit ad vitam supernaturalem quoque sine voluntatis assensu renasci.

DIFF. 1. *Sine fide impossibile est placere Deo:* qui crediderit et baptizatus fuerit, hic salvus erit. — RESP. Ad effectus primarios baptismi (gratiam, characterem) accipiendos etiam infantes sunt capaces. Obligatio fidei ac vitae christianae est sequela utique etiam ab infantibus suscipienda, quam tamen pro ipsis Ecclesia (per patrinos et parentes) spondet.

2. *Iniustum est, ut aliquis absque consensu ad tam gravia officia* quales statu christiano continentur, *obligetur; Erasmus* ergo et multi alii rationalistae ponunt infantes baptizatos quum adoleverint, interrogandos esse, an ratum haberi velint, quod patrini eorum nomine polliciti sint ; et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos. — Quae opinio damnata est a Trid. (7 c. 14). Nam *a)* baptismo homo *non ad officia specialia* (v. g. caelibatus) obligatur, sed ad ea sine quibus salus non acquiritur ; quod equidem a nemine sano iniustum habetur ; neque in civilibus pactiones a tutoribus in eorum favorem confectas, ubi adolescunt, ratas habere recusant. *b) Non interrogati ad vitam temporalem eiusque onera nascimur;*

quid ergo iniuriae est renasci ad vitam aeternam in Deo agendam absque voluntatis praevio consensu?

QUAEST. 1. *Quando infantes baptizari possunt et debent?* — *Possunt* baptizari simulatque homines possunt vocari ; ergo etiam in uteris matrum. Non obest illud Augustini : «Qui natus non fuerit, renasci non potest» (Pecc. merit. II 27) ; qui enim conceptus est, iam natus est peccato, ergo capax est gratiae reconciliationis. — *Debent* baptizari in periculo mortis iure divino ; quo citius etiam extra periculum e iure ecclesiastico (CIC 770).

2. *Licetne vel oportetne baptizare infantes non christianorum invitis parentibus?* — Quum cura puerorum de iure naturali sit parentum, non licet, excepto articulo mortis. Qui tamen quocunque modo iam baptizati sunt, in eos Ecclesia acquisivit ius divinum, atque ideo in Ecclesia sunt educandi, nisi bono communi Ecclesiae grave damnum inde oriatur (CIC 750).

Caput 3. De confirmatione.

Quaeritur 1. de veritate, 2. de usu sacramentali confirmationis.

Tractatus. Bellarminus: Controversiae III (primus qui monographice rem tractat) ; C. *Witasse:* Tr. de confirmatione 1738 ; L. *Janssens:* La confirmation ; exposé dogmatique, historique et liturgique 1888 ; A. F. *Wirgman:* The doctrine of confirmation 1902 ; F. *Dölger:* Das Sakrament der Firmung 1906 ; J. B. *Umberg:* Die Schriftlehre vom Sakrament der Firmung 1920.

§ 92 Veritas sacramentalis confirmationis.

Statuuntur 1. institutio, 2. materia, 3. forma confirmationis.

1. Institutio. — THES. **Confirmatio est verum sacramentum n. Legis a Christo institutum.** *De fide.*

EXPLIC. *Confirmatio* est sacramentum n. Legis, quo baptizatis Spiritus s. confertur ad firmiter credendum et ad fidem strenue profitendam. *Vocatur* ab effectu etiam sacramentum Spiritus s., signaculum, sigillum ; a signo χειροθεσία, sacramentum chrismatis, μύρον ; collatum cum baptismate consummatio, τελείωσις. *Novatiani* confirmationem neglegebant, *waldenses et albigenses* institutionem eius divinam negabant, *novatores* vero eam meram ceremoniam protestandae fidei cum catechumenatu coniunctam habebant, contra quos *Trid.* (7 c. 1 conf.) definivit : «*Si qu. d. confirmationem baptizatorum otiosam ceremoniam esse, et non potius verum et prodrium sacramentum;* aut olim nihil aliud fuisse quam catechesim quandam qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia exponebanta. s.» Pius X. damnavit assertum modernistarum (eis cum rationalistis protestantibus commune) non esse exploratum confirmationem ut sacramentum a baptismo distinctum tempore apostolorum in usu fuisse (Lament. 44).

DEMONSTR. **Scr.** E Litteris d. indoles sacramentalis confirmationis explicite, institutio a Christo facta implicite probatur. Christus d. Spiritum s., cuius effusionem iam Ioel 2 ut complexionem bonorum messianorum exspectaverat, promisit omnibus credentibus, eumque distinctum ab illa Spiritus donatione, quae iustificationem comitatur ; etenim daturus erat Spiritum s. post glorificationem, etiam apostolis, qui tamen iam antea erant iustificati et sanctificati : «*Si quis sitit, veniat*

ad me et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum; nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus» Jn 7 ; *«Expedit vobis, ut ego vadam. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos»* Jn 16 ; *«Et ego mittam promissum Patris mei in vos; vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto»* Lc 24. Spiritum s. apostoli *acceperunt* die pentecostae. Quoniam autem Spiritus s. ex promissione Christi, quam Petrus ad populum dicens confirmavit, omnibus credentibus erat dandus, nec pentecostae miraculum repetendum, consequens erat, ut Christus d. modo quodam ordinario et constanti fidelibus consuluerit. Et revera in Act 8 legitur : «Cum autem audissent apostoli qui erant Ierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Ioannem. Qui cum venissent, *oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum*».

Hic *omnia veri sacramenti elementa* adsunt : *a) Signum* sensibile : impositio manus (cheirothesia) cum oratione, necnon *effectus* supernaturalis : communicatio Spiritus s. ; et non tantum collatio charismatum, ut volunt rationalistae nostri. *Charismata* enim non semper Spiritus s. effusionem comitabantur, nec ritui ordinario erant alligata (cf. 1 Cor 12) ; praeterea absonum esset a Christo et apostolis Spiritum s., complexionem donorum messianorum in charismatis, quae etiam indignis conferuntur, cerni. *b)* Communicatio Spiritus s. per orationem et impositionem manus est *ritus perpetuus* ordinarius in Ecclesia, ut testatur Paulus discipulis quibusdam Ioannis Ephesi manus ad Spiritum s. dandum imponens Act 19 ; et Heb 6 eam cum baptismo inter elementa fidei enumerans ; item voluntas Christi supra commemorata fidelibus omnibus dandi Spiritum s. *c)* Est *adaequate distincta a baptismo;* nam samaritanis iam baptizatis, item Ephesi discipulis Ioannis post baptisma confertur. *d)* His implicite indicatur *institutio per Christum* facta : ritum enim ordinarium ad elementa fidei pertinentem, Spiritum Christi conferentem apostoli ex propria auctoritate non potuerunt administrare. Confirmatio ergo instituta est vel quando Christus Spiritum s. promisit (III 72, 1 ad 1) ; vel vero quum post resurrectionem per quadraginta dies apparens apostolis multum de regno Dei loquebatur. — Nota bene : *Typi biblici* confirmationis sunt : dies secundus hexaemeri, columba diluvii, nubes obumbrans israelitas vagantes per desertum, mundatio leprosorum (lotio et unctio).

Tr. Si *Patres antiquissimi* non explicite de confirmatione loquuntur, non est quod miremur ; etenim confirmatio ut sacramentum initiationis christianae simul cum baptismo conferebatur, quacum quasi unum liturgicum constituebat. A s. 2. autem diserta sunt testimonia. *Tert.* narrat : «Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione . . . Dehinc manus imponitur advocans et invitans Spiritum s.» (Bapt. 7 ; cf. Carn. resur. 8, § 86, 1). *Cypr.* postquam factum Samariae ex Act 8 allegaverat dicit : «Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, praepositis Ecclesiae offerantur et per nostram orationem et manus impositionem Spiritum s. consequantur et signaculo dominico

consummentur» (Ep. 73). *Cornelius* papa acriter increpat Novatianum, quod clinicus ut erat, non receperit signaculum ab episcopo, neque Spiritum proinde haberet. Canones Hippolyti, Ordo Ecclesiasticus aegyptius, *Euchologium Serapionis* accuratius describunt iam ritum conferendi hoc sacramentum, et testimonia inde ab ineunte saeculo 4. sunt locupletissima (Aug. Trin. XV 26, 46; Lit. Pet. II 104, 239; in Jn 3, 5; in Ps 26, 2). Traditio monumentalis ex hoc tempore exhibet iam peculiaria chrismaria seu consignatoria.

Falso ergo ab eis qui ex rationalistis historiam religionis colunt asseritur confirmationem *ex cultu Mithrae* vel ex aliis mysteriis paganis esse mutuatam (cf. etiam § 87, 1).

2. Materia. — THES. 1. **Materia proxima confirmationis est unctio chrismatis cum impositione manus comitanti.** *Communius et probabilius.*

Quoad materiam proximam confirmationis *quattuor sunt sententiae* possibiles: 1. *impositio manus* (Petavius, Sirmond); 2. *unctio chrismatis* (Gregorius de Valentia); 3. *alterutrum* pro arbitrio Ecclesiae (Morinus); 4. *utrumque*, sc. chrismatio cum ea manus impositione quae unctionem comitatur; ita Thomas (III 84, 4; Gent. IV 60; at III 72, 2. 9) et deinceps maior pars theologorum.

a) Manus impositio certo ad materiam proximam confirmationis pertinet. Etenim Scriptura id explicite et diserte identidem enuntiat; Patres graeci antiquissimi si rem silentio praetereunt, non tamen excludunt; Cyrillus H., Constitutiones Apostolicae, Testamentum d. n. I. C. explicite commemorant; item enuntiationes authenticae Ecclesiae ab Innocentio III. usque ad CIC. Si Decretum pro Armenis dicit: «loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesia confirmatio», id tantum statuere vult, nunc confirmationem vocari, quod ante manus impositio appellabatur. Falsa est ergo sententia supra secundo loco posita. — *b) Unctionis* primus testis disertus est Origenes (in Lev. 6, 5) et dehinc plurimi etiam occidentales, uti Optatus, Augustinus (in Jn 118, 5; serm. 227. 324) et imprimis Innocentius I. *(D* 98). Scriptura etsi taceat, non contradicit; vix enim effectus confirmationis unctio Spiritus dici potuisset, si ritus penitus fuisset ignotus. Quodsi addantur declarationes authenticae Ecclesiae (Decr. pro Arm., Trid.), apparet non posse teneri primam sententiam. — *c) Tertia sententia* eo sensu accepta quod sacramentum in genere tantum sit a Christo d. institutum et ritus labente tempore ab Ecclesia accuratius sit determinatus (initio manus impositio cum oratione; ab exeunte s. 2. accesserit signum crucis in fronte positum, in ecclesia occidentali a fine saeculi 4. etiam unctio, in orientali prius), non est penitus improbabilis. Nihilominus si omnia supra dicta diligenter expendantur, nimirum tam manus impositionem Scripturā quam unctionem traditione enixe commendari, vix nisi quarta sententia teneri potest. Simulque apparet in ritu, quem ecclesia occidentalis nunc exercet, non primam χειροτονία-m, sed secundam impositionem, χειροθεσία-m esse de materia sacramenti. — *Unctio in fronte per signum crucis*, cuius testis est iam Tertullianus, probabilissime ad essentiam sacramenti pertinet. Non ita alapa.

THES. 2. **Materia remota confirmationis est oleum olivarum cum balsamo admixto ab episcopo benedictum.** *Certum.*

Oleum olivarum certo est de necessitate materiae; omnes enim testes non nisi ἔλαιον, quod oleum olivarum est, norunt. Admixtio bal-

sami ex opinione multorum pariter est de necessitate ; at antiquissimi non commemorant, et adhuc Innocentius III. confirmationem solo oleo collatam non est ausus invalidam habere. Benedictio episcopi est perantiqua : Tertullianus (Bapt. 7), Cyprianus (Ep. 70, 2), Canones Hippolyti, Constitutiones Apostolicae, Euchologium Serapionis eam testantur ; quare adversus scotistas probabilior est sententia thomistarum eam esse de necessitate sacramenti. Graeci patriarchis illam benedictionem reservant, in qua deinde efficientiam sacramenti potissimum reponunt.

3. Forma. — THES. **Forma confirmationis est oratio enuntians augmentum gratiae sanctificantis per Spiritum s. conferendum.** *Probabilissimum.* — E Litteris s. eruitur orationem aliquam fuisse formam confirmationis ; quidnam autem eius fuerit argumentum, ab antiquis silentio praeteritur ; forsitan etiam ideo, ne secretum Domini prodere videantur (Innocent. I). A saeculo 4. in ecclesia graeca invaluit haec forma : Σφραγὶς δωρεᾶς Πνεύματος ἁγίου ἀμήν. Forma latina : «Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine P. et F. et Sp. s.» a saeculo 9. nota, cca a. 1250 invalere caepit. Praeterea multae aliae quoque formae usurpabantur. Ex quo colligere licet formam a Christo d. non fuisse determinatam nisi in genere. Omnes autem formae in eo conveniunt, quod effectum principalem, robur Spiritus s. enuntiant ; quod etiam rei natura suadetur : aliter enim de intentione faciendi quod Christus voluit non potest certo constare.

Nota bene : Forma tam latina quam graeca nunc usitata *non est deprecativa;* nihilominus ambae orationis nomine sunt habendae ; etenim effectum sacramenti a Deo exspectant ; ergo materialiter sunt orationes, etsi non formaliter.

§ 93. Usus sacramentalis confirmationis.

Statuuntur 1. effectus, 2. minister, 3. subiectum confirmationis.

1. Effectus. — THES. **Effectus confirmationis sunt augmentum gratiae sanctificantis per specialem communicationem Spiritus s., robur animae et character.** *De fide* ex praecedentibus.

1. *Augmentum gratiae sanctificantis per specialem communionem Spiritus s.* — Spiritum s. dari per confirmationem sat superque ex iis quae de institutione sacramenti dicta sunt, apparet ; et quum confirmatio sit sacramentum vivorum, Spiritus s. communicatio non potest nisi ad gratiam primam augendam perficiendamque dari, ut ipsum nomen sacramenti indicat : confirmatio, consummatio, sigillum. Qui enim per baptismum christiani effecti sunt, quasi infantes modo geniti teneritatem adhuc et mollitiem quandam habent, ac deinde chrismatis sacramento robustiores fiunt et eorum animus in fide omnino confirmatur (Cat. Rom. II 3, 20) ; quasi adulescentiam in Christo adipiscuntur, ut ad verum perducatur illud Domini : «*Ego veni, ut vitam habeant et abundantius habeant*» Jn 10.

Licet ergo etiam baptismate ut sacramento regenerationis Spiritus s. conferatur, confirmatio tamen non est geminatio inanis baptismatis; sed res ita se habet: *Per baptismum* primarie gratia sanctificans, donum supernaturale impersonale datur, et Spiritus s. per concomitantiam tantum; *confirmatione* vero primarie Spiritus ut donum supernaturale increatum et personale advenit atque in anima inhabitat. Ideo confirmatio etiam complementum baptismi dicitur. Hic effectus aptissime significatur per impositionem manus (III 84, 4 c).

2. *Gratia sacramentalis confirmationis est robur animae*, «quia in ea datur Spiritus s. ad robur, sicut datus est apostolis in die pentecostae, ut videlicet christianus audacter Christi confiteatur nomen. Ideoque in fronte, ubi verecundiae sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat et praecipue crucem eius, quae iudaeis quidem est scandalum, gentibus autem stultitia; propter quod signo crucis datur» (Decr. pro Arm.) Hoc robur in donis Spiritus s. imprimis constat (Aug. Bapt. III 6) et etiam unctione olei significatur: confirmatus iam strenuam militiam Christi est prosecuturus; fit «Christi bonus odor Deo in iis qui salvi fiunt et in iis qui pereunt» 2 Cor 2: «Accipietis virtutem supervenientis Spiritus s. in vos et eritis mihi testes in Ierusalem . . . et usque ad ultimum terrae» Act 1.

3. *Character* confirmatione impressus probatur omnibus, quibus existentia characteris generatim demonstratur; quae enim e Litteris s. pro existentia characteris afferri possunt, signationem a Spiritu s. factam potissimum edicunt. Quod ad traditionem attinet, primis temporibus explicita mentio characteris confirmatione impressi non fit; sed quia confirmatio cum baptismate tamquam unum liturgicum considerabatur, quae a Patribus de charactere baptismali dicuntur, etiam ad confirmationem referantur oportet. Explicite testantur eum Cyrillus Hier., Optatus et Augustinus (Petil. II 104): «Sacramentum chrismatis in genere signaculorum est, sicut ipse baptismus; potest esse et in hominibus pessimis». Communis deinde erat persuasio confirmationem valide collatam iterari non posse; etsi interdum dubii haeserint veteres, utrum confirmatio haereticorum sit valida.

Character confirmationis *est* signum obligans et configurans Christo regi et duci veritatis aeternae. Quibus eius signum appositum est sicuti Thau illud mysticum Ez 9, in perpetuum militiae Christi sunt adscripti: «Usque ad mortem certa pro iustitia, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos» Sir 4; «Ut adamantem et silicem dedi faciem tuam; ne timeas eos, neque metuas a facie eorum!» Ez 3.

2. Minister. — THES. 1. **Minister ordinarius confirmationis est episcopus.** *De fide.* — Adversus schismaticos, waldenses et hussitas Trid. (7 c. 3 conf.) definivit: «*Si qu. d. sanctae confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, a. s.*»

DEMONSTR. **Scr.** Nusquam legitur alios atque apostolos confirmationem administrasse; immo Petrus et Ioannes gravibus periculis non obstantibus Samariam petebant, nec Philippo rem committebant; Paulus qui alioqui baptismum aliis reliquit, Ephesi ipse discipulis illis

Ioannis imposuit manum. **Tr.** Id explicite testantur non modo latini inde a Cornelio papa, sed etiam graeci, uti Firmilianus, synodus Eliberitana, Didascalia, Ordo Ecclesiasticus aegyptius, Constitutiones Apostolicae etc. **R.** *a)* Confirmatio est *consummatio* christiana ; convenit ergo ut ab eo administretur, qui in sacerdotii culmine constituitur (III 72, 11). *b)* Decet ut fideles *militiae Christi* per vicarium eius et quasi belliducem adscribantur (Gent IV 60). *c)* Utile est, ut *episcopus summus pastor* cum singulis fidelibus per confirmationem nexum personalem sacerdotalem ineat.

THES. 2. **Minister extraordinarius est presbyter,** *cui vel iure communi vel peculiari Sedis Ap. indulto ea facultas concessa sit* (CIC 782, 2).*Certum.*

DEMONSTR. Litterae d. thesim neque asserunt neque excludunt. Traditionis testimonium autem disertum est. Constat enim apud graecos iam diu ante Photium confirmationem a presbyteris quoque esse collatam. Secundum *Constitutiones Apostolicas* (VIII 28) χειροθετεῖ, οὐ χειροτονεῖ i. e. confirmat sed non ordinat presbyter. Sed hic usus neque ab ecclesia latina alienus erat : «Quid enim facit excepta ordinatione episcopus quod presbyter non facit?» (Hieron. Ep. 146). Eundem usum Gregorius M. presbyteris calaritanis in Sardinia indulsit (Ep. IV 26) ; et licet ecclesia occidentalis hunc usum pro exceptione semper habuerit, nunquam tamen usum graecum invalidum duxit. *Hodie haec viget lex*, ut presbyter latinus iure confirmandi ornatus solos latinos valide et licite, presbyter graecus vero etiam latinos etsi illicite, tamen valide confirmare possit.

QUAEST. *Ex quanam potestate derivanda est facultas presbyterorum* modo extraordinario administrandi confirmationem? — Quum diaconus ad confirmationem administrandam delegari non possit, dicendum est facultatem illam in ordine seu in charactere presbyterali radicari ; quia autem absque delegatione etiam invalida est administratio, colligendum est potestatem ordinis non sufficere ; sed potestas iurisdictionis quaedam accedat necesse est. Suarez post Bellarminum dicit presbyterum per characterem accipere facultatem confirmandi inchoative, quam deinde delegatio Pontificis complet ; alii probabilius docent charactere conferri plenam confirmandi facultatem, at ligatam, quae non solvitur nisi data iurisdictione a Pontifice.

3. Subiectum. — THES. **Subiectum confirmationis est quivis homo baptizatus non confirmatus.** *Certum.*

Etenim et Scriptura et Patres testantur omnes baptizatos si adfuerit episcopus, etiam confirmationem suscepisse.

Ergo *etiam infantes* sunt subiectum validum confirmationis, et inde iustus est usus graecorum. Magis tamen conveniens est, ut tunc accipiatur, quum fideles pugnae spirituali iam propinquiores sunt, prout mos ecclesiae latinae fert (Cat. Rom. II 3, 17). — *Ad susceptionem dignam* ex rei natura necessarius est status iustificationis, ex praecepto praeparatio (etiam instructio) conveniens et patrinus.

ADDIT. *De necessitate confirmationis.* — Confirmatio non est necessaria necessitate medii absoluti ; nunquam enim Ecclesia de salute baptizatorum desperavit ideo, quia confirmationem (utique absque eorum negligentia culpabili) non acceperint. Neque praeceptum explicitum sive divinum sive ecclesiasticum existit. Certum tamen est eum qui culpabiliter

neglegit sacramentum, a peccato gravi non excusari (cf. CIC 787). At *de causa* huius *peccati* non est eadem omnium sententia. Communior tenet talem peccare contra legem sui-dilectionis respuendo tot gratias tam pretiosas atque efficaces. Scotus, Tournely, Benedictus XIV. non improbabiliter censent adesse praeceptum implicitum, contentum ipsa institutione; Christus d. enim non frustra sacramenta diversa instituit; et adesse necessitatem etiam medii relativi, destinati ad procurandas gratias in pugna spirituali adultis omnino necessarias. Quum autem confirmatio sit sacramentum vitae christianae non conferendae sed augendae, necessitas eius non est tam stricta, sicut v. c. baptismi; sed est eiusdem generis atque v. g. orationis. Neque praetermittendum est in casu necessitatis satis esse votum sacramenti, implicite in oratione ad Spiritum s. ac in quovis opere caritatis contentum (III 72, 6 ad 1).

Caput 4. De Eucharistia.

Quaeritur 1. de facto praesentiae eucharisticae; de modo quo Christus in Eucharistia 2. *a)* praesens fit (transsubstantiatio) 3. *b)* praesens est; 4. de Eucharistia ut sacrificio, 5. de essentia, 6. de efficacia sacrificii missae; 7. de Eucharistia ut sacramento.

Tractatus de Eucharistia. J. B. *Franzelin:* Tr. de ss. Eucharistiae sacramento et sacrificio [5]1899; E. *Hugon:* La s. Eucharistie [3]1932; *Lépicier:* Tr. de ss. Eucharistia 2 vol. 1916; M. de la *Taille:* Mysterium fidei [3]1931. — W. *Koch:* Die Abendmahllehre im N. T. [2]1911; J. *Hehn:* Die Einsetzung des h. Abendmahles als Beweis für die Gottheit Christi 1899; *Schütz* A.: Krisztus jelenléte az Oltáriszentségben (Ige szolg. n. 12) 1927; J. *Corblet:* Histoire dogmatique, liturgique et archéologique du sacrement de l'Eucharistie 1885; W. *Goossens:* Les origines de l'Eucharistie 1931; F. J. *Dölger:* Die Eucharistie nach Inschriften frühchristlicher Zeit 1922; P. *Batiffol:* L'Eucharistie, la présence réelle et la transsubstantiation [7]1927; Leçons sur la Messe [8]1922; A. *Naegle:* Die Eucharistielehre des h. Joannes Chrysostomus 1900; K. *Adam:* Die Eucharistielehre des h. Augustin 1908; J. *Geiselmann:* Die Eucharistielehre der Vorscholastik 1926; H. *Klug:* B. I. Duns Scoti doctrina de sacrificio missae 1929; F. X. *Renz:* Die Geschichte des Messopferbegriffes 2 vol 1901; J. *Brinktrine:* Der Messopferbegriff in den ersten zwei Jahrhunderten 1918; *Schütz* A.: Áldozatelméletek (Ige szolg. n. 22) 1927. — E. *Faber:* The blessed Sacrement 1855; J. B. *Dalgairns:* The holy Communion [5]1908.

§ 94. Factum praesentiae eucharisticae.

1. Proponitur mysterium praesentiae eucharisticae, 2. probatur ex s. Scriptura, 3. ex traditione.

1. Propositio. — *Eucharistia* est praesentia realis mystica Christi hominis sub speciebus panis et vini ut sacrificium et sacramentum n. Legis. — Est *augustissimum sacramentorum: a)* In Eucharistia continetur ipse Christus substantialiter, in aliis autem quaedam virtus instrumentalis gratiae participata a Christo (III 65, 3; Gent. IV 61; Verit. 27, 4); *b)* ut sacrificium est centrum cultus christiani; *c)* est quasi breviarium mysteriorum Trinitatis, incarnationis, Ecclesiae (§ 84, 3).

Nomina praecipua Eucharistiae sunt haec: *a)* Eucharistia, a verbo εὐχαριστεῖν, gratias agere, quia Christus in caena ultima gratias egit super panem et vinum, et quia celebratio Eucharistiae est gratiarum actio digna prorsus maiestati divinae; eulogia, quod etymologice idem significat, satis

mature panis benedictus Eucharistiam non sumentibus datus vocabatur. *b)* A materia : panis caelestis, angelorum, supersubstantialis (lectio singularis Mt 6, 11) ; *c)* a contento : sacramentum corporis et sanguinis Christi, corpus Christi ; *d)* ab effectibus : communio (hodie sumptio) ; agape et synaxis sunt nominationes obsoletae ; viaticum, sacrum convivium, venerabile sacramentum ; *e)* ab indole sacrifica : sacramentum altaris, mensa Domini, hostia, missa.

E *doctrina catholica* vi consecrationis in missae sacrificio factae substantia panis in corpus et substantia vini in sanguinem Christi convertitur, ita ut sub speciebus panis et vini realiter manentibus vere et substantialiter et realiter, licet mystice praesens sit Christus totus cum humanitate et divinitate.

Haereses. — Per mille annos et ultra Ecclesia in pace hanc doctrinam colebat. Etenim *docetae, nestoriani et monophysitae* consecutiones eucharisticas suorum errorum non urgebant ; controversia vero, quae opere *Paschasii Radberti* De corpore et sanguine Christi 831 excitabatur, haeretica non erat. Namque Paschasius aliquantulum immoderatius realitatem Christi eucharistici eiusque cum historico identitatem asserebat, ceterum doctrinae Chrysostomi et Ambrosii praeco ; adversarii autem, Ratramnus et Rhabanus Maurus, loquendi modo Augustini innixi nimis spiritualistice interdum loquebantur ; at neutra pars realem praesentiam negabat ; de solo modo praesentiae theologice accuratius determinando illis erat disceptatio. Unus forsitan Scottus Eriugena symbolistice sentiebat, quem secutus deinde *Berengarius* saeculo 11. docuit non minus tropice dici panem consecratum corpus Christi, quam quod Christus dicitur agnus vel lapis angularis. Qui pluribus synodis damnatus a. 1079 Romae haeresim abiuravit. — Quod ad *novatores* attinet, *lutherani* in Confessione Augustana adhuc paene catholice sentiunt ; at Catechismus maior companationem (Christus una cum pane et vino est praesens), Solida Declaratio vero praesentiam in solo usu docet. *Zwingli*, Karlstadt, Bucer, Oecolampadius panem et vinum consecratum mera symbola habebant, sacramentarii a Luthero realem praesentiam non neganti vocati. *Calvinus* quasi mediam viam tenens docuit a corpore glorificato Christi in sumentes qui crediderint, virtutem descendere ; ita sentiunt etiam anglicani, exceptis puseyistis realem praesentiam asserentibus. Rationalistae et modernistae nostri cum Zwinglio et sacramentariis sentiunt.

Contra novatores *Trid.* 13 c. 1 statuit : «*Si quis negaverit in sanctissimae Eucharistiae sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate d. n. Iesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo vel figura aut virtute: a. s.*» Vere et non in signo, ut voluit Zwingli ; realiter et non in figura, prout docuerat Oecolampadius ; substantialiter et non virtute, ut opinatur Calvinus.

2. Factum ex Scr. — 1. **Christus Jn 6 promisit se nobis proprium corpus et sanguinem vere in cibum et potum esse daturum.** *Certum.*

Jn 6 *tribus partibus* constat. In primo, v. 1—21, narratur quomodo Christus quinque milia hominum miraculose satiaverit, et deinde super mare ambulaverit ; secunda est sermo eucharisticus, v. 25—59 ; tertia narrat quidnam discipuli audito isto sermone egerint. *Sermo eucharisticus* iterum in duos articulos dispescitur. In primo, usque ad v. 47 Salvator seipsum exhibet ut cibum praesentem : «*Ego sum panis vitae; si quis venit*

ad me, non esuriet; et qui credit in me, non sitiet unquam» (35). In secundo corpus suum et sanguinem ut cibum et potum futurum prodit: «*Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita . . . Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo*» (52—57).

Probabilius *non accurate de eodem cibo in utroque articulo* agitur. Etenim *a)* in primo articulo cibus de quo loquitur Christus, est vel ipse vel panis, in secundo corpus eius et sanguis; *b)* in primo ut praesens, in secundo ut futurus sistitur; *c)* in primo postulat, ut ad se veniatur, in secundo, ut edatur et bibatur.

Certo Christus d. *in secundo articulo sermonis verum et reale suum corpus et sanguinem cibo et potui se daturum promittit:* 1) *Verba* eius ut sonant, dichotomice: cibus — potus, manducare (etiam τρώγειν = mandere) — bibere, quum positive tum negative enuntiata non possunt nisi ad litteram accipi; eo magis quia ex usu loquendi biblico bibere alicuius sanguinem nunquam sensu translato usurpatur, manducare alicuius carnem vero metaphorice idem est atque acriter persequi.

2) Ita *ab auditoribus* intellegebatur: «*Litigabant ergo iudaei ad invicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum*» (53); et ipse Christus d. non metaphorice tunc verba sua interpretabatur, prout ei mos erat in casibus similibus, uti de fermento pharisaeorum Mt 16; de regeneratione in colloquio cum Nicodemo habito Jn 3; de aqua bibenda mulieri Samaritanae Jn 4; de Lazaro «dormienti» Jn 11; sed ea repetebat. Quum etiam ex discipulis quidam dicerent: «Durus est hic sermo, et quis potest eum audire» (61), enuntiat quidem: «*Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam*» (64), sed tantum abest ut his verba sua priora in sensum translatum («spiritualem» ut Zwinglius volebat) interpretaretur, ut etiam apostolis diceret: «Numquid et vos vultis abire» (68). Illorum verborum ergo sensus probabilis ex contextu est hic: Spiritus in concreto, seu persona Christi divina una cum anima vivificat, non vero corpus inanime in se consideratum; ergo interpretationem capharnaiticam suorum verborum cohibet Christus Dominus (Aug. in Jn 27, 5).

3) Ita verba Domini *Patres* omnes ad unum multaeque synodi intellegebant, et *Tridentinum* ideo tantum ab interpretatione dogmatica abstinuit, quia eodem tempore propter abusum calixtinorum quidam theologi insigniores, uti Caietanus, Cusanus, Tapper, Iansenius Gandavensis, totum sermonem eucharisticum spiritualiter exponere pergebant.

2. **Christus d. in caena ultima verum suum corpus et sanguinem dedit discipulis.** *De fide* ex Trid. (13 cp 1): «Se suum ipsius corpus illis praebere ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est».

Quid Christus d. in caena ultima fecerit et dixerit, narratur Mt 26, Mc 14, Lc 22, 1 Cor 11. Quae apud Lucam de calice narrantur (19*b*—20)

Westcott-Hort uncis includunt, quia in codice D et quibusdam aliis desiderantur; at absque solido fundamento; adsunt enim in plerisque aliis, etiam Sinaitico. Mt et Mc *fontem Petrinum*, Lc et 1 Cor 11 fontem *Paulinum* secundum peritos constituunt, quorum hae sunt differentiae: *a)* Paulinus additamentum etiam ad corpus habet; *b)* verbis effert calicem demum post panem esse datum apostolis; *c)* habet mandatum: «Hoc facite in meam commemorationem»; quod cur in Petrino desideretur, non liquet.

Narrat Paulus: «*Ego enim accepi* (παρέλαβον) *a Domino quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit et dixit: Accipite et manducate; hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur* (τοῦτό μοὺ ἐστὶ τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν; Lc + διδόμενον); *hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem postquam caenavit dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine* (τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ θιαθὴκη ἐστὶν ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι; Mt Mc: τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου τῆς διαθήκης; Mt + τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν; Mc + τὸ ὑπὲρ πόλλων ἐκχυνόμενον; Lc + τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον). *Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem*». His Christus verum et proprium corpus et sanguinem dedit discipulis.

1) Probatur hoc *verbis* Domini: Hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei. Phrasis apud Paulum eundem habet sensum; testamentum «in sanguine» est hebraismus cum בְּ essentiae: testamentum sanguinis; «calix» est metonymia pervulgata; sensus ergo totius locutionis est: Hic calix continet sanguinem meum novi testamenti. Quorum verborum sensus est perspicuus: «Hoc» τοῦτο, vel idem est atque ἰδού, ecce; vel ut pronomina demonstrativa communiter, obiectum in se indeterminatum monstrat postea accuratius determinandum; quod quandoque quasi antecipando grammatice quoque significatur, sicut in Vulgata: «Hic» est sanguis meus. Ergo dicit: Hoc, quod manu teneo, vel quod calice continetur, est meum corpus, meus sanguis; secundum graecum emphatice: ἐστὶ τό σῶμά μου, τό αἷμά μου = ipsum meum corpus, ipse meus sanguis. Revera Christus non potuit verbis aptioribus uti ut id enuntiet, quod Ecclesia catholica docet.

2) Id confirmatur *circumstantiis: a)* Christus in caena ultima novum foedus pepigit; quasi testamentum fecit; iam vero in tali causa ineptissimum est verbis metaphoricis uti; *b)* apostoli phrases metaphoricas etiam maxime obvias quandoque male accipiebant, v. g. «Lazarus dormit» Jn 11; si ergo Christus aliter atque sensus obvius suadebat intellegi voluit, sermonem suum exponere debuit; quod tamen non fecit. *c)* Verba Christi per saecula quindecim ad litteram accipiebantur; si ergo Christus ea aliter intellegi voluit, ipse causa fuit tot errorum et idololatriarum.

3) Apostoli, *auditores* immediati ita intellegebant sermonem Domini. Omnes enim verba eius absque explicatione candide ponunt, quum tamen mos eorum sit difficiliora Domini effata lectoribus explicare. Immo unus eorum, *Paulus*, etiam explicite testatur verba Christi a se litteraliter intellegi: «Quotiescunque enim manducabitis panem hunc

et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicunque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo ; et sic de pane illo edat et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini» 1 Cor 11 ; et : «Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est, et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est»? 1 Cor 10.

4) *Quaecunque interpretatio alia difficultatibus insuperabilibus premitur.* Quae iam multitudine produnt, quantum a veritate aberrent ; Chr. Rasperger lutheranus a. 1577 opus edidit, cui inscripsit : Ducentae verborum Hoc est corpus meum interpretationes ; quae ad haec revocantur : *a)* E sententia *Karlstadt* Christus «*Hoc*» dicens corpus proprium oculis tunc visibile monstravit. Quod gratis omnino asseritur. — *b)* Ex opinione *Zwinglii* et plurimorum rationalistarum recentiorum «est» idem audit atque significat ; et parallela afferuntur : «Hoc (circumcisio) est pactum meum» Gen 17 ; (agnus paschalis) «est enim phase Domini» Ex 12 ; «Ista (pili combusti) sunt Ierusalem» Ez 5. At α) deest verus parallelismus : nusquam alibi res praesens indeterminata identica cum alia re praesenti determinata sistitur ; in allatis enim actiones symbolicae explicite nominantur, ut v. g. in iis quae Ex 12 sequuntur post verba, quibus Zwingli Tigurinos ad errorem suum traxit : «Est enim phase Domini et transibo per terram Aegypti nocte illa». β) Ex peritorum sententia «est» nunquam idem sonat atque «significat», sed vel copulae partes agit, vel existentiam exprimit. Perperam quoque a quibusdam fingebatur lingua aramaica notionem significandi aliter atque per «est» non posse exprimi ; Wisemann enim ostendit saltem 45 modis id fieri posse. — *c) Oecolampadius* confugit ad verbum «*corpus*», quod ex eius mente idem est atque figura ; gratis omnino, et adversus omnem consuetudinem sermonis.

Ex opinione *protestantium* nostrorum liberalium et *modernistarum* Christus institutionem Eucharistiae animo non proposuerat, neque de morte expiatoria cogitaverat, sed vel epulum parabolicum quo mors sua imminens praefiguraretur, vel caenam valedictoriam celebravit. At etiam si praetermittamus hic quae antea sub 1—3 dicta sunt, et silentio praetereamus hanc opinionem ideis praeiudicatis rationalismi niti, non videtur, si Christus dapes symbolicas celebravit, cur mandatum edendi et bibendi et commemorationem suam renovandi dederit? Si vero valedicere modo voluit, cur dixit panem esse suumc orpus et vinumsuum sanguinem? Protestantismus liberalis etiam in hac quaestione ostendit non re sed praeiudiciis se inspirari.

3. **Christus ultima caena ordinavit, ut Eucharistiā ex suo praescripto celebratā corpus suum et sanguis deinceps in perpetuum praesens sistatur.** *De fide* ex Tridentino 13 cp 1 adversus protestantes liberales, rationalistas necnon modernistas.

a) Ordinavit enim Dominus : «*Hoc facite in meam commemorationem*». Licet enim haec verba in fonte Petrino desint, tamen sunt historica ; etenim Paulus probabiliter ante synopticos scribens ea habet, et explicite testatur se id tradere, quod a Domino acceperat. — *b)* Dominus tunc *foedus* novum cum hominibus pepigit in sanguine suo, quod deinde morte crucis confirmavit. Atqui foedus Deum inter et homines eo ordinatur, ut perpetuo duret. — *c)* Christus in sermone eucharistico *omnibus omnino fidelibus promisit se corpus suum et sanguinem in alimoniam daturum;*

idem adumbrant typi V. T.-i, uti lignum vitae in paradiso, agnus paschalis, manna, panes propositionis, sanguis foederis. — *d) Celebratio constans Eucharistiae* ab exordio Ecclesiae absque explicita ordinatione Christi historice non potest explicari.

DIFF. 1. *Alienum erat a mente Christi* ceterum exspectationibus eschatologicis pleni sacramenta vel quoscunque *ritus permanentes instituere.* — RESP. Est opinio praeiudicata rationalistarum Christum plenum ideis eschatologicis non agitasse consilium Ecclesiae fundandae et sacramentorum atque rituum instituendorum (cf. § 78, 2).

2. Primi christiani *imitabantur dapes paganorum,* ubi mystae divinitati se communicare putabant, uti Mithrae, Attis phrygorum, Atergatis syrorum etc. — RESP. *a)* Pagani monismo et polytheismo ut erant imbuti, longe aliter atque christiani de praesentia deorum suorum cogitabant; neque incarnationis vel plane transsubstantiationis mysterium eis erat notum. *b)* Eucharistiam iam primi christiani, ut testatur Paulus, celebrabant; atqui hi communionem et ritus paganorum vehementer abhorrebant; impossibile prorsus erat, ut ritus quos tamquam diaboli fraudes detestabantur, ab eis mutuassent (cf. § 87, 1).

3. Factum ex Tr. — 1. *Patres antenicaeni.* — *Didache* 10 Eucharistiam cibum spiritualem dicit, sed de praesentia reali non satis clare loquitur. *Ignatius:* Docetae «ab Eucharistia abstinent eo, quod non confitentur Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Iesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est» (Symrn. 7). *Iustinus:* «Neque enim ut communem panem neque ut communem potum ista sumimus»; sed quemadmodum Iesus Christus salvator noster carnem et sanguinem habuit nostrae salutis causa, «sic etiam illam alimoniam incarnati illius Iesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus» (Apol. I 66). *Irenaeus:* «Eum calicem qui est creatura, suum sanguinem qui effusus est, eum panem qui est a creatura, suum corpus confirmavit» (V 2, 2). Si gnostici negant Christum esse creatorem necnon materiam esse bonam, quomodo tunc constabit eis «eum panem in quo gratiae actae sint, corpus esse Domini sui, et calicem sanguinem eius?» (IV 18, 4).

Tertullianus: «Caro (nostra) corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur» (Resurr. 8). «Zelus fidei perorabit ingemens: Christianum ab idolis in ecclesiam venire . . . eas manus admoveri corpori Domini, quae daemoniis corpora conferunt? . . . Proh scelus! Semel iudaei Christo manus intulerunt, isti cotidie corpus eius lacessunt!» (Idol. 7). «Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxie patimur» (Cor. 3). *Cyprianus* de lapsis quos miraculis a s. communione repulsos esse narrat, dicit: «vis infertur corpori eius, et plus modo in Dominum manibus atque ore quam cum Dominum negaverunt, delinquunt» (Laps. 16, 22). *Origenes* sicut Tertullianus testis est summa diligentia a christianis provisum esse, ne ex corpore Domini parum quid decidat (in Ex hom. 13, 3). Contra Celsum (VIII 33) veritatis assertor et simul arcani custos dicit: «Manducamus panes cum gratiarum actione et benedictione oblatos, postquam certum quoddam corpus facta sunt». Ita etiam inscriptio *Abercii:* «Fides praebuit mihi ubique piscem e fonte

ingentem, purum, quem prehendit virgo casta ; deditque amicis perpetuo edendum, vinum optimum habens ministrans mixtum cum pane». Quod quasi illustratur imagine scripta in pariete catacumbae Luciae : piscis canistrum portans plenum panibus, quibus vitrum cum vino est impositum. Idem confirmatur calumnia paganorum de epulis thyestaeis.

2. *Patres postnicaeni.* — *a) Graeci.* Cappadoces, Asiatae, Palaestinenses ceterum interpretationi allegoricae alexandrinorum iusto plus indulgentes realis praesentiae testimonia locupletissima exhibent ; v. c. *Macarius Magnes:* «Non est igitur Eucharistia figura coproris et sanguinis, ut quidam stupida mente nugati sunt, sed secundum veritatem corpus et sanguis Christi» (Apol.). *Cyrillus Hier:* «Aquam olim in vinum, quod sanguini affine est, in Cana Galilaeae transmutavit, et eum parum dignum existimabimus cui credamus, cum vinum in sanguinem transmutavit?» (Cat. myst. 4). Idem profitentur antiocheni, e quibus *Chrysostomus* propter multa et praeclare de Eucharistia dicta doctoris Eucharistiae nomen meruit. Neque nestoriani praesentiam realem aggredi ausi sunt, ad quorum mentem tamen Cyrillus Alex. (Adv. Nest. IV 5) fidem catholicam contra obiurgationem sarcophagiae defendit. — *b) Latini.* Omnes sunt assertores veritatis eucharisticae. *Ambrosius* fidem mysterii multis illustrat et fulcit ; v. g. «Non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? Sermo ergo Christi qui potuit e nihilo facere quod non erat, non potest ea quae sunt, in id mutare quod non erant? Hoc quod conficimus, corpus ex Virgine est ; quid hic quaeris naturae ordinem, quum praeter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine?» (Myst. IX 51—3). Neque aliter *Augustinus* maior magistro discipulus sentire potuit ; etsi doctrina eius eucharistica difficultatibus non careat. Et revera dicit Christum d. in caena ultima seipsum manibus portasse (In Ps 33, 1) ; «Hoc quod videtur in mensa Domini, panis est et vinum ; sed iste panis et hoc vinum accedente verbo fit corpus et sanguis Verbi» (Sermo 5) ; «Nemo carnem illam manducat, nisi prius adoraverit» (in Ps 98, 9). Neque praetermittendum est Augustinum de sacrificio missae maxime realistice sensisse.

Ergo ne unus quidem Patrum cum sacramentariis sentit. Si *quandoque sermo eorum symbolismum sapere videtur*, considera : *a)* haeresibus nondum exortis securius loquebantur, imprimis coram initiatis ; *b)* corpus Christi eucharisticum in comparatione cum physico vel glorioso vel mystico potuit symbolum vel typus vel similitudo dici ; item species eucharisticae deficiente adhuc terminologia symbola vel figurae quandoque appellantur. *c)* Patres imprimis mystici sermone spiritualistico saepe nihil intendunt nisi cohibere sumptionem Eucharistiae mere sacramentalem vel plane capharnaiticam ; ita imprimis Aug. (Doct. chr. 3, 24).

R. Praesentia eucharistica Christi utpote altissimum mysterium *ratione* probari non potest ; tamen ope rationis fide illuminatae multum illustrari potest. *a)* Positive, idque *apriori:* Constans et universale fuit hinc quidem gentium omnium desiderium Deum propinquum sibi habendi idque modo sensibili prout naturae humanae convenit, ut Deus sit vere Emmanuel, i. e. Deus nobiscum ; illinc vero Sapientiae aeternae deliciae sunt esse cum filiis hominum. Illud hominum desiderium et ista Dei comitas ad effectum perducitur per incarnationem, et pro omnibus temporibus ac generationibus perpetua redditur per praesentiam eucharisticam. *Aposteriori:* Fides firma in praesentiam eucharisticam tot saeculorum, ingeniorum, aetatum, nec non miri ac saluberrimi effectus huius fidei in singulis et in Ecclesia conspicui non nisi in veritate illius fidei rationem sufficientem habere possunt. *b)* Negative : Potest ostendi difficultates nomine rationis excitatas vanas esse. Quarum summa est haec : In Eucharistia *sensibus*

longe aliud praebetur atque fide est credendum. At *a)* sensus quam plurima aliter ostendunt atque reapse sunt (v. g. motus stellarum et terrae) ; ergo non possunt esse ultimi veritatis arbitri. *b)* Quid speciebus eucharisticis celetur, auctor Eucharistiae, ipsa Veritas confirmat : «Visus, gustus, tactus in te fallitur, sed auditu solo tuto creditur. Credo quidquid dixit Dei filius, nihil hoc Verbo veritatis verius».

§ 95. Transsubstantiatio.

Statuuntur 1. factum, 2. ratio specierum eucharisticarum.

1. Factum. — THES. **Christus in Eucharistia per transsubstantiationem fit praesens.** *De fide.*

Trid. 13 c. 2 definivit : «*Si qu. d. in sacrosancto Eucharistiae sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine d. n. I. Christi, negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem manentibus dumtaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat, a. s.*» Adversantur praeter omnes qui realem praesentiam negant, *Luther* docens in vel cum vel sub pane esse praesentem Christum : companatio ; et *Osiander*, qui impanationem ad instar incarnationis docuit.

DEMONSTR. **Scr.** Christus d. his verbis : «*Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*» enuntiavit, id quod manibus tenebat et quod calice continebatur, esse suum corpus et sanguinem, non vero panem et vinum, neque simul etiam panem et vinum. Alioqui enim sensus istorum verborum fuisset : Hic panis *et* corpus meum est corpus meum, quod principio identitatis repugnat. Ergo desivit id quod erat panis et vinum, seu substantia eorum ; mansit tamen quod ad speciem panis et vinum erat, seu species panis et vini. Si autem panis et vinum cessavit, id fiebat eum in finem, ut corpus et sanguis Christi appareat. At his omnia transsubstantiationis momenta continentur. Falsa est ergo sententia Scoti transsubstantiationem solis verbis Domini probari non posse ; implicite enim ibi continetur.

Tr. Patres *antenicaeni* plerumque simpliciter fidem realis praesentiae profitentur neque in eius modum diligentius inquirunt. Nihilominus non solum nunquam ex mente Lutheri vel Osiandri loquuntur, sed etiam transsubstantiationem quandoque indicant. Secundum Iren. (V 2, 3) panis et vinum «fit» corpus et sanguis Christi ; secundum Tert. (Marc. IV 40) Christus «panem corpus suum fecit Hoc est corpus meum dicendo». Inde *a saeculo* 4. Patres mysterium quo Christus in Eucharistia praesens fit, modo similitudinibus illustrant, uti miraculo Canae (Cyr. Hier.), miraculis Exodi, uti sunt mutatio baculi Moysis in serpentem, aquarum Nili in sanguinem, aquarum amararum in dulces (Ambr.); modo aptis phrasibus utuntur, veluti transfigurari, conficere corpus, mutare species, consecrare, μεταποιεῖσθαι, μεταβάλλεσθαι, μεταρρυθμίζειν, μετασκευάζειν, μεταστοιχειώσαι, quibus implicite dogma enuntiant ; quod liturgiae quoque, imprimis epicleses indicant. Damascenus (IV 13) mysterium iam more

scholastico tractat, atque Abucurra illud traditionem apostolicam esse testatur. *Scholastici* deinde aptiores terminos addebant. Professio fidei Berengario praescripta a. 1079 dicit elementa «substantialiter mutari»; Hildebertus Lavardinus aepp. Turonensis primus ut videtur cca a. 1097 verbo transsubstantiationis utitur, quam neque graeci respuebant, in synodis unionis simpliciter per verbum μετουσίωσις eam graece reddentes.

R. Christus in Eucharistia *non potest* praesens fieri *a)* per locomotionem; quia tunc desineret esse in caelo; deinde vero quia impossibile est, ut unus motus corporis localiter moti terminetur simul ad diversa loca, quum tamen corpus Christi sub Eucharistia in pluribus locis esse incipiat; *b)* non per creationem; etenim iam existit; *c)* non per companationem; repugnat enim principio identitatis, ut una res sit etiam altera quaedam; neque per mutationem substantialem eo sensu, ut panis vel vinum in substantiam Christi transierit; Christus enim glorificatus non iam mutatur. Manet ergo, ut per solam transsubstantiationem praesens fiat. Ita Thomas (III 75, 2; Gent. IV 63).

DIFF. 1. *Verbis Christi companatio non excluditur;* possunt enim accipi ad similitudinem hominis ostendentis marsupium et dicentis: Hoc est aurum; vel ostendentis dolium et dicentis: Hoc est vinum. — RESP. Marsupium, dolium etc. ex sua natura ad id sunt ordinata, ut aliquid contineant; non vero panis et vinum.

2. Eucharistia etiam post consecrationem panis et vinum nuncupatur: «*Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* 1 Cor 10; Christus d. in ultima caena: «Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei» Mt 26. — RESP. Eucharistia potest panis et vinum vocari, quia ex eis est et speciem eorum etiam nunc praebet. Praeterea Christus Dominus verba appellata testante Lc 22 ante consecrationem super calicem paschalem dixerat.

QUAEST. *Natura transsubstantiationis.* — 1. Transsubstantiatio *passive* considerata est species conversionis. *Conversio* vero definitur: transitus unius rei in aliam sub aliqua ratione entis. Hoc ultimum addendum est, ut merae successiones et privationes, seu mutationes in contrarium excludantur, uti sunt lucis in tenebras, diei in noctem, valetudinis in morbum. *Tria* ergo complectitur momenta, quae sunt: terminus a quo et terminus ad quem; nexus inter terminos; aliquod tertium manens. — 1. In transsubstantiatione *terminus* a quo totalis est panis et vinum, formalis est substantia panis et vini eaqua tota, tam materia prima quam forma substantialis. Terminus ad quem formalis est substantia corporis et sanguinis Christi, totalis corpus et sanguis una cum speciebus panis et vini. Falso ergo Rosmini (prop. 29. et 30) docuit panem et vinum eo fieri corpus et sanguinem Christi, quod sui principii sentientis termini fiant et sua vita vivificentur; item sententia P. Baymae *(D* 1843—6) eo solum desinere substantiam panis et vini, quod in alio supernaturaliter sustentetur. — 2. *Nexus* in eo consistit, quod substantia panis et vini desinit esse in ordine ad evadendum corpus et sanguis Christi. Non est igitur simpliciter annihilatio substantiae panis et vini et productio ex nihilo corporis et sanguinis Christi, ut voluerunt scotistae (cf. I 104, 4). — 3. *Tertium manens* sunt species eucharisticae.

Transsubstantiatio ideo est conversio mirabilis et *prorsus singularis*, quia in naturalibus *a)* solae formae substantiales, non simul etiam materia prima mutantur; *b)* cum substantia simul etiam accidentia seu species mutantur; *c)* mutationes naturales non sunt instantaneae (III 75, 4).

2. Transsubstantiatio *active* considerata est actio divina unica con-

vertens panem et vinum in substantiam corporis et sanguinis Christi; non gemina, ut quidam scotistae putabant, quasi una actione annihiletur substantia panis et vini, altera procreetur corpus et sanguis Christi. — Quaenam accuratius sit illa actio convertens, duae sunt theologorum praecipuae sententiae. Ex opinione *scotistarum* (quibus accedunt Bellarminus, Vasquez, Lugo) Christus in Eucharistia praesens fit per *adductionem:* non quasi e caelo in Eucharistiam trahatur, sed corpus Christi, quod antea erat tantum in caelo, quasi introducitur in species, ut ibi iam nunc praesens sit. Communior est sententia *thomistarum*, cui adstipulantur Suarez et Lessius, *reproductionis* vel replicationis, quae ex mente Lessii est productio substantialis virtualis, cuius terminus formalis est novum esse sacramentale, terminus virtualis vero est esse humanitatis Christi simpliciter; si enim per impossibile Christus non existeret in caelo, per consecrationem esse inciperet in altari.

Utraque haec sententia quaedam recte ponit; ex mente ac loquendi modo Ecclesiae enim Christus in consecratione descendit in altare (scot.), sed etiam conficitur (thom.). *Utraque gravibus difficultatibus* quoque premitur. Vix enim cogitari potest, quomodo adductio scotistarum sine locomotione fieri possit, quae tamen est impossibilis (cf. III 75, 2 supra); nec videtur, quomodo per adductionem, cuius terminus est tantum novus praesentiae modus, conversio substantialis fieri possit. Econtra ex sententia thomistarum Christus multiplicari videtur; neque productio, cuius terminus non est esse novum, apte productio vel reproductio dici posse videtur. Quum de alto mysterio agatur, frustra plena evidentia in hac materia postulatur. Sensui Ecclesiae et loquendi modo Patrum: corpus Christi efficitur, producitur, creatur, de novo esse incipit etc., sententia thomistarum magis videtur convenire, quae si ad mentem Lessii accipiatur, difficultates quoad eius fieri potest, vitantur.

2. Species eucharisticae. — THES. 1. **In Eucharistia post consecrationem species panis et vini realiter manent.** *Ad fidem spectans* ex decretis Ecclesiae de reali praesentia et transsubstantiatione.

Adversantur theologi *cartesiani* (Drouin, Witasse etc.), qui cum Cartesio accidentia absoluta negantes et materiae essentiam in extensione ponentes, species panis et vini cum earum substantia simul cessare putabant et docebant Deum immediate ita afficere sensus nostros, quasi species eucharisticae adessent.

DEMONSTR. *a)* Patres et theologi uno ore profitentur *sacramenta elemento visibili* et gratia invisibili constare; e doctrina cartesianorum elementum visibile in Eucharistia deest; ergo non est iam verum sacramentum: signum sensibile gratiae (III 76, 8). *b)* In doctrina cartesianorum Christus iam non est realiter vere praesens in altaribus; quia praesentia sacramentalis Christi speciebus tantum circumscribitur, quae autem ex opinione cartesianorum reapse nullae adsunt (Gent. IV 63). *c)* Si Christus eucharisticus sensibus non percipitur, quum v. g. in tabernaculo servatur, e mente cartesianorum ibi iam non est praesens.

THES. 2. **Species eucharisticae sunt absque subiecto intrinsecae inhaesionis.** *Dogmatice certum.* Damnata est enim propositio *Wicleffii:* Accidentia panis non remanent sine subiecto.

DEMONSTR. *a)* Species iam *non habent subiectum connaturale*, sc. substantiam panis et vini, quippe quae iam non existat. *b) Non accipiunt*

novum subiectum. Etenim «non potest esse, ut idem numero manens sit quandoque in hoc, quandoque in illo subiecto ; accidens non migrat de subiecto in subiectum» (III 77, 1-3). *c)* Imprimis impossibile est ut corpus et sanguis Christi fiant subiectum specierum eucharisticarum ; tunc enim de corpore Christi duae series proprietatum essent asserendae : esset gloriosus in caelo et simul in altari rotundus, saporem panis et vini praebens etc.; quod repugnat principio identitatis, nec cum immutabilitate Christi gloriosi componi potest.

QUAEST. *Quomodo accidentia possunt existere absque subiecto connaturali, et quomodo adhuc effectus formales substantiae,* puta extensionem, vim repulsivam, colorem, saporem, odorem etc. *praebere possunt?* — E doctrina sanae philosophiae imprimis illius perennis, cuius Aristoteles est auctor et scholastici fautores, *distinctio saltem virtualis est inter substantiam et accidentia;* ergo omnipotentiae divinae non est impossibile separare, quod re non est idem omnino. Quandoquidem accidentia utpote ad inesse in substantia ordinata in se existere non possunt, consequens est, ut a Deo sustententur; vel immediate, vel vero mediatione instrumentali corporis et sanguinis eucharistici, prout non improbabiliter censet Lugo. Neque impossibile est Deum posse immediate sustinere accidentia modo miraculoso, quae ordinarie per substantias sustentat. Deus omnia potest immediate et per se miraculose, quae secundum communem rerum ordinem per causas creatas facit.

Quomodo deinde accidentia panis et vini effectus formales panis et vini proferre pergant, non est eadem omnium sententia : *E mente hylemorphystarum* sola quantitas dimensiva interna seu radicalis immediate in substantia radicatur ; cetera accidentia, imprimis qualitates et figura in quantitate innituntur, relationes vero partim in quantitate, partim in qualitatibus. Nunc iam Deus quantitatem internam dimensivam panis et vini immediate sustentat ; cetera vero accidentia et effectus in quantitate tamquam in quasi-substantia radicantur. Ex opinione *dynamistarum* (conf. Franzelin thes. 16) distinguendum est inter vim efficiendi et ipsam actualem efficacitatem materiae (ἐνέργεια et ἐνέργημα) ; et ad effectus specierum servandos satis est, ut Deus efficacitatem mirabiliter conservet.

DIFF. *Accidens est ens existens non in se* sed in alio tamquam in subiecto inhaesionis; est ergo contradictio, ut existat in se. — RESP. Ad essentiam accidentis hoc pertinet, quod *convenit* ei esse in alio ; *actualiter* inesse in alio iam non de essentia, sed de consecutionibus essentiae accidentis est ; sicuti ad essentiam hominis pertinet esse animal rationale ; at actualis usus rationis non ita est de essentia hominis, ut infans vel sopore oppressus vel mente captus iam non sit homo. Iam vero inesse in alio etiam speciebus eucharisticis convenit ; sed miraculose provisum est, ne id quod eis convenit, in actum deducatur (III 77, 1).

§ 96. Modus praesentiae eucharisticae.

Statuuntur 1. totalitas, 2. indoles mystica praesentiae eucharisticae.

1. Totalitas. — THESIS 1. **In Eucharistia sub alterutra specie totus Christus praesens est.** *De fide.* — Adversabantur calixtini seu utraquistae, quos Constantiense damnaverat ; Trid. 13 c. 3 definivit «*sub unaquaque specie et sub singulis cuiusque speciei partibus separatione facta totum Christum contineri.*»

DEMONSTR. *a)* Thesis *implicite in s. Litteris indicatur:* «Qui manducat *meam carnem et* bibit *meum sanguinem*» et : «qui manducat *me*» (Jn 6 v. 55 collatus cum v. 58) ; «Quicunque manducaverit panem hunc *vel* biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis *et* sanguinis Domini» 1 Cor 11. *b) Patribus* vero familiare est asseverare in Eucharistia corpus Christi immortale vivificans, seu totum Christum adesse (Cyr. Al. in Mt 26, 7 ; Nyss. Or. cat. 37. Ambr. Myst. IX 58). *c) Ratio theologica* a Trid. 13 cp 3 ita exponitur : Vi verborum saltem id praesens est, quod verba significant ; ergo sub speciebus panis corpus et sub speciebus vini sanguis. Sed quia «Christus resurgens ex mortuis iam non moritur et mors illi ultra non dominabitur» Rom 6, per concomitantiam una cum corpore adest sanguis et cum sanguine corpus et cum utroque anima Christi, seu tota humanitas. Quum deinde humanitas Christi non subsistat nisi in Verbo, vi unionis hypostaticae adest Verbum ; denique propter perichoresim personarum divinarum per concomitantiam mediatam seu secundariam adest tota Trinitas. Seu thesis est conclusio ex duobis dogmatis praesentiae realis eucharisticae et unionis hypostaticae insolubilis. — Inepte quidam et absque fundamento dogmatico praesentiam per concomitantiam nescio quandam B. Mariae V. asserunt.

Quia verba consecrationis tunc tantum vera erunt, si ad verum et realem Christum referantur, *distingue vim verborum:* «Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus» quoad terminum formalem ad quem in caena ultima, in triduo mortis, nunc.

THES. 2. **Totus Christus praesens est sub quavis parte alterutrius speciei eucharisticae.** *De fide* quoad partes facta separatione (Trid. 13 c. 3) ; *certum* quoad partes ante separationem existentes.

DEMONSTR. **Scr.** Absonum prorsus esset putare *apostolis in caena ultima* non totum Christum eucharisticum esse datum. Iam vero probabilissime de uno pane et certo de uno calice omnes sumebant. **Tr.** Constans erat persuasio ecclesiae antiquae *singulos fideles sacra communione totum Christum accipere* (cf. Basil. Ep. 93). Iam vero panem post consecrationem saepenumero, et calicem semper dividebant. Quaenam fuerit eorum sententia, ex ea cura quoque efficitur, qua teste Tertulliano et Origene etiam minimas partes Eucharistiae colligebant et servabant.

R. *Transsubstantiatio est conversio, cuius termini sunt substantiae:* locum substantiae panis et vini occupat corpus et sanguis Christi. Atqui substantia panis et vini tota adest in quavis parte physica, quae circumscribitur accidentibus panis et vini ; ergo post transsubstantiationem adest corpus et sanguis Christi sub quavis parte physica specierum (III 76, 3 ; Opusc. 59, 7). Quum haec ratio valeat sive facta sit separatio sive non, certum est contra sententiam Alberti M. totum Christum sub quavis parte etiam ante separationem esse praesentem ; eo magis, quia alioqui praesens sisteretur per separationem specierum, quum tamen unica causa praesentiae realis secundum dogma catholicum sit transsubstantiatio. Attamen ideo Christus ante separationem specierum non totiens praesens est, in quot partes eae dividi possunt, sed praesentia eucharistica realiter una est virtualiter et potentialiter multiplex, ita ut multiplicitas illa potentialis per separationem ad actum perducatur (III 76, 3).

THES. 3. **Christus in Eucharistia facta consecratione statim praesens fit et praesens manet, etiam si non sumatur.** *De fide.*

Adversantur *Luther*, qui posterius docuit Christum tantum in usu esse praesentem, et *Chemnitz*, e cuius sententia tantum dum celebratur «caena dominica», est praesens. *Trid.* 13 c. 4 eum anathematizat qui dixerit «peracta consecratione in admirabili Eucharistiae sacramento non esse corpus et sanguinem d. n. I. Christi, sed *tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post, et in hostiis seu particulis consecratis quae post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini*».

DEMONSTR. **Scr.** Thesim *verba Christi consecratoria* indicant: Hoc «est» corpus meum; et adhuc clarius: Hic «est enim» sanguis meus, et non «erit», quando sumetur. **Tr.** Patrum testimonia adversa sunt sententiis novatorum, ut ipse Calvinus fatetur. Revera *Cyrillus Alex.* (Epist. 83) stultos et vanos eos dicit, qui asserant nihil prodesse ad sanctificationem Eulogiam, si ad sequentem diem aliquid servetur. *Hieronymus* (Ep. 125) omnium ditissimum eum dicit, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro. Id affirmatur *praxi* Ecclesiae. Licet enim Eucharistia nondum sollenniter servaretur, tamen ad usum aegrotorum, iter agentium, eremitarum iam saeculo 2., ut testantur Iust. (I 65), Tert. (Ux. II 5), Iren. (Fragm. 3) asservabatur; a saeculo 4. vero iam missae praesanctificatorum erant in usu. **R.** In Eucharistia Christus *ut cibus* est praesens; iam vero cibus non tantum in sumptione, sed etiam ante et post adest.

COROLL. *Christus tamdiu praesens est in Eucharistia, quamdiu species integrae manent, et speciebus mutatis cessat praesentia eucharistica. Certum.* Etenim Christus ita ordinavit, ut per transsubstantiationem sit praesens, ut ergo corpus suum et sanguis locum substantiae panis et vini occupent. Atqui praesentia substantiae panis et vini alligata est integritati specierum; ergo idem fit praesentiae eucharisticae (III 77, 4).

QUAEST 1. *Quomodo mutatis speciebus cessat praesentia eucharistica Christi?* — Non per annihilationem, neque per reditum in caelum, neque per conversionem in aliam quandam substantiam, sed per actum, qui est contrarius illi actui, quo Christus praesens sistebatur, qui cum Lessio annihilatio virtualis potest dici.

2. *Quid fit speciebus eucharisticis corruptis?* — Probabilissime iam non manent absque subiecto, sed vel per miraculum vel secundum legem naturae nobis penitus ignotam novam substantiam naturae suae mutatae convenientem accipiunt.

THES. 4. **Christus in Eucharistia cultu latriae adorandus est.** *De fide.* Adversus novatores Trid. 13 c. 6 definivit in s. Eucharistiae sacramento Christum «*esse cultu latriae etiam externo adorandum atque ideo festiva peculiari celebritate venerandum*».

DEMONSTR. *a)* Thesis est *consecutio duorum dogmatum:* Christus est adorandus; Christus vere et realiter praesens est in Eucharistia. *b)* Ab initio *lex erat Ecclesiae* Christum in Eucharistia adorare; quod pro temporum opportunitate tunc utique in celebratione Eucharistiae potissimum fiebat, ut accuratius describitur a s. Cyr. Hier. (Cat. myst. 5). *Ambr.* dicit: «Caro Christi quam hodieque in mysteriis adoramus, et

quam apostoli in Domino Iesu adorarunt» (Spirit. s. III 11). Notum est illud *Augustini:* «Nemo carnem illam manducat, nisi prius adoraverit» (in Ps 98, 9; cf. Chrys. Caena et cruc. 2; Sacerd. III 4).

Ecclesia graeca usque hodie praxim illam antiquam colit; ecclesia autem *latina* consecutiones mysticas et liturgicas dogmatis colligebat. Post tempus Patrum s. communionem etiam extra celebrationem missae praebere caepit; e tempore Berengarii Eucharistia in ecclesiis adoranda asservari et in missa post consecrationem elevari caepit; saeculo 13. processiones et festum eucharisticum agebantur; agente potissimum s. Alphonso Liguorio visitatio Sanctissimi in dies augebatur, nostris vero temporibus sodalitates, adorationes, congressus etc. fructibus saluberrimis prolatis ostendunt ab ecclesia latina mentem Christi Eucharistiam instituentis recte intellegi.

2. Indoles mystica. — THES. 1. **Christus totus est in Eucharistia praesens secundum substantiam et secundum accidentia** (extensionem, figuram, organismum et.), prout nunc gloriose sedet ad dexteram Patris. *Certum* est ex doctrina explicita Tridentini supra pluries appellata.

Falsa est ergo *opinio quorundam gallorum* (Varignon, Legrand) in Eucharistia quodammodo esse Christi gloriosi parvum exemplar («en miniature» ut vulgo dicitur), vel vero Christi membra adesse per compenetrationem *(Oswald)*. Sic enim Christi corpus esset modo ridiculo, ut recte monet iam Toletus.

THES. 2. **Accidentia Christi in Eucharistia praesentia sunt per modum substantiae.** *Certum.*

Etenim *vi sacramenti est in Eucharistia illud, in quod conversio directe terminatur.* Conversio autem utpote transsubstantiatio directe terminatur ad substantiam corporis Christi, quae est ergo ibi per se. Accidentia Christi vero adsunt concomitanter et quasi per accidens, et ideo non sunt secundum proprium modum, sed per modum substantiae quam comitantur; etenim «modus essendi cuiuslibet rei determinatur secundum id quod est ei per se, non autem secundum id quod est ei per accidens», ut monet s. Thomas (III 76, 4).

COROLL. *Christus eucharisticus non circumscriptive occupat locum specierum,* ita ut sit totus in toto et pars in parte; *sed ad modum substantiarum praesens est definitive:* totus in toto et totus in parte.

Sequitur a) non posse praedicari de Christo eucharistico ea, quae extensionem actualem postulant et continent, sicuti mensura vel perceptiones sensibiles (III 81, 4). Non est tamen improbabilis sententia pia card. *Cienfuégos* (Vita abscondita sub speciebus velata 1728) modo supernaturali Christum eucharisticum sensibus quoque communicare cum fidelibus. *b)* Christus in Eucharistia *via extensionis non potest contingi, seu* non potest sensibus apprehendi. Si quandoque in Eucharistia sensibus mirabiliter se praesens sistit, talium miraculorum causa efficiens immediata et principalis non est Christus eucharisticus, sed Divinitas (III 76, 7).

QUAEST. *Quomodo potest corpus Christi totum vere adesse cum omnibus accidentibus, ergo etiam cum extensione et organismo, quin sensibus prehendatur?* — Est hoc quoque pars mysterii illius fidei, quod mente attingi non potest. Nihilominus ratio humana par est repellendis difficultatibus rationis nomine excitatis. Etenim recte monent scholastici, de

essentia materiae esse *quantitatem dimensivam internam*, seu quantitatem in actu primo, vi cuius in materia sunt partes extra partes; quantitas dimensiva externa seu in actu secundo, est eius sequela, virtute saltem ab ea distincta; at quod non est penitus idem, sed saltem virtualiter distinctum, omnipotentia divina potest separari. Ita in Eucharistia extensio actualis corporis Christi et consequenter omnia cetera accidentia quae in quantitate radicantur, miraculoso modo sunt suspensa. Corpus Christi adest modo spirituum. Neque inconveniens est, ut corpus spiritale (1 Cor 15) Christi miro modo e Virgine natum, super mare ambulans, clausas ianuas penetrans ad modum spirituum sit praesens.

THES. 3. *Quamvis Christus eucharisticus non repleat circumscriptive ultum locum, tamen* **realiter praesens est loco per species circumscripto.** Etenim Christus in Eucharistia est per conversionem; cuius terminus ad quem ibi est quaerendus, ubi desiit terminus a quo, seu ubi sunt species, non vero iuxta vel infra vel supra; et quia ubiquismus Lutheri est falsus, Christus homo est ibi solum et ubique, ubi adsunt species eucharisticae. Qui specialis praesentiae modus vocatur praesentia sacramentalis (III 76, 5 ad 1).

QUAEST. *Quomodo possibile est, ut unus Christus sit in caelo ad dextram Patris sedens et simul in tot locis* sub speciebus eucharisticis praesens? — Est et hoc pars mysterii eucharistici, ad cuius aliquam adumbrationem *species multilocationis* quattuor distinguantur oportet: *a)* Multilocatio *continua* seu replicatio rei definitive praesentis, cuius analogia est v. g. praesentia animae in corpore vel legis physicae gravitationis in molibus physicis; hoc modo praesens est Christus in aliqua hostia consecrata. *b)* Multilocatio *discreta rei definitive praesentis.* Hoc modo est praesens Christus in pluribus particulis vel in una post separationem partium. Hic multipraesentiae modus non est novi quid, si conferatur cum priore; siquidem in una particula Christus totus adest in quavis parte, ergo etiam in dissitis; et nihil refert utrum distantia ista partibus particulae vel aëre etc. impleatur. *c)* Multilocatio *discreta circumscripta* seu multipraesentia corporis circumscriptive in diversis locis praesentis. Num hic multilocationis modus possibilis sit, disputatur; certum est autem de hoc modo multilocationis nullam esse quaestionem in Eucharistia. Christus enim in caelo tantum est circumscriptive praesens, in Eucharistia vero definitive, seu *d)* multilocatione *mixta*, de qua non potest probari eam repugnare. Etenim α) enuntiat a Christo unum tantum locum (in caelo) repleri circumscriptive, alios vero locos definitive, seu absque extensione actuali; ergo non est contradictio, ut uno loco moveatur, alio quiescat, ut diversas distantias ad seipsum habeat etc. β) Praesentia ipsa non est ens, sed relatio, nihil addens essentiae entis; et ideo non est contradictio, ut ens (corpus Christi gloriosum) absque mutatione novas ineat relationes cum spatio; transsubstantiatio multiplicat praesentiam, non existentiam.

THES. 4. **Corpus Christi cum speciebus eucharisticis constituit unum sacramentale mysticum quidem sed reale.** Errant quidam recentiores accidentia panis et vini accidentia Christi ipsius fieri, quod est quasi monophysitismus eucharisticus (cf. § 95, 1); sed neque scotistae sunt audiendi, qui cum nominalistis docent Christum mera ordinatione positiva Dei esse speciebus eucharisticis annexum; quod quasi nestorianismus eucharisticus est ac contrait loquendi modo et Patrum et synodorum, qui unitatem realem statuunt inter Christum et species. Quam deinde unitatem theologorum alii magis moralem esse volunt, alii magis physicam: corpus Christi ut instrumentum sustentat species (Salm. tr. 23 disp. 4, 2, 12).

COROLL. 1. *Christus in Eucharistia cum speciebus per modum unius est adorandus*, sicut Verbum cum sua humanitate per modum unius adoratur.

2. Propter unionem sacramentalem Christi cum speciebus eucharisticis *communio quaedam idiomatum* potest locum habere, cuius hae sunt *regulae: a)* Quae solam praesentiam significant, *sensu proprio* de speciebus ad Christum transferri possunt : Christus est in altari, in manibus sacerdotis, in ore communicantis. *b)* Quae praeter praesentiam etiam contactum extensivum significant, sensu *improprio* tantum transferri possunt ; uti : Christus frangitur, elevatur, portatur, quiescit. *c)* Quae de speciebus non ut speciebus eucharisticis seu praesentiam sacramentalem significantibus praedicantur, *nullo pacto* possunt in Christum transferri ; non ergo licet dicere Christus est albus, rotundus, sanguis est aciduli saporis. Tamen respicienda est consuetudo loquendi ecclesiastica.

§ 97. Eucharistia ut sacrificium.

Afferuntur testimonia 1. Scripturae, 2. traditionis.

1. Testimonium Scripturae. — THES. **Confectio Eucharistiae in missa est verum et proprium sacrificium n. Legis a Christo institutum.** *De fide.* Id novatores s. 16. negabant multumque veritatem catholicam calumniabantur. Trid. 22 c. 1. statuit : «*Si qu. d. in missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari, a. s.*» C. 2. definit apostolos eorumque successores vere esse sacerdotes.

EXPLIC. Eucharistiam conficere idem est atque missam celebrare ; intimus ergo nexus est inter missam et Eucharistiam, geminum tamen *discrimen;* a fine : missa ad cultum Dei, Eucharistia ut sacramentum etiam ad alendas animas ordinatur ; a modo oriundi : missa est actio transiens, Eucharistia ut sacramentum est manens (III 79, 5). Vocatur *missa* a verbo mittere, et idem est ac missio (cf. collecta, repulsa). Usum quem nunc habet, a saeculo 7. recepit ; quia mysteriis incipientibus catechumeni, et peractis fideles dimittebantur : ite, missa = missio est. Ambr. primus verbum illud ita usurpaverat.

1. **Testimonium V. T.** 1) Sacrificium eucharisticum praenuntiatur a Mal 1 : «*Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus,* (בגוֹיִם) *et in omni loco sacrificatur et offertur* (מֻקְטָר וְמֻגָּשׁ = suffitur et offertur) *nomini meo oblatio munda* (מִנְחָה), *quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum*».

a) Haec verba ad *tempus messianum* referuntur : omnes enim gentes (gojim) participes fiunt cultus Jahvae, qui «ab ortu solis usque ad occasum» celebrabitur. *b)* Enuntiatur *verum quoddam sacrificium* oblatum iri tempore messiano : verba enim textus hebraici ex communi usu biblico vera sacrificia significant. Si non verum sacrificium, sed animus purus Deo deditus esset intellegendus, non est cur «novi» sacrificii institutio requiratur ; recta enim intentio a prophetis quoque acriter exigebatur (cf. imprimis Ps 49). *c)* Sacrificium verum pro tempore messiano a propheta praenuntiatum *non potest esse nisi sacrificium missae:* α) non sacrificii V. T.-i, quae abroganda praedicantur ; β) non gentilium, quae semper Deo abominabilia erant ; γ) non sacrificium crucis, quod non offertur

omni loco neque apte mincha vocatur. Omnia autem quae propheta de novo illo sacrificio praenuntiat, missae conveniunt, ut primo aspectu apparet. Ita hunc locum tota antiquitas interpretabatur (iam Did. 14 ; Iust. Dial. 41 ; Iren. IV 17, 5).

2) Psalmo 109 Messias venturus ut «sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech» exhibetur, quod Heb 5—7 comprobatur. Atqui Melchisedech panem et vinum obtulit ; ergo etiam Christus ; alioqui parallelismus in re gravissimi momenti, in ipso sacrificio deficeret. Minor probatur : «*Melchisedech rex Salem, proferens* (הוֹצִיא) *panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi, benedixit ei (Abrahae) . . . et dedit ei decimas ex omnibus*» Gen 14. Res solo verbo הוֹצִיא non deciditur, sed neque reicitur ; certa tamen redditur per interiectionem : erat «enim» (כִּי causativum) sacerdos. Confirmatur eo quod Abraham ei decimas dedit ; inepta est interpretatio protestantium Melchisedech ad recreandos viros Abrahae obtulisse panem et vinum ; quasi vero non habuerint victum ex praeda !

3) «*Venio ut congregem cum omnibus gentibus et linguis . . . Et assumam ex eis in sacerdotes et levitas*» Is 66 ; at si sacerdotes, tunc providebit etiam sacrificium, sine quo sacerdos esse nemo potest.

2. Testimonium N. T.-i. 1) *Christus d. in caena ultima* sub speciebus panis et vini corpus et sanguinem suum verum sacrificium obtulit ; idem ergo faciunt qui ex eius ordinatione Eucharistiam celebrant. Etenim *a) appositiones* ad corpus et sanguinem : διδόμενον, ἐκχυνόμενον sunt phrases sacrificium enuntiantes, ut hodie omnes periti etiam acatholici concedunt ; et licet in Vulgata in futuro sint positae («tradetur», «effundetur») nec non participium praesens graecum forsitan pro futuro quoque aliquando fungatur (quod multi ex doctis negant), non tamen immediate ad sacrificium crucis sed ad caenam ultimam referuntur, ut liquide apparet ex Lc : τὸ ποτήριον... τὸ ἐκχυνόμενον ; quod propter parallelismum manifestum etiam de pane eucharistico valet. *b)* Christus novum *foedus* cum hominibus inivit. At ex lege fundamentali revelationis ad foedus paciscendum atque fovendum sacrificium requiritur. *c)* Caena eucharistica est *antitypus agni paschalis;* atqui agnus paschalis erat sacrificium ; ergo etiam antitypus. *d)* Institutio Eucharistiae *sub duabus speciebus* facta vix nisi ex ratione sacrificii intellegitur.

2) *Paulus Cor* 10 docet iudaeos in altari suo offerre, oblata comederre et communicare cum Jahve ; item gentes offerunt sacrificia, comedunt ex eis et participes efficiuntur deorum suorum ; etiam christiani sumunt panem fractum et calicem benedictum et participant Domino. Si ergo plenus adest parallelismus in duabus posterioribus partibus, consequens est, ut etiam in prima adsit, seu ut etiam fractio panis et benedictio calicis oblationis sacrificae rationem habeat. Confirmatur eo quod Paulus Eucharistiae celebrationem «annuntiationem mortis Domini» dicit, et cum mensa daemonum mensam Domini aequat ; at mensa Domini (τράπεζα κυρίου) ex usu loquendi V. T. est altare.

Heb 10 fidelibus tentationi cultus mosaici subiectis dicit : «*Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci . . . Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt*». Quod ex contextu probabilissime de cultu altaris christiani est accipiendum ; at si habetur altare, adsit necesse est etiam sacrificium.

2. Testimonium traditionis. *Didache* 14 haec monet : «Die dominica autem convenientes frangite panem et gratias agite, postquam delicta vestra confessi estis, ut sit mundum sacrificium vestrum. Omnis vero, cui est controversia cum amico suo, ne conveniat vobiscum, donec reconciliati sint (cf. Mt 5, 23) ; ne inquinetur sacrificium vestrum. Hoc est enim dictum (αὕτη γάρ sc. θυσία ἐστιν ἡ ῥηθεῖσα) a Domino : In omni loco sacrificatur etc». (Mal 1). Certo ergo de vero sacrificio est hic sermo, ut apparet ex allegationibus biblicis. Obiectum sacrificii huius pariter indicatur : «Quod ad Eucharistiam attinet, sic gratias agite. Primum de calice : Gratias tibi agimus, Pater noster, pro sancta vite David pueri tui, quam indicasti nobis per Iesum puerum tuum».

Clemens R. (44 ; 40) corinthiis scribit : «Non enim leve erit peccatum nostrum, si eos qui sancte et sine reprehensione munera obtulerunt (τούς προςενεγκότας τὰ δῶρα), episcopatu eicimus». Quae sint ista munera, nullum relinquitur dubium : «oblationes et officia sacra (τὰς δὲ προςφορὰς καὶ λειτουργίας) diligenter perfici, neque temere vel inordinate fieri praecipit Dominus, sed statutis temporibus et horis» ; at liturgia teste Didache non est nisi eucharistica. — *Ignatius* (Phil. 4) : «Studeatis igitur una Eucharistia uti ; una enim est caro d. n. I. Christi et unus calix in unitatem sanguinis ipsius, unum altare, sicut unus episcopus cum presbyteris et diaconis». — *Iustinus* (Dialog. 116. 117. 41) profitetur Malachiae prophetiam impletam esse in Eucharistia panis et calicis. Si vero *apologetae* (Athenagoras, Minutius Felix, Theophilus) asseverent sacrificium christianorum esse animum mundum et adorationem Dei in veritate, ex mente adversariorum loquuntur eorumque cultum abominabilem et mere externum respiciunt.

Irenaeus (IV 1—19) totus id molitur, ut ostendat etiam quoad sacrificium N. T. esse impletionem Veteris, eo quod Christus caena ultima novum pangens foedus novum sacrificium instituerit. Gnostici ex consequentia suae doctrinae ad negandam Eucharistiam adiguntur ; vel ergo mutent mentem, vel vero «desinant offerre quae dicta erant», sc. corpus et sanguinem Domini. — *Tertullianus* testatur christianos purum illud offerre sacramentum, quod Malachias praedixerat (Iud. 5); reprehendit eos, qui diebus stationis ab Eucharistia abstinent, ne ieiunium frangant : «Nonne sollemnior erit statio tua, si ad aram Dei steteris? Accepto corpore Domini et reservato utrumque salvum est : et participatio sacrificii et executio officii» (Orat. 18) ; multaque alia habet. — *Cyprianus* omnibus etiam adversariis fatentibus explicite et formaliter iam doctrinam de sacrificio eucharistico proponit.

Hanc autem eius doctrinam non esse novam, praeter ea quae dicta sunt de Patribus prioribus, dilucide apparet ex eo, quod Patres graeci saeculi 4. quoque, qui certe non sunt Cypriani latini discipuli, non multo post eum idem protestantur ; imprimis *Cyrillus Hier.* (Cat. myst. 5) et *Chrysostomus*, qui inter alia haec pulchra dicit verba : «Quum enim videris Dominum immolatum et iacentem, et summum sacerdotem sacrificio incumbentem et precantem, omnesque pretioso illo sanguine rubentes,

an putas te adhuc cum hominibus et in terra esse, annon potius in caelos transferris?» (Sacerd. III 4). Ex latinis efferantur oportet Ambrosius eiusque discipulus *Augustinus*, qui primus theoriam sacrificii construit et de Eucharistia, vero et reali sacrificio multo clarius quam de praesentia reali loquitur (Civ. X 4—24 ; Trin. IV 14, 19 ; cf. Faust. XX 18 ; Ep. 98, 9 ; in Ps 149, 6). Pretiosi testes sunt etiam liturgiae antiquissimae inde ab Euchologio *Serapionis*.

Testimonium **rationis.** 1) «In nullum nomen religionis sive verae sive falsae coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligantur» (Aug. Faust. XIX 11). Inter quae signa visibilia sacrificium est eminentissimum; est officium naturale offerre Deo sacrificia (2II 85, 1). Et revera *nulla invenitur alicuius nominis religio quae sacrificiis careat.* Si ergo deesset in religione Christi, revelatio absoluta et perfecta in re essentiali graviter deficeret : careret cultu adaequato. Nec iuvat protestantibus ad sacrificium crucis confugere. Huius enim finis primarius est expiatio, non cultus ; neque iterari potest ; ergo non est aptum quod centrum cultus religiosi evadat. 2) Confectio Eucharistiae in missa omnibus praedita est proprietatibus, quae *sacrificii veri essentiam* constituunt.

§ 98. Essentia sacrificii missae.

Statuuntur 1. notio sacrificii, 2. essentia sacrifica missae.

1. Notio sacrificii. — Ad mentem s. Augustini (Civ. X) et s. Thomae (2II 85) definimus: *Sacrificium est oblatio liturgica rei sensibilis ad adaequate protestandum Deum primum principium creationis et ultimum finem beatitudinis.* Ex quo omne sacrificium his quinque rebus constituitur :

1. *Finis sacrificii* a s. Thoma ita determinatur : anima se offert Deo in sacrificio sicut principio suae creationis et sicut fini suae beatificationis. Quapropter finis omnis sacrificii est agnitio adaequata supremae Dei maiestatis ad communionem cum Deo adipiscendam. Est ergo omne sacrificium imprimis latreuticum, deinde eucharisticum seu gratiarum actionis, tum impetratorum, et in statu naturae lapsae denique accedit propitiatorium. «Est ratio huius ordinis, quia maxime obligatur homo Deo propter eius maiestatem, secundo propter offensam commissam, tertio propter eius beneficia iam suscepta, quarto propter beneficia sperata» (1II 102, 3). Ex his momentis diversis modo istud modo illud diversis sacrificiis exhibetur. Sic in V. T. holocausta erant imprimis sacrificia latreutica, hostiae pacificae eucharistica et impetratoria, pro peccato et pro delicto propitiatoria (1II 101. 102).

2. *Res oblata* seu obiectum. Sacrificium est res Deo data. Creatura nihil habet proprii, quod Deo dare possit, nisi actum moralem liberi sui arbitrii, quo se totum potest et debet Deo vovere. Hinc obiectum verum et proprium sacrificii est ipsa creaturae rationalis sui-traditio ad Deum. Aug. (Civ. X 6) dicit : «Verum sacrificium est omne opus bonum, quo agitur, ut sancta societate inhaereamus Deo» ; et Thom. (2II 85, 4c) : «Est sacrificium principale, per quod homo Deo spiritum suum offert». Huius sacrificii «principalis» seu «veri», quod etiam sacrificium internum, invisibile, personale dici potest, manifestatio et signum et repraesentatio est sacrificium externum, visibile, liturgicum: «Sacrificium visibile, seu illud quod ab omnibus appellatur sacrificium, invisibilis sacrificii sacramentum, i. e. sacrum signum est» (Civ. X 5) ; «exterius sacrificium repraesentatio est interioris veri sacrificii, secundum quod mens humana seipsum Deo offert» (Gent. III 20, 9). Ergo sui-traditio hominis, seu sacrificium personale est

omnis sacrificii essentia ; res sensibilis oblata vero est eius manifestatio et signum. Ex quo efficitur :

3. *Intentio sacrifica* seu animus ultro seipsum totum Deo auctori ac fini omnium subiciendi est essentia et quasi forma sacrificii. Propter rectum animum erat Deo acceptum iam sacrificium Abel ; hunc prophetae potissimum postulant : «melior est obedientia quam victima» 1 Reg 15 ; sine sacrificio isto personali sacrificium liturgicum nihil valet (Ps 49. 50, 18 ; Mich 6, 6). Ipse Dominus repetit illud Os 6 «Misericordiam volo, non sacrificium» Mt 12 ; pretium sacrificii omnium excellentissimi, crucis inquam, in eo potissimum ab Apostolo cernitur, quod Christus erat obediens usque ad mortem crucis Heb 13.

4. *Actio sacrifica* est actio liturgica, qua apte manifestatur intentio sacrifica seu plena sui-traditio hominis erga Deum, et in eo consistit, quod «circa res Deo oblatas aliquid fit» (2II 85, 3 ad 3). Multum disputant posttridentini, quid accuratius fiat circa res oblatas in sacrificando. Communiter ponunt debere fieri mutationem realem rei oblatae. Quae ex mente M. Cano, quem potissimum Lessius et Lugo sequuntur, est destructio, qua exprimitur Deum esse dominum supremum vitae atque mortis. Ex doctrina M. van der Gaalen, quam Suarez sequitur, est mutatio rei oblatae in melius. *Vix est probabile actionem sacrificam in destructione rei oblatae esse ponendam.* Nam *a)* Deus «non laetatur in perditione vivorum» Sap 1 ; *b)* quum prophetae tum Christus sacrificia cruenta absque intentione vera sacrifica non magni habent ; *c)* ineptum est dicere sacrificium a destruente confici, qui erat in V. T. non sacerdos sed shochet, in sacrificio Christi plane carnifices. Illa theoria destructionis sicut etiam contraria Suaresii multis sacrificiis non nisi vi applicari potest. Standum ergo est sententiae Thomae : aliquid fieri circa res oblatas in diversis sacrificiis diversimode determinandum, et imprimis e liturgia sacrifica eruendum.

5. *Minister legitimus.* Etenim sacrificium hinc quidem est cultus latriae isque perfectissimus ; quomodo autem Deus coli velit ipsius est determinare. Illinc vero mens pia suadet non esse cuiusvis hominis coram tremenda Dei maiestate apparere : «Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron» Heb 5.

2. Essentia sacrifica missae. — Sacrificium missae ex doctrina Tridentini s. 22 hoc habet proprium, quod hinc quidem est sacrificium *relativum*, cuius omnis vis ac ratio in sacrificio crucis nititur ; illinc autem est sacrificium *verum*, quod ergo etiam in se habeat oportet momentum, quo omne sacrificium constituitur, seu actionem sacrificam propriam. Inde essentia sacrifica missae his duabis thesibus enuntiatur :

THES. 1. **Missa est sacrificium relativum,** cuius relatio ad sacrificium crucis e doctrina Tridentini (22 cp 2) est haec :

1. Sacrificium missae cum sacrificio crucis, quod est unicum sacrificium omni perfectione absolutum et infiniti valoris, *est identicum*

a) Quoad rem oblatam: «una enim eademque est hostia». Etenim in divino hoc sacrificio idem ille Christus realiter praesens sistitur et continetur, qui in ara crucis semel seipsum obtulit. — *Sequitur:* substantia panis et vini eucharistici nullo modo est res oblata, sed terminus a quo rei oblatae ; in offertorio Deo offeruntur tamquam oblatio secundaria, ut a Deo in obiectum primarium convertantur. Species vero eucharisticae non sunt pars rei oblatae, sed signa sacramentalia rei oblatae.

b) Quoad offerentem: «idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit». In missa enim idem ipse Christus verus et totus Deo offertur, qui et in cruce ; atqui Christum offerre nemo habet potestatem, nisi ipse. Sacerdotes sunt tantum ministri eius. — *Sequitur:* perperam a protestantibus obicitur sacrificio missae dignitatem et unicitatem sacrificii crucis diminui in Heb tam diserte enuntiatam. Missae enim sacrificium substantialiter idem est ac sacrificium crucis.

2. *Differt* a sacrificio crucis ; «sola offerendi ratione diversa» :

a) primarie: α) Adest *nova intentio sacrifica Christi*, qua sc. seipsum vult tradere Ecclesiae, sponsae suae ac corpori suo mystico, ut ipsa habeat, quid digne Deo offerat et ita obligationi offerendi satisfaciat ac benedictionum sacrificii Capitis particeps fiat. Ideo voluit Christus in cruce solus esse offerens : «torcular calcavi solus et vir non erat mecum» Is 63 ; in Eucharistia vero vult adhibere ministerium sacerdotum, immo totius Ecclesiae : «hanc igitur oblationem servitutis nostrae sed et cunctae familiae tuae quaesumus Domine ut placatus accipias». β) In cruce cruente seipsum obtulit moriendo ac sanguinem fundendo ; in missa *incruente* immolatur ; licet etiam hic mystice adsit sanguis.

b) Secundarie: α) Sacrificium crucis est redemptorium, missa applicatorium ; β) in cruce Christus pro omnibus omnino hominibus se sacrificium obtulit ; in missa pro sola Ecclesia ; γ) missa est sacrificium epulare, epulum sacrificii crucis vero in caena ultima erat antecipatum.

3. *Relatio formalis* missae ad sacrificium crucis est haec : Christus in caena ultima reliquit «sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur, eiusque memoria in finem usque saeculi permaneret, atque illius salutaris virtus applicaretur» (Trid. 22 cp 1).

a) Sacrificium missae eo est *repraesentatio*, quod crux eiusque unicum sacrificium una cum vera intentione sacrifica Christi praesens sistitur ; quasi instauratur ac renovatur sacrificium crucis (III 83, 1). *b)* Recolitur *memoria* passionis eius ; prout ipse praeceperat : hoc facite in meam commemorationem ; et Paulus testatur : «Quotiescunque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat» 1 Cor 11. At missa non est «nuda commemoratio», seu actus mere psychologicus, quod protestantes quoque admittebant (Trid. 22 c. 3), sed memoria per realem praesentationem et communionem realem licet mysticam Christi historici. *c)* Est *applicatio* fructuum sacrificii crucis : quae Christus in actu primo nobis in cruce meruit, per missae sacrificium ad actum secundum perducuntur. In missae sacrificio fideles hinc quidem aduniuntur ad caput suum Christum, ut una cum eo hostia Deo accepta offerantur, illinc vero gratia capitis in membra derivatur ; est ergo centrum oeconomiae christianae.

THES. 2. **Actio sacrifica missae essentialiter est consecratio, integraliter communio sacerdotis.** *Fere commune et probabilissimum.*

DEMONSTR. 1) *Per exclusionem. a)* Actio sacrifica non est in iis ponenda, *quae consecrationem praecedunt et communionem sequuntur ;* etenim α) ante consecrationem nondum et post communionem iam non adest res oblata ; iam vero actio sacrifica est aliquid quod fit circa rem oblatam. Praeterea β) illae partes teste historia labente tempore evolvebantur ; at sacrificii ratio semper inerat missae. *b) Communio* neque est essentia actionis sacrificae, ut volebant Ledesma, D. Soto, Bellord : the banquet

theory ; neque una cum consecratione constituit essentiam actionis sacrificae ; ita Bellarm., Lugo, Salmant., Tournely etc. Etenim α) quod in communione a sacerdote sumitur, iam est cibus et potus sacrificus ; tunc ergo sacrificium iam est absolutum omnino ; β) si communio ad essentiam actionis sacrificae pertineret, nullum existeret verum sacrificium absque epulo sacrificali ; ergo debuisset Christus ipse se sumere in caena ultima ; et sacrificium crucis non esset verum sacrificium, si abstrahatur a caena ultima. Ergo communio non est pars essentialis actionis sacrificae. Eo minus potest teneri sententia, quam primo loco posueramus Ledesmae et aliorum. — Nihilominus communio *est pars integralis* sacrificii missae, quod a Christo d. tamquam epulum sacrificale est institutum, ut sit signum et pignus communionis fidelium cum capite et inter se ac efficiens, «ut sancta societate inhaereamus Deo».

2) Essentia sacrifica missae ergo *in consecratione* est ponenda. *a)* Alibi enim non potest quaeri ; adesse autem debet : alioqui missa non esset verum sacrificium. Confirmatur *b)* eo quod α) *Christus* in caena ultima, ubi sine dubio verum obtulit sacrificium, non communicavit sed consecravit. β) Ita sentiunt iam *Patres* rem tractantes, uti Chrysost (Prod. Iudae 1, 6), Nyssenus (Or. resur. 1), Cyrillus Hier. (Cat. myst. 5, 8). Et suadetur *c) ratione* theologica. Actio sacrifica est, in qua intentio sacrifica liturgice exprimitur. Iam vero Christus per consecrationem sacerdotis in altari apparet et hoc ostendit velle se per manus sacerdotis ab Ecclesia Patri offerri ; idque sub ambabus speciebus, quo liturgice (non realiter ; sub alterutra enim specie totus Christus est praesens) separationem corporis sui et sanguinis manifestat et comprobat intentionem suam hanc sacrificam materialiter eandem esse atque erat in cruce.

COROLL. 1. Probabilius adversus scotistas tenetur *consecrationem sub utraque specie esse de essentia sacrifica missae.*

2. Eucharistia *in tabernaculo vel monstrantia* non est sacrificium, quia intentio sacrifica Christi non manifestatur nisi consecratione.

3. Falsa est *sententia M. Cani* putantis actionem sacrificam in fractione hostiae et immissione partis decisae in calicem esse ponendam. Etenim est hoc momentum mere rituale, quod in compluribus liturgiis deest ; et speciebus tantum, non vero rei oblatae fit.

ADDIT. Post Tridentinum theologi multi quum veritatem sacrificam missae eiusque relativam a sacrificio crucis independentiam adversus protestantes praedicare intenderent et ideo essentiam actionis sacrificae in immutatione reali rei oblatae, plerumque in destructione reponerent, auctores fuerunt *theoriarum diversarum* circa actionem sacrificam missae, quarum praecipuae sunt hae :

1. *Vasquez* (Perrone) : Per praesentiam sub geminis speciebus tamquam symbolis liturgicis repraesentatur sacrificium cruentum Christi realiter praesentis, quin ulla mutatio realis in ipso Christo fieret. Haec sententia theologis minus placet, quia videtur missam non tam verum sacrificium quam veri sacrificii realem representationem habere; ergo essentiam sacrificam missae in mera relatione ponit.

2. *Suarez* (Scheeben) : res oblata secundaria, substantia panis et vini, convertitur in obiectum primarium, ergo in melius mutatur. At non substantia panis et vini, sed corpus Christi est res oblata.

3. *Lugo* (Franzelin) : Corpus Christi in Eucharistia quum ad statum cibi et potus reducitur, in statu decliviore ponitur, et ita accidentaliter

quadamtenus destruitur. Ex opinione Cienfuegos consecratione peracta Christus in tali statu ponitur, ut usque ad commixtionem panis et calicis vita sua sensitiva suspendatur.

4. *Lessius:* Consecratio est mactatio virtualis mystica, qua tamquam gladio mystico Christus occideretur, si iam morti penitus subtractus non esset. — At theoriae destructionis, sive Lugonis sive Lessii, gravissimis difficultatibus sunt obstrictae : Christus eucharisticus est identicus cum Christo glorioso, qui nullo pacto iam destrui potest ; mactatio mystica nulla fit ; sub alterutra enim specie totus Christus manet, et non separatur mystice eius sanguis a corpore, prout in cruce physice acciderat ; impium est Christum vel gladio mystico occidere velle. Ideo *plerique recentiores* uti Pell, Renz, ten Hompel, Bartmann, Kramp, de la Taille etc. cum theologis antetridentinis destructionem ad essentiam sacrificii pertinere negant et actionem sacrificam ut supra statueramus, exponunt, etsi in minutatis multum inter se differant.

§ 99. Efficacitas sacrificii missae.

Statuuntur 1. effectus, 2. efficientia.

1. Effectus. — THES. **Missa est sacrificium non tantum latreuticum sed etiam propitiatorium.** *De fide.*

Protestantes laudes et gratiarum actiones (opere operantis) per missam fieri non negabant, sed vim eius propitiatoriam pertinaciter infitiabantur. *Trid.* 22 c. 3 definivit : «*Si qu. d. missae sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis pro peccatis, paenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere, a. s.*» Probatur per partes.

1. *Missa est* **sacrificium adorationis, gratiarum actionis et impetrationis.** Etenim *a)* Talia erant *sacrificia V. T.-i*, typi sacrificii Christi; ergo etiam antitypus ; tale est sacrificium *crucis*, ergo etiam eius instauratio mystica. *b)* Ipse *Dominus in caena ultima* gratiarum actione Eucharistiam celebravit et idem a nobis fieri mandavit. Praeterea sancte affirmavit se daturum esse, quidquid in suo nomine petituri essemus ; atqui missa est eminentissima petitio in nomine Christi. *c) Ecclesia* liturgiam suam eucharistiam i. e. gratiarum actionem imprimis nominari voluit ; et inde a Tertulliano multi sunt testes affirmantes in commemoratione vivorum pro omnibus necessitatibus Ecclesiae factas esse rogationes.

2. *Quamvis missa sit sacrificium latreuticum in honorem Dei offerendum, non est impostura missas celebrare* **in honorem sanctorum** *et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit.* Ita Trid. 22 c. 5 adversus novatores.

a) Narrantibus martyrio Polycarpi (18, 3), Tert. (Cor. 3), Origene (Or. 31, 5) etc. *ab antiquissimis temporibus* memoria martyrum in missis facta est ; item secundum Cyrillum Hier. (Cat. myst. 5 ; cf. Aug. Faust. XX 21) patriarcharum, prophetarum, apostolorum. Si quandoque dicitur pro (ὑπέρ) sanctis esse oratum, vel communiter christiani sunt illi sancti, vel vero oratur pro honore, non pro salute sanctorum. *b) Rationem*

reddit ipsum concilium (22 cp 3): non sanctis sacrificium offertur sed soli Deo, qui illos coronavit. Unde nec sacerdos dicere solet: Offero tibi sacrificium Petre vel Paule, sed Deo de illorum victoriis gratias agens eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in caelis, quorum memoriam agimus in terris.

3. *Missa est sacrificium* **propitiatorium.** Etenim *a)* talia erant *sacrificia V. T.-i* et sacrificium *crucis;* ergo etiam missa, quae est essentialiter idem sacrificium. *b) Christus* d. in caena ultima sanguinem suum eucharisticum etiam in remissionem peccatorum effusum esse dicit. *c)* «*Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis*» Heb 5; ergo etiam sacerdotes N. T.-i pro peccatis offerant necesse est, alioqui non essent veri nominis sacerdotes. *d)* Idem testatur *traditio:* Iustinus missam confert cum sacrificio farinae a leprosis mundatis offerendo (Dial. 41); Tertullianus vero dicit per missam filium prodigum recipere vestem nuptialem et Christum denuo pro eo mactari (Pud. 9); secundum Cyrillum Hier. (Cat. myst. 5) est θυσία τοῦ ἱλασμοῦ.

DIFF. Protestantes asserunt *blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio* in cruce peracto per missae sacrificium, aut illi per hoc derogari (Trid. 22 c. 4). — RESP. Sacrificium missae non est sacrificium absolutum sed relativum, omne suum pretium efficacitatemque omnem a sacrificio crucis repetens eiusque vim atque merita iugiter applicans; immo ipsum quoque est unus ex fructibus sacrificii crucis. Tantum ergo abest ut missa sacrificio unico crucis deroget, ut etiam pretium eius et virtutem clarius manifestet atque celebret.

4. *Missae sacrificium etiam* **pro defunctis** *offerri potest. a) In V. T.-o* pro defunctis quoque sacrificia offerebantur 2 Mach 12; non potest ergo minoris efficacitatis esse sacrificium n. Legis. *b)* Iam *Tert.* (Cor. 3) testatur: «Oblationes pro defunctis . . . annua die facimus»; *Cypr.* (Ep. 1, 2) prohibuit «pro dormitione» cuiusdam oblationem fieri, qui contra praecepta legis curatelam clerico commiserat. *Augustinum* mater rogaverat, ut sui memoria in altari fieret; et revera offerebatur «pro ea sacrificium pretii nostri iam iuxta sepulchrum posito cadavere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet» (Conf. IX 13). *c)* Propter sanctorum communionem etiam defuncti, utique purgandi, sunt capaces effectuum missae; neque praeceptum caritatis terminis huius vitae terrestris circumscribi debet.

2. Efficientia sacrificii missae. — Duo hic quaeri possunt: Utrum missa effectus suos ex opere operato an ex opere operantis proferat; deinde utrum sit finiti vel infiniti valoris. Ad quae ut rite respondeatur, considerentur et distinguantur oportet

1. *Offerentes: a)* Offerens *principalis* est Christus, cuius quum mens sacrifica et dignitas moralis sit semper eadem eaque absoluta, respectu offerentis principalis omnes missae sunt eiusdem efficacitatis. *b)* Offerens *secundarius generalis* est Ecclesia, quae ut sponsa dilecta Christi semper est Deo accepta; gratior tamen, si sanctitate, pietate, fervore magis abundat. *c)* Offerens *secundarius specialis* est sacerdos offerens, ad cuius dignitatem opus operantis mutatur. *d) Assistentes* sunt fideles pro quibus

missa offertur, deinde qui praesentes sunt, et imprimis ministrantes ; quorum omnium dignitate et devotione opus operantis mutatur.

2. *Effectus: a)* Effectus *latreuticus et eucharisticus* missae est infinitus et ex opere operato procreatur. Etenim est instauratio sacrificii perfectissimi et omnium efficacissimi crucis, cuius dignitas et acceptio coram Deo non pendet ex animo offerentium secundariorum vel plane assistentium, quorum utique devotione adhuc gratior coram Deo redditur. *b)* Effectus *impetratorii et propitiatorii* missae possunt considerari *in actu primo*, seu secundum sufficientiam ; et sic sunt certo infiniti valoris ex opere operato ; sunt etenim effectus ipsius sacrificii crucis. Possunt considerari *in actu secundo* seu secundum efficaciam ; i. e. potest quaeri num in casu particulari reapse effectum suum consequantur, puta beneficium missā rogatum vel levamen animae in purgatorii degentis. Effectus missae impetratorii et propitiatorii in actu secundo considerati inde a Duns Scoto utilitates seu *fructus missae* vocantur, et sunt diversi secundum

3. *Recipientes: a) Fructus generalis* est, qui obvenit universae Ecclesiae : omnibus et singulis membris eius, specialius eis qui intersunt missae (fructus specialior). *b)* Fructus *specialis* (medius, ministerialis), qui obvenit illi causae vel personae, cui per specialem *intentionem* missa applicatur. Ius applicandi ex eo repetitur, quod sacerdos est minister et legatus Christi, rationis et voluntatis compos, quibus ergo etiam uti potest, non utique adversus intentionem Christi. Confirmatur praxi perantiqua (a Tertull.) et constanti. *c)* Fructus *specialissimus*, qui obvenit sacerdoti offerenti ; repugnat enim et maxime est inconveniens, ut qui Christi vice offert, ipse non speciali modo de suo sacrificio participet.

Si nunc quaeritur, 1. *quomodo missae sacrificium fructus proferat?* dicendum : *per modum impetrationis seu intercessionis, non vero per modum instrumenti.* Etenim missae sacrificium ad cultum seu ad Deum adorandum et ad gratiarum actiones primario est institutum, quos effectus ideo per se ex opere operato producit. Bona specialia et peccatorum remissio primario per orationem et per paenitentiam obtinentur ; per missae sacrificium ea parte tantum, quatenus Deus respectu sacrificii, propter obedientiam et devotionem Christi se offerentis et propter animum pium offerentium secundariorum bona rogata secundum leges oeconomiae salutis impertitur, et peccata eo remittit, quod gratiam contritionis confert. Paenae temporales per missam etiam directe delentur et ex opere operato (III 79, 5). Fructus ergo missae procreantur *ex opere operantis.* Operans principalis, seu Christus sacerdos utique semper est Deo acceptissimus, et ex hoc capite fructus missae semper et omnibus seu infallibiliter proferuntur. At offerentes secundarii non semper sunt adeo digni et saepissime non sunt capaces bonorum rogatorum vel propitiationis petitae, atque ideo fructus missae non de infallibili conferentur.

2. *Utrum missae sacrificium quoad fructus proferendos finiti an infiniti sit valoris?* Primum quae certa sunt, dicenda : *Extensive* fructus missae non sunt terminis constricti ; sive enim multi sunt offerentes vel adstantes sive pauci, singuli tantum accipiunt, quasi soli essent. *A recipientibus* semper sunt finiti ; etenim recipientium capacitas semper finita est. Nunc quod disputatur : *Intensive* fructus missae secundum communiorem sententiam sunt finiti ; seu quum imprimis de mediis seu ministerialibus quaeratur, si una missa pro pluribus causis applicatur, singulis minor

fructus contingit, nec unicā tota causa absolvitur. Etenim Ecclesia pro eadem causa multas etiam missas offerri permittit vel iubet; praeterea utpote iuri contrarium prohibetur duplicem eleemosynam pro eiusdem missae applicatione accipere (CIC 825). Non tamen omni probabilitate videtur carere sententia contraria, quam profitentur Caietanus, Gonet, Ledesma, Liguori: fructus intensive quoque propter dignitatem infinitam huius sacrificii esse infiniti valoris; praxim et praecepta Ecclesiae vero inde esse repetenda, quod missa eum in finem sit instituta, ut frequenter, etiam pro eadem causa iteretur.

§ 100. Eucharistia ut sacramentum.

Statuuntur 1. materia, 2. forma, 3. effectus, 4. minister, 5. subiectum, 6. necessitas.

1. THES. **Materia Eucharistiae est panis triticeus et vinum de vite.** *De fide* quoad panem et vinum, saltem *fidei proximum* quoad «triticeum» et «de vite».

Florent. (Decr. pro graecis) docet *in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici* sacerdotesque in altero ipsum corpus Domini conficere debere, unumquemque sc. iuxta suae ecclesiae sive occidentalis sive orientalis consuetudinem. Quaedam sectae antiquae obscurae aliis materiis quoque utebantur sicuti *artotyritae*, *hydroparastatae*, aquarii; Biel, Caietanus putabant quodcunque frumentum: secale, hordeum, oryzam, maizium, esse materiam aptam.

DEMONSTR. **Scr.** Secundum hagiographos Christus ἄρτῳ usus est, qui ex consuetudine loquendi biblica, si absque appositione ponitur, semper panem triticeum significat; item οἶνος ex constanti consuetudine est liquor ex uvis expressus, quod Christus explicite confirmavit: «Non bibam amodo de hoc genimine vitis» Mt 26. Praeterea in caena paschali iudaei non nisi pane triticeo et vino de vite utebantur. **Tr.** Testimonium traditionis et theoreticum et practicum est unanime: Iam Irenaeus (V 2, 3) panem hordeaceum symbolum synagogae, triticeum Ecclesiae esse asserit; Cyprianus aquarios reicit.

Nota bene: 1. *Panis sive azymus, sive fermentatus est materia valida. Christus* d. certo azymis usus est sive «ante diem festum paschae» (Jn 13) sive «in primo azymorum» (synopt.) caenam ultimam habuit; etenim pascha celebravit. In *ecclesia antiqua* usus promiscuus erat; etiam in orientali quandoque azymum esse adhibitum, testis est Origenes (in Mt 12, 6) et usus armenorum atque maronitarum; ita tamen, ut in ecclesia occidentali a s. 8. usus azymorum, in orientali inter saecula 6.—11. usus fermentatorum invaluerit; quin tamen latini ea de re graecos obiurgarent, prout graeci latinis fecerunt.

Usus latinus eo commendatur, quod ita fecit Christus, et fermentum saepe est symbolum iniquitatis: «Attendite a fermento pharisaeorum» Lc 12; «Itaque epulemur: non in fermento veteri, neque in fermento malitiae et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis» 1 Cor 5. Sed nec *usus graecorum* rationibus caret: suadetur enim perantiqua traditione,

et eo quod fermentum apte significat saporem panis caelestis omne delectamentum in se habentis necnon vim Christi, quae sicuti fermentum massam ita fideles pervadit. Ex praecepto *disciplinae vigentis* sacerdotes secundum proprium ritum debent conficere, fideles possunt ex iusta causa alterutro ritu communicare ; curandum tamen est ut communionem paschalem et viaticum secundum proprium ritum sumant (CIC 816. 851. 866).

2. *Vino* ex praecepto gravi, non ad validitatem materiae *ante consecrationem modicissima aqua admisceri debet*, quia *a)* Christus sic fecisse creditur ; calix paschalis erat «mixtus», quod traditione antiquissima confirmatur ; *b)* «quia utrumque i. e. sanguis et aqua ex latere Christi profluxisse legitur ; *c)* ad significandum huius sacramenti effectum, qui est unio populi christiani ad Christum» (Decr. pro Arm.).

3. *Panis et vinum licet gemina sint materia, unum tamen signum sacramentale constituunt* (alioqui plus quam septem essent sacramenta) ; etenim *a)* ad modum unius significant sacrificium crucis, ubi caro et sanguis Christi separata erant ; *b)* unum convivium spirituale constituunt. Et haec est etiam ratio, cur Christus ista elementa elegerit : panis est alimonia corporis maxime necessaria et frequentata ; vinum quod gaudiosum laetificat cor hominis, efficit ut epulum eucharisticum sit verum convivium.

QUAEST. *Quid est materia proxima Eucharistiae?* —Secundum quosdam species connotantes corpus et sanguinem ; secundum alios (Suarez) corpus et sanguis simul cum speciebus. At si materia proxima id intellegitur quod in ceteris sacramentis, sc. materiae remotae applicatio, tunc nulla invenitur materia proxima proprie dicta ; analogice consecratio potest, etsi non soleat materia proxima dici. Certo tamen res et sacramentum sunt corpus et sanguis eucharisticus.

2. THES. **Forma Eucharistiae sunt verba, quibus Christus in caena ultima apostolis corpus et sanguinem tradidit.** *Fidei proximum.*

Secundum Trid. (13 cp 3) semper haec fides in Ecclesia Dei fuit *«statim post consecrationem» verum Domini nostri corpus verumque eius sanguinem sub panis et vini specie existere.* Adversantur *graeci recentiores*, qui consecrationem saltem ex parte *per epiclesim* fieri putant.

DEMONSTR. **Scr.** Christus d. qui voluit ut quae ipse fecerat, ab Ecclesia deinceps in suam repeterentur memoriam, illis verbis consecravit. Etenim *a)* ponendum est ab evangelistis et s. Paulo omnia quae Christus fecerat et dixerat in caena ultima, diligenter esse narrata ; at nullam faciunt mentionem epiclesis vel huiusmodi, sed diligenter omnes referunt verba : Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus ; *b)* ita sentiunt etiam Patres, qui rem formaliter tractant : «Panem corpus suum fecit Hoc est corpus meum dicendo» (Tert. Marc. IV 40). Parum probabilis est ergo sententia quorundam scholasticorum ab Innocentio III. (antequam esset Pontifex) usque Caietanum docentium Christum mero voluntatis consilio consecrasse. **Tr.** *Didache* 9 de Eucharistia dicens orationem dominicam et gratiarum actionem commemorat ; forsitan inde est repetenda quorundam (quibus falso adnumeratur Gregorius M.) opinio singularis oratione dominica fieri posse consecrationem. Patres *antiquissimi:* Iustinus, Irenaeus, Cyprianus tantum de invocatione loquuntur, quin eam accuratius determinent. *Tertullianus* et Clemens Al. iam clarius

disserunt ; thesim formaliter proponunt *Ambrosius* (Myst. IX 52 ; Sacr. IV 4, 14) *et Chrysostomus* (Prod. Iudae hom 1, 6). Exinde unanimis est testimonium traditionis.

Epiclesis s. 4. primum apparet apud *Serapionem* Thmuitanum et est eiusmodi : «Demitte Spiritum tuum super nos et haec dona, et fac hunc panem corpus pretiosum Christi tui (diac. : Amen) ; et quod in hoc calice est, pretiosum sanguinem Christi tui (diac. : Amen), transmutans ea per tuum s. Spiritum (diac. : Amen, amen, amen)». Epiclesis *hodie* invenitur in omnibus liturgiis orientalibus, si excipiantur illae Adaei et Maris syrorum, necnon in mozarabica idque post illa verba : Hoc est etc. ; ante illa verba in ea sola quae nuper in papyro Dêr-Balyzeh inventa est. Quae sit eius origo et quinam primus usus, nescitur. *Theodoretus et Damascenus* (IV 13, 36) primi vim quandam (partialem) consecratoriam ei tribuisse videntur, et *theologi graeci quidam inde a. s.* 14. docere caeperunt consecrationem totam per epiclesim fieri ; quod russi huius temporis iuramento confirmare debent. Hoc tamen *perperam* docetur : *a)* Neque s. Paulus neque traditio priorum quattuor saeculorum epiclesim novit ; *b)* graeci demum a saeculo 17. (Petrus Mogilas : Confessio fidei orthodoxae 1642) consecrationem uno ore in sola epiclesi ponunt ; adhuc in Florentino graeci praeeunte Bessarione cum latinis se sentire asserebant. *Sensus* ergo epiclesis probabilissime non est, ut ullo modo compleat efficacitatem verborum : Hoc est etc., sed ut liturgice eorum sensum exponat et confirmet. Cf. offertorium defunctorum, quod de mortuis sic loquitur quasi eorum sors finalis nondum sit determinata ; ordinationem presbyterorum, ubi episcopus post collationem ordinis dicit : Accipe Spiritum s., quorum remiseris peccata etc.

QUAEST. *Quid est de essentia formae eucharisticae?* — Quum forma ea sit, qua illud significatur quod in hoc sacramento efficitur, essentiale est : *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Falso Scotus docet omnia quae in canone inde a verbis «Pridie quam pateretur» leguntur, pertinere ad essentiam, quasi intentio consecrandi seu in nomine Christi agendi non satis manifestetur intentione missam celebrandi. Neque tenenda est sententia multorum thomistarum (cui fors Thomas III 78, 3. 1 ad 4 ipse quoque favet) verba quae consecrationi calicis adduntur : «mysterium fidei» etc. essentialia esse ; iam vel ideo quia haec verba in multis antiquis liturgiis desiderantur.

3. THES. **Effectus Eucharistiae sunt adunatio hominis ad Christum, augmentum gratiae imprimis caritatis et habitualis et actualis ac pignus futurae gloriae.** *De fide* ex Trid. 13 cp 2.

1. *Adunatio hominis ad Christum* est effectus principalis Eucharistiae. — **Scr.** «*Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo . . . et ipse vivet propter me*» Jn 6. **Tr.** Illud agit participatio corporis et sanguinis Christi, ut «in id quod sumimus transeamus» *(Leo* M. Sermo 63, 7). «Divinis mysteriis digni redditi, concorporei ut ita dicam et consanguinei Christi facti estis» (Cyril. Hier. Cat. myst. 4). Secundum *Cyrillum* Alex. vero (in Jn VI 17) sicut si quis liquefactae cerae aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat oportet, sic qui carnem et sanguinem Domini recipit, cum ipso ita coniungitur, ut Christus in ipso et ipse in Christo inveniatur.

R. in modum et gradum unionis eucharisticae inquirens statuit unionem mysticam cum Christo capite, quae *ontologice et sacramentaliter*

per sacramenta constitutiva (characterem imprimentia) stabilita est, et per gratiam, imprimis per caritatem habitualem *in ordine actionis et vitalitatis* perficitur, in eodem ipso ordine per Eucharistiam continuo augeri atque firmari, idque per modum manducationis mysticae, cuius legem s. *Augustinus* ita proposuit : «Manducabis me (dicit Christus) ; nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me» (Conf. VII 10). Quod alius *auctor ignotus* similitudine eleganti ita illustrat : «Haec est proprietas surculi bonae arboris, si trunco inseratur etiam silvestri, quod naturali virtute praevalens illius amaritudinem in suam dulcedinem et nobilitatem convertit, et similem sibi bonum fructum proferre facit. Sic corpus Christi nobis insitum defectus nostros evacuat et in suam nos bonitatem trahit, ut quales ipse frondes, flores et fructus iustitiae facit, tales et nos per eum faciamus» (Inter opusc. Thom 58, 20). Hoc modo Eucharistia est quasi cor Christi mystici (§ 84, 3), unde omnis vita supernaturalis, etiam per ceterorum sacramentorum scaturigines in Ecclesiam diffunditur. — Hic effectus cum plerisque theologis recte ut *gratia sacramentalis* Eucharistiae consideratur, licet ad oculos ostendat Eucharistiam non esse mere sacramentum.

2. Eucharistia *auget gratiam sanctificantem*, imprimis caritatis virtutem ; est sacramentum vivorum (Trid. 13 c. 5). Quod indicat Apostolus: «*Probet autem seipsum homo et sic de pane illo edat et de calice bibat*» 1 Cor 11. Praeparationem ab Apostolo postulatam non esse contritionem imperfectam, sed iustitiam, tota ecclesia antiqua probat, quae nunquam peccatoribus Eucharistiam administravit (Did. 14 ; Iust. I 66 ; Cypr. Ep. 15 ; Aug. in Jn 26, 11 etc.) Id suadet etiam ratio theologica : Eucharistia est cibus ; atqui *cibus non mortuis sed vivis est destinatus*. Per accidens Eucharistia potest utique etiam gratiam primam conferre.

Augmentum gratiae sanctificantis eo fit, quod corpus Christi vivificans cui homo per s. communionem adunitur, tamquam instrumentum coniunctum virtutem suam, imprimis caritatem in animam infundit secundum illud : «Deus caritas est ; et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo» 1 Jn 4. Eo ipso etiam caritas erga homines augetur et fovetur ; etenim per Eucharistiam homines non tantum ad caput suum Christum, sed etiam inter se uniuntur : «*Unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus*» 1 Cor 10.

3. Eucharistia *confert gratias actuales, tales imprimis, quae caritatem* erga Christum cum anima unitum fovent. Unio enim quae est effectus fundamentalis Eucharistiae, psychologice per actus imprimis caritatis, i. e. per affectus ac promptitudinem bonorum operum ad effectum perducitur. Ita Eucharistia efficit, ut anima sensim dicere possit cum Apostolo : «*Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus*» Gal 2 ; et ideo communionem dignam saepe gaudium spirituale et pax suavissima sequuntur. — Omnis hic effectus digne sumentibus in actu primo semper confertur ; in actu secundo autem iis tantum, qui per affectus peccatorum venialium et defectum debitae praeparationis ac devotionis obicem non ponunt (III 79, 8).

4. Eucharistia est *pignus futurae nostrae gloriae* et resurrectionis. «*Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam et ego resuscitabo eum in novissimo die*» Jn 6. Iam secundum *Ignatium* (Eph 20) Eucharistia est φάρμακον τῆς ἀθανασίας, ἀντίδοτος τοῦ μὴ

ἀποθανεῖν. Non vult suos Iesus dimittere ieiunos, ne deficiant in via Mt 15 ; ideo etiam viatici nomine moribundis se praestat.

Quod ad *modum* quo Eucharistia resurrectionis est medium atque pignus attinet, animus ad id intendendus est, quod Deus vivificabit mortalia corpora nostra «propter inhabitantem Spiritum eius in nobis» Rom 8 ; Eucharistiā spiritus vitae aeternae augetur ac fovetur et novus immortalitatis titulus additur : quum ad Christum unimur, quasi pars carnis eius efficimur et ideo a mortis potestate servamur : «Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam» Eph 5.

5. Praeterea Eucharistiā *per concomitantiam a)* est «*antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis* et a peccatis mortalibus praeservemur» (Trid. 13 cp 2), eo praesertim quod affectibus caritatis ab Eucharistia excitatis acedia, mater peccatorum venialium fugatur (III 79, 4) ; quibus deinde affectibus atque actibus caritatis ex opere operantis paenae temporales quoque delentur. *b)* «*Carnis etiam libidinem cohibet* ac reprimit» (Cat. Rom. II 4, 53), tam augendo caritatem quam probabiliter mystice animam tangendo et firmando.

Nota bene : Effectus Eucharistiae proferuntur eo instanti, ubi dici potest species sumptas esse, et proferri pergunt dum species adsunt ; Eucharistia enim est cibus, et ideo etiam per modum cibi profert effectus suos (III 80, 8 ad 6).

4. THES. 1. **Minister Eucharistiae conficiendae est solus sacerdos.** *De fide* ex Tridentino.

Adversus *waldenses et albigenses* omnibus laicis iustis et contra *lutheranos* omnibus omnino laicis illud ius tribuentes *Trid.* 22 c. 2 definivit verbis (consecrationis) a Christo esse ordinatum, ut apostoli aliique sacerdotes offerant corpus et sanguinem suum (cf. § 107, 1).

DEMONSTR. **Ser.** Eucharistiam conficere idem est ac sacrificium n. Legis offerre ; atqui sacrificandi ius non omnibus competit, «*nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo*» Heb 5 ; ita iam in V. T.-o, eo magis in Novo. Et revera Christus d. neminem praeter apostolos ad caenam ultimam admisit eisque solis commemorationem suam eucharisticam commisit. **Tr.** Iam *Didache* 15 postquam de celebratione Eucharistiae dixerat, addit : «Constituite igitur vobis episcopos et diaconos dignos Domino», *Clemens R.* parallelismum statuit inter episcopos et diaconos atque sacerdotes et levitas V. T. Secundum *Iustinum* (I 65. 67) οἱ προέστωτες τῶν ἀδελφῶν offerunt Eucharistiam. Idem etiam Tertullianus et Cypr. (Ep. 5, 2 ; 63, 24) diserte testantur et omnes posteriores confirmant. **R.** Eucharistiae confectio est *sacrificium;* offerre sacerdoti soli convenit (III 82, 1. 3). Protestantes doctrinam suam de sacerdotio omnium christianorum nunquam ad praxim adducebant.

THES. 2. **Minister Eucharistiae administrandae ordinarius est sacerdos, extraordinarius diaconus.** *Certum.*

DEMONSTR. **Ser.** Ex ordinatione Christi minister ordinarius est sacerdos ; apostolis enim solis et (ex consequentia sacerdotii instituti) eorum in sacerdotio successoribus Christus dixerat : Hoc facite in meam commemorationem. **Tr.** Ab antiquissimo tempore traditio fert (Iustin., Tertull., Iren.) quod habent *Constitutiones Apostolicae:* Diaconus non offert ; «ipse vero, cum episcopus vel presbyter obtulit, dat populo, non tamquam

sacerdos, sed tamquam ministrans sacerdotibus» (VIII 28). **R.** Conveniens est, ut idem distribuat hostiam qui eam obtulerat, seu sacerdos, qui est etiam mediator ordinarius inter Christum et fideles et utpote in altiore gradu ordinis constitutus sanctius sancta tractare potest ac debet (III 82, 3). Quandoquidem autem Eucharistia est sacramentum permanens, alius potest esse minister distribuendi atque erat conficiendi ; et ita convenit ut illud munus diaconis utpote adiutoribus ordinariis sacerdotum committatur.

Nota bene : Quia Eucharistia est sacramentum permanens, per se non est impossibile, ut *laicus* quoque vel aliis vel etiam sibi eam administret ; quod secundo loco posuimus, revera aliquando in usu fuit (domi, in carcere, in eremo) ; a Nicaeno tamen lege cautum est ne id amplius fieret (excepto forsitan casu necessitatis urgentis).

5. THES. **Subiectum dignum Eucharistiae est christianus iustificatus.** *De fide* ex Tridentino.

EXPLIC. Sumptionis Eucharistiae diversa sunt genera : 1. *Sumptio mere materialis* quae absque conscientia sacramenti fit. De hac nobis non est sermo. — 2. Sumptio *mere spiritualis*, seu votum sacramenti cum fide et caritate, cuius subiectum capax est omnis adultus. — 3. Sumptio *sacramentalis*, quae fit cum conscientia sacramenti. Huius subiectum aptum est quicunque viator baptizatus. Si Eucharistia quandoque panis angelorum appellatur, hoc metonymice dicitur : panis angelis dignus. Communio mortuorum erat abusus quem synodus Hipponensis a. 393 his reprobat : Dictum est enim a Domino : Accipite et edite ; cadavera autem nec accipere possunt nec edere. Debet esse baptizatus, quum baptismus sit ianua sacramentorum ; baptismus flaminis probabiliter non sufficit. — 4. Sumptio *sacramentalis simul et spiritualis*, seu fructuosa, de qua thesis agit. Errarunt *lutherani* praeparationem sufficientem dicentes fidem. Quam opinionem Trid. (13 c. 11 ; cp 7) damnavit et pro peccatoribus praeter casum necessitatis urgentis non solum contritionem (perfectam) sed etiam confessionem praescripsit. Ad nimium perveniebant *iansenistae* caritatem, paenitentiam perfectam et absolutam postulantes, ex quo rarissimus usus Eucharistiae quibusdam in regionibus invaluit. *Pius X.* demum satuit omnibus fidelibus ius competere communionis quotidianae, dummodo sint in statu gratiae et recta piaque mente accedant.

DEMONSTR. **Scr.** Christus d. in caena ultima declaravit apostolos esse mundos (cf. lotionem pedum ; Iudas probabiliter non communicavit). Paulus dicit : «*Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit non diiudicans corpus Domini*» 1 Cor 11. **Tr.** Iam *Didache* 14 praescribit : «Die dominica autem convenientes frangite panem et gratias agite, postquam delicta vestra confessi estis, ut sit mundum sacrificium vestrum». Quod deinceps semper servabatur : catechumenis et paenitentibus vel plane peccatoribus Eucharistia semper denegabatur. **R.** Eucharistia *ut cibus ex rei natura vivis* est destinata. Atqui in ordine supernaturali non vivit nisi iustificatus.

Nota bene : Praeterea *ex lege naturae* praescripta est debita devotio et *ex lege Ecclesiae* (cuius iam Tert. Ux. II 5 ; Cypr. Ep. 54, 6 est testis) ieiunium naturale.

COROLL. *Infantes baptizati sunt subiectum aptum dignae sumptionis*, ut testatur etiam praxis frequentissima Ecclesiae : usque ad a. 1200 in occidentali, in orientali usque in hunc diem. Probabiliter eis per sumptio-

nem etiam gratia augetur ; si enim capaces sunt gratiae primae (per baptismum collatae), non est cur non etiam gratiae secundae. Similiter de amentibus et semifatuis est dicendum.

6. Necessitas. — THES. 1. **Sumptio Eucharistiae necessaria est necessitate praecepti divini et ecclesiastici.** *De fide.* Trid. 13 c. 9 definivit : «*Si quis negaverit omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, quum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in paschate ad communicandum iuxta praeceptum s. matris Ecclesiae* (Later. IV.) *a. s.*» — DEMONSTR. **Scr.** Explicitum adest mandatum Domini : «*Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*» Jn 6 ; «*Hoc facite in meam commemorationem*». **Tr.** Patres verba ista Christi omnes de necessitate saltem praecepti interpretantur. **R.** Quum tot gratiae cum Eucharistia sint connexae, conveniens fuit ut praeceptum sumptionis iis quibus praecepta dari possunt, seu adultis imponatur.

Christo d. nihil de *frequentia sumptionis* praecipiente ex rei natura praeceptum saltem ante mortem obligat. Viaticum ab Ecclesia sub gravi praescribitur ; primi testes diserti sunt qui Ambrosium, Basilium, Benedictum ante mortem Eucharistiam sumpsisse narrant. Deinde obligat aliquoties in vita. Christiani prisci in quavis missa cui intererant communicabant, cca a. 500 plerique iam tribus tantum festis maioribus, multi etiam semel quotannis, immo rarius ; quare Ecclesia «propter iniquitatis abundantiam refrigescente caritate multorum» (III 80, 10 ad 5) praescriptum supra commemoratum dedit. *Anni discretionis* antea 10—14, a Pio X. circa 7. habentur.

THES. 2. **Eucharistia non est necessaria necessitate medii absoluta.** *De fide* quoad infantes, *certum* quoad ceteros.

Tridentinum definivit «*parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint non esse necessariam Eucharistiae communionem*» (21 c. 4) ; de adultis docet eis ad salutem necessarium esse baptismum ; si postea in peccata gravia prolapsi fuerint, etiam paenitentiam ; nullibi autem de Eucharistia tale quid statuit.

DEMONSTR. *a) Qui in statu gratiae sanctificantis decedit, salvatur;* atqui praeter infantes baptizatos quorum causa perspicua est, fieri potest ut adultus baptizatus quoque in statu gratiae moriatur. Non enim potest probari Eucharistiam omnino necessariam esse ad gratiam sanctificandam servandam ; gratiae enim actuales ad id necessariae aliis mediis v. g. orationibus quoque procurari possunt. *b) Ecclesia nunquam votum Eucharistiae ad salutem necessarium duxit,* immo paenitentibus, tempore interdicti aliis quoque Eucharistiam ad longius tempus negavit.

DIFF. 1. Eucharistia *est cibus animae;* atqui absque alimonia vita paulatim decidit. — RESP. Animae alii quoque cibi ad vitam supernaturalem nutriendam praesto sunt, uti fides, caritas, oratio, cetera sacramenta.

2. *Christus* in sermone eucharistico verbis «Nisi manducaveritis . . .» idem dicit atque Nicodemo de baptismatis necessitate dixerat : «Nisi quis renatus fuerit . . .» Et revera ita sentit *Augustinus:* neque infantes posse intrare in regnum caelorum absque Eucharistiae sumptione (Pecc. merit. I 20, 26 ; Ep. Pel. II 4 ; Iulian. I 4, 13 etc.), cui adstipulantur Caelestinus I. et Gelasius. — RESP. Quoad Augustinum quidam cum Petavio ultro dant

eum in hac materia errasse. Rectius autem dicitur Augustinum adversus pelagianos id tantum asseverare, quod non possit infans habere vitam aeternam sine communione cum Christo. Ad verba vero Domini quod attinet, deest parallelismus : In oratione eucharistica Christus non tam universim atque Nicodemo locutus est, sed ab incredulis iudaeis potissimum fidem in se et sua promissa postulavit.

COROLL. *Infantes non sunt obligati ad Eucharistiam sumendam:* non necessitate medii quae nulla obtingit ; non necessitate praecepti, cuius infantes incapaces sunt. Ideo ecclesia occidentalis ex convenientibus causis, imprimis ut honori Eucharistiae efficacius consulatur, hanc praxim pedetentim abdicavit.

ADDIT. *Eucharistia adultis necessitate medii relativa et morali est necessaria.* Probabile. — Etenim commendatio ipsius Christi d. in sermone eucharistico, dignitas et efficacitas sacramenti suadet adultos in statu gratiae vix diutius stare posse, si ab hac alimonia efficacissima et aptissima diu abstineant. Ideo tenentur etiam ex praecepto sui-dilectionis pro opportunitate Eucharistiam sumere et votum eius elicere (III 80, 11).

THES. 3. **Nulla est obligatio extra celebrationem missae Eucharistiam sub utraque specie sumendi.** *De fide.*

Thesim iam *Constantiense* adversus calixtinos seu utraquistas hussitas definierat et quum novatores usum Ecclesiae probris afficerent, *Trid.* 21 c. 1 eos anathematizavit qui dixerint «*ex Dei praecepto vel necessitate salutis omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiae sacramenti sumere debere*».

DEMONSTR. **Scr.** *Christus* thesim eo significat, quod postquam generatim dichotomice in sermone eucharistico locutus erat, bis dicit : «Qui manducat me». Mandatum autem in caena ultima datum ad celebrationem sacrificii eucharistici, non vero ad communionem sacramentalem potest ac debet referri ; eo magis quia Christus modum sumendi Eucharistiam accuratius non determinaverat. **Tr.** *Ecclesia* usque ad a. 1250 plerumque sub utraque specie Eucharistiam administraverat (III 80, 12) ; at saepe etiam sub alterutra : *a)* domi vel in carcere et eremo sub specie panis sumebatur ; *b)* infantibus et quandoque aegrotis sub specie vini administrabatur ; *c)* in missis praesanctificatorum solus panis consecratus adhibebatur. *d)* Leo M. testis est (Sermo 42 ; Ep. 59) Eucharistiam quandoque aliis etiam occasionibus sub sola panis specie administratam esse. **R.** Quum *Christus totus praesens sit sub alterutra specie,* totus quoque sub alterutra sumitur.

QUAEST. *Utrum plus gratiae qui sub utraque specie sumit, accipit?* — Communius et probabilius id negatur cum Thoma et Suaresio adversus Vasquez et Lugo. Etenim sacramenta id efficiunt quod significant ; iam vero alterutra specie idem significatur : corpus Christi sacramentale ut alimonia spiritualis, etsi per utramque distinctius quam per alterutram.

COROLL. *Ecclesia potuit praescribere, ut extra celebrationem missae Eucharistia sub sola panis specie sumatur.* Faciebat hoc tempore calixtinorum ad ostendendam imprimis fidem catholicam (Opusc. 27, 29). Accedunt gravissimae rationes practicae calicis prohibendi : periculum effusionis, aversio quorundam a vino et multorum a calice communi, raritas vini in quibusdam regionibus, paupertas ecclesiarum multarum.

Caput 5. De paenitentia.

Quaeritur 1. de veritate sacramentali, 2. de materia, 3. de usu paenitentiae, 4. de indulgentiis.

Tractatus de paenitentia. *Thom.* III 84—90; Suppl. 1—25 et commentarii imprimis Ioannes a s. Thoma, Suarez, Salmant. *Bellarminus:* De Paenitentia; *Lugo:* De virtute et sacramento paenitentiae 1651; D. *Palmieri:* Tr. de paenitentia [2]1896; *Prohászka* O.: A keresztény bűnbánat és bűnbocsánat [4]1927; G. *Huarte:* Tr. de sacramento paenitentiae [2]1930; P. *Galtier:* Le péché et la pénitence 1929; Th. *Spačil:* Doctrina theologica Orientis separatae de sacramento paenitentiae 1926. — J. *Morinus:* Commentarius historicus de disciplina in administratione sacramenti paenitentiae tredecim primis saeculis in ecclesia occidentali et hucusque in orientali observata 1651; *Sirmond:* Historia paenitentiae publicae 1651; P. *Batiffol:* Etudes d'histoire et de théologie positive I [7]1926; K. *Adam:* Das sogenannte Buszedikt de Papstes Kallist 1917; Die kirchliche Sündenvergebung nach dem h. Augustin 1917; Die geheime Kirchenbusze nach dem h. Augustin 1921; B. *Poschmann:* Hat Augustinus die Privatbusze eingeführt? 1920; Die abendländische Kirchenbusze im Ausgang des christlichen Altertums 1928; Die Kirchenbusze im frühen Mittelalter 1930; E. *Göller:* Studien über das gallische Buszwesen 1929; J. *McNeill:* Celtic penitentials and their influence 1929; P. *Galtier:* L'Église et la rémission des péchés aux premiers siècles 1932.

§ 101. Veritas sacramentalis paenitentiae.

Statuuntur 1. institutio, 2. indoles, 3. forma, 4. materia paenitentiae.

1. Institutio. — THES. **Paenitentia est sacramentum n. Legis a Christo institutum.** *De fide.*

EXPLIC. *Paenitentia* est sacramentum n. Legis, quo sacerdos peccata post baptismum commissa paenitenti, confitenti, ad satisfactionem praestandam parato Dei nomine remittit. *Vocatur* plerumque per synecdochen paenitentia (a v. paenitere = paenam tenere), μετάνοια (mutatio mentis), confessio, exomologesis; baptisma laboriosum, secunda post naufragium tabula (Tertull.). — *Adversantur donatistae*, qui omnes peccatores manifestos ex Ecclesia excludebant; *novatores* s. 16. posterius negabant institutum esse aliquod sacramentum ad remissionem peccatorum distinctum a baptismate, et peccatorum veniam per terrorem conscientiae et regressum ad baptisma obtineri dicebant. *Rationalistae* et modernistae infitiantur in ecclesia prisca notum fuisse sacramentum paenitentiae.

Tridentinum s. 14. veritatem catholicam circa paenitentiam proposuit; c. 1: «*Si qu. d. in catholica Ecclesia paenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus quoties post baptisma in peccata labuntur ipsi Deo reconciliandis a Christo d. n. institutum, a. s.*»; canone 2. statuit paenitentiam esse sacramentum distinctum a baptismate; c. 3: «*Si qu. d. verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum s.; quorum remiseritis* etc. (Jn 20) *non esse intellegenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento paenitentiae, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem contra institutionem huius sacramenti ad auctoritatem praedicandi evangelium, a. s.*»

DEMONSTR. **Scr.** Est doctrina fundamentalis V. T.-i iniquitatibus iudicia Dei adduci: Cain, turris Babelica, diluvium, Sodoma etc.; at paenitentibus, qui actibus etiam externis, imprimis sacrificiis contritionem manifestare debent, semper misericordia divina et remissio est

parata ; ita iam protoevangelium Gen 3. Hoc prioribus temporibus pro indole evolutionis oeconomiae v. Legis toti populo, inde a prophetis, imprimis Is (6. 40—66), Jer, Os, Ez 16 etiam singulis erat promissum et pro tempore messiano praenuntiatum, quod Ps imprimis paenitentiales confirmant ; cf. 6. 13. 31. 40. 50.

In N. T.-o. *Christus* verbis Baptistae munus suum messianum ingreditur : «*Paenitentiam agite; appropinquavit enim regnum caelorum*» Mt 4. Paenitentia vero in eo ponitur, ut homines mutent cor, ab operibus iniquis ad Deum revertantur, proximis remittant, et pro remissione orent. Vere paenitentibus remissio peccatorum patet, ut ostenditur parabolis filii prodigi, pharisaei et publicani ; idque ex misericordia Dei, ita tamen, ut Christus ipse propria potestate peccata remittat, uti paralytico, latroni in cruce. Hanc deinde potestatem apostolis eorumque successoribus et promittit et confert.

1) *Promittit:* Mt 16 Petro, dein Mt 18 omnibus apostolis promisit potestatem ligandi et solvendi : «*Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo; et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo.*» His verbis, quibus Ecclesiae vera potestas iurisdictionis a Christo committitur (§ 79, 2 ; 80, 3), certo *etiam potestas solvendi a peccatorum vinculo* promittitur. Etenim *a)* apostoli accipiunt potestatem solvendi quaecunque vincula a regno caelorum ingrediendo impedientia ; atqui peccata sunt vincula gravissima impedientia ingressum in caelum; *b)* Mt 18 de peccatis fratrum eorumque remissione atque correctione agit; ergo verba Domini etiam ad peccata extendantur oportet.

2) *Confert* potestatem remittendi. Quum Christus d. apostolis post resurrectionem ianuis clausis apparuit, dixit : «*Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit et dixit eis: Accipite Spiritum s.; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt,* ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφέωνται αὐτοῖς, ἄν τινων κρατῆτε, κεκράτηνται Jn 20. His verbis Christus *a)* dedit apostolis *potestatem vere remittendi* peccata : α) Hoc ipsis verbis edicitur : ἁμαρτίαι non potest hic accipi pro fomite peccati, qui semper in singulari ponitur ; neque pro paena peccati, cuius nulla est condonatio absque remissione peccatorum. β) Misit apostolos ea potestate qua ipse missus erat a Patre ; atqui ipse a Patre missus erat ut salvum faceret quod perierat ; et vere remisit peccata, non tantum enuntiavit homines paenitentes mundatos esse, ut patet ex iis quae paralytico dixerat Mt 9 (cf. Mc 2). *b)* Dedit potestatem remittendi *distinctam a potestate baptizandi.* Etenim potestas remittendi est alternativa, remittendi aut retinendi, nec limitibus circumscripta ; e contrario baptismus est unicus, nec ibi locus relinquitur peccatis retinendis. *c)* Voluit Christus, *ut apostolorum successores quoque* hanc exerceant potestatem ; eodem enim modo eam dedit quo dederat potestatem docendi, Eucharistiam celebrandi, baptizandi, seu in perpetuum ; eo magis, quia peccatores remissione indigentes non deerunt usque ad finem mundi. *d)* Exercitium huius potestatis est *sacramentum:*

adest enim effectus supernaturalis sc. remissio peccatorum et signum efficax sc. actus iudicialis (cf. infra n. 2).

Tr. *Ut suffragia traditionis rite aestimentur*, haec sunt consideranda : *a)* firma erat christianorum priscorum persuasio vestem baptismalem maculare esse quasi moraliter impossibile ; et historia teste aera martyrum hoc ideale propemodum assequebatur. *b) Praxis paenitentialis* ecclesiae antiquae a nostra quadamtenus differebat : α) Nonnulla peccata quae nobis gravia esse videntur, tunc paenitentia privata expiari posse censebantur ; β) nondum invaluit usus generalis confessione privata ad Eucharistiam sumendam et ad mortem se praeparandi ; γ) confessiones devotionis causa factae nondum in usu erant ; δ) diversa erant genera paenitentiae : publica pro peccatis publicis ; canonica pro peccatis sive publicis sive privatis secundum canones publice peragenda; sollennis pro peccatis capitalibus, pro apostasia, adulterio, homicidio, semel in vita concessa ; rarior privata pro peccatis occultis. Haec si prae oculis habentur, testimonium etiam trium priorum saeculorum locupletissimum esse apparet.

Didache (4. 10. 15) iniungit fidelibus, ut ante Eucharistiam confiteantur peccata et coram ecclesia fratribus reconcilientur. *Clemens R.* (51. 52) corinthios rebelles monet, ut confiteantur peccata sua Domino, subiciant se presbyteris et paenas ad iustificationem accipiant. *Polycarpus* 6. suadet presbyteris, ut cum mansuetudine peccatoribus provideant et ne sint iudices nimis severi. Secundum *Hermam* (mand. 4, 1. 8 ; simil. 6. 7 ; vis. 2, 4) christianus non debet peccare ; nunc autem per angelum una adhuc paenitentia est concessa etiam peccatoribus eaque valde laboriosa, quam Hermas presbyteris nuntiare est missus. Iustinus (Dial. 47) testis est omnia peccata posse paenitentia placari. *Dionysius Cor.* (c. a. 170) hortatur ecclesias, ut peccatores a quocunque lapsu vel errore conversos benigne accipiant (Euseb. H. E. IV 23). *Irenaeus* (I 13, 7) de mulieribus seductis a Marco quodam eiusque discipulis narrat, quarum quaedam «in manifesto exomologesim faciunt, quaedam autem reverentes hoc ipsum, in silentio sensim semetipsas desperantes retrahunt a vita Dei.

Tertullianus adhuc catholicus in libro De paenitentia testatur unam esse paenitentiam post baptismum publicam ac laboriosam, coniunctam cum exomologesi coram presbyteris facienda, cuius effectus est reconciliatio cum Ecclesia. Montanista in libro De pudicitia non denegat quidem Ecclesiae potestatem dimittendi, at montanistice pneumaticis eam vindicat et eximit peccata capitalia ; sed in eodem ipso libro testatur episcopum carthaginensem quaecunque peccata remittere et «episcopum episcoporum» (vel Callistus vel Zephirinus papa, vel Agrippinus episcopus carthaginensis) ita loquentem inducit : «Ego et moechiae et fornicationis delicta paenitentia functis dimitto» (Pud. 1).

Secundum *Clementem Alex.* (Strom. II 13 ; Quis dives 42) secunda remissio iam non mera paenitentia (sicut prima in baptismo), sed etiam verecundia confessionis datur ; qui paenitens confitetur peccata sua, lacrimis seminat et cum gaudio metet. Testis maxime disertus est *Origenes*. Plures sunt, ut ipse dicit, modi quibus secundum evangelium remissionem peccatorum consequi possumus : baptismus, martyrium, eleemosyna, remissio peccatorum alienorum, correctio vitae, abundantia caritatis ; «est adhuc et septima, licet dura et laboriosa, per paenitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator cum lacrimis stratum suum et fiunt

ei lacrimae suae panis die ac nocte, et cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum et quaerere medicinam» (In Lev 2, 4 ; Cels. III 50 ; in Ps 37,1). Teste *Cypriano* (Laps. 29 ; Ep. 55, 29 ; 16, 2 ; 59, 13) multi erant post persecutionem Decii lapsi ; at nemo a paenitentia erat arcendus, nemini de reconciliatione obtinenda desperandum : tantummodo «confiteantur singuli delictum suum, dum adhuc qui deliquit in saeculo est, dum admitti eius confessio potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Deum grata est» ; graviter praeterea eos reprehendit, qui antequam peccata sua confessi et sacerdotum manibus mundati sint, acccedunt ad Eucharistiam.

Inde a saeculo 4. testimonia abundant : *Athanasius* (Fragm. c. Novat.) efficacitatem paenitentiae baptismo parem ducit ; secundum *Chrysostomum* (Sacerd. III 5) sacerdotes maiorem potestatem acceperunt quam angeli, quibus non est dictum : Quodcunque ligaveritis etc. Pariter latini : secundum *Lactantium* (Inst. IV 17) paenitentia est quasi denudatio sicut erat in circumcisione ; *Hieronymo* (in Soph 1, 10) dicente baptismus et paenitentia sunt duae portae, quibus homo ad Ecclesiam ingreditur et regreditur; *Ambrosius* confessarius erat celeberrimus, qui propriis lacrimis peccatores ad paenitentiam movebat. *Augustinus* monet, ne eos audiamus, qui Ecclesiam Dei omnia peccata dimittere posse negant (De agone christ. 3 ; in Ps 101, 2. 3 ; Symb. 1, 7 ; Enchir. 63—84 ; Ep. 228 ; Serm. 295. 351. 352).

R. Est cordi humano alte insitum desiderium post peccata cognita *reconciliari cum Deo ;* atqui peccatum est offensa Dei ; et ideo restitutio amicitiae non fit, nisi Deus ipse remittat ; et peccator non est securus de reconciliatione obtenta nisi audire mereatur : remissa tibi sunt peccata tua, vade in pace. Quod autem in hoc salutis ordine aptissime per aliquod sacramentum fit.

2. Indoles. — THES. **Remissio peccatorum per Ecclesiam ex mandato Christi facta est actus iudicialis.** *De fide.* Trid. 14 c. 9 adversus novatores statuit «*absolutionem sacramentalem esse actum iudicialem, et non nudum ministerium declarandi remissa esse peccata confitenti*».

DEMONSTR. **Scr.** Thesis implicite Litteris d. continetur. Etenim *tria requiruntur, ut actus aliquis sit iudicialis:* iurisdictio, cognitio causae et sententia rata. Iam vero *a)* Christus apostolis dedit potestatem ligandi et solvendi, quae veram iurisdictionem complectitur (§ 79, 2 ; 80, 3) ; *b)* potestas illa est alternativa : ligandi et solvendi, remittendi et retinendi, contrarie et non mere contradictorie opposita ; ad quam rite exercendam cognitio causae requiritur ; *c)* verba Christi : ligare-solvere, remittere-retinere non meram pronuntiationem, sed veram efficaciam significant ; quod confirmatur forma hypothetica graeci : ἄν τινων cum coniunctivo.

Tr. Iis quibus thesis praecedens probata est, quaedam addere iuvat : «In Ecclesia . . . summum futuri iudicii praeiudicium est» (Tertul. Apol. 39). «Sacerdoti solium in caelis collocatum est et caelestia administrandi habet potestatem. Quis haec dicit? Ipse caelorum rex : Quaecunque enim etc.» (Chrysost. Sacerd. III 5 ; cf. Const. Ap. II 11 ; Ambr. Paen. I 2, 7 ; Aug. Civ. XX 9, 2). **R.** *Per baptismum homines iurisdictioni Ecclesiae subiciuntur ;* conveniens ergo est, ut peccatores coram tribunali Ecclesiae appareant ; eo magis quia ante baptismum ex ignorantia verae fidei pec-

caverant, nunc vero maiorem ingratitudinem ostendunt, et ideo convenit ut severius iam puniantur et efficacius deterreantur.

Nota bene : Hoc forum internum licet verum sit tribunal, multum tamen *a foro externo differt: a)* est tribunal gratiae ; *b)* ipse peccator est simul accusator et accusatus et testis ; *c)* sententia fori interni accusatum insontem non solum pronuntiat sed facit.

3. Forma. — THES. **Forma sacramenti paenitentiae sunt verba absolutionis sacerdotatis.** *Certum.* Docet Trid. 14, cp 3. paen., «*sacramenti paenitentiae formam in qua praecipue ipsius vis sita est, in illis verbis positam esse: Ego te absolvo etc.*», quibus de Ecclesiae more preces quaedam laudabiliter adiunguntur, ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectant (cf. CIC 885).

DEMONSTR. *a)* Remissio sacramentalis peccatorum est *actus iudicialis;* atqui huius forma est sententia lata. *b)* Formae sacramentorum significant id quod sacramenta conferunt ; atqui paenitentia remissionem peccatorum imprimis confert ; ergo.

COROLL. 1. *Verba absolutionis non sunt mere declarativa sed consecrativa.* Etenim sunt pars signi sacramentalis, quod ex doctrina catholica est causa vere instrumentalis gratiae. Praeterea si verba absolutionis non essent consecratoria, non essent vera ; namque supra insontem enuntiarent : ego te absolvo.

2. *Absolutio viva voce praesenti est danda.* Etenim forma unum morale cum materia constituat oportet ; absolutio in distans cuius mentionem faciunt scholastici (in Lomb. IV dist. 17, 3. 4), erat sacramentale.

QUAEST. *Utrum indicativa an deprecativa debet esse forma?* — Primis saeculis formam deprecativam fuisse colligere licet ex eo quod *Augustinus* donatistas reprehendat : «Futuri erant homines qui dicerent : ego peccata dimitto, ego iustifico, ego sanctifico» (Sermo 99). Porro *Morinus* ostendit apud graecos nullam unquam aliam atque formam deprecativam in usu fuisse ; item apud Latinos usque ad saeculum 9. ; saeculis 10—13. mixtae adhibebantur et cca a. 1250 demum formula nostra indicativa invaluit. Sequitur formam etiam deprecativam validam esse, etsi in ecclesia latina graviter sit illicita. Et revera sicut formā indicativa indoles iudicialis potestatis remittendi, ita formulā deprecativa indoles eius ministerialis apte manifestatur. Ceterum omnes formae sacramentales ad sensum sunt deprecativae, quum effectum a Deo gratiae auctore repetant ; sed omnes etiam indicant gratiam ex opere operato conferri.

4. Materia. — THES. **Materia proxima paenitentiae sunt actus paenitentis : contritio, confessio et voluntas satisfaciendi.** *Probabilissimum* et commune adversus scotistas.

EXPLIC. Materia remota paenitentiae nulla est. Praesertim non est in peccatis ponenda ; sequeretur enim peccata esse causam instrumentalem (partialem) gratiae ; quod est absurdum. Sunt utique *materia circa quam* sacramentum versatur ; et hoc sensu theologia moralis de materia gravi et levi, necessaria et libera, certa et dubia, sufficienti et insufficienti loquitur. De materia proxima autem disceptatur. Convenit inter theologos *tres actus paenitentis esse partes necessarias paenitentiae.* Etenim *a)* ita Tridentinum definivit (14 c. 4) ; deinde *b)* remissio sacramentalis utpote actus tribunalis gratiae isque fori interni non potest esse sine accusatione sui coniuncta cum animo resipiscendi. Sed quum *thomistae* et fere omnes

molinistae in his actibus etiam materiam sacramenti reponant, *scotistae* eos tantum conditionem necessariam sacramenti validi esse volunt et totum signum sacramentale in absolutione cernunt, cuius voces fuerint materia, sensus vero forma.

DEMONSTR. *a) Trid.* 14 c. 4 eum anathematizat, qui negaverit «*ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in paenitente quasi materiam sacramenti paenitentiae, videlicet contritionem, confessionem et satisfactionem, quae tres paenitentiae partes dicuntur*». A s. synodo actus paenitentis ideo tantum *quasi-materia* dicuntur, quia non sunt elementa materialia sicut aqua, vinum, oleum ; si enim synodus noluisset profiteri actus paenitentis esse partem signi sacramentalis, non dixisset in verbis absolutionis «praecipue» (ergo non exclusive !) esse sitam vim sacramenti. Ita Concilium interpretatur etiam Cat. Rom. (II 5, 12). *b) Patres* quaestionem formaliter non movent, at actibus paenitentis tantam tribuunt auctoritatem et vim, ut sententiae Scoti vix ac ne vix quidem propitii dicendi sint. *c)* Idem suadet *ratio theologica:* absolutio est actus iudicialis ; ergo sententiam iudicialem habet loco formae, et nomine materiae (utique sensu analogo) cognitionem causae, quae pro peculiari indole huius tribunalis, ubi idem est accusator et accusatus et testis, actus paenitentis contineat necesse est.

d) Argumenta sententiae contrariae scotistarum sunt vana: α) E sententia communiore *paenitens praestaret materiam*, et ita esset quodammodo minister sacramenti. *Solve:* actus paenitentis eo tantum fiunt materia sacramenti, quod unum morale cum forma constituunt, quod fit per absolutionem a ministro datam. — β) Ex praxi Ecclesiae *alienati mente* qui actus paenitentis praestare iam non possunt, in extremis constituti absolvuntur ; quod fieri non posset, si isti actus essent materia. *Solve:* praxis illa non nimis antiqua (adhuc Lugo eam ignorat) minime cum persuasione certi effectus coniungitur ; est sequela curae animarum, quae secundum illud : «In extremis extrema sunt tentanda» absolvit eos, de quibus probabiliter praesumi potest aliqua contritio praecedens et voluntas confitendi. Ceterum etiam scotistis tenendum est illos actus esse conditionem necessariam sacramenti ; ergo praxis laudata neque eorum sententiae favet.

§ 102. Actus paenitentis.

Sunt 1. contritio, 2. confessio, 3. satisfactio.

1. Contritio. — THES. 1. **Contritio necessaria est ad peccatorum veniam obtinendam.** *Certum.*

EXPLIC. *Contritio* est «animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero» (Trid. 14 cp 4). Est ergo actus et intellectus et voluntatis, et est plena animi aversio a peccato tam pro praeterito quam pro futuro : pro praeterito per detestationem et dolorem, pro futuro per propositum non peccandi et per voluntatem satisfaciendi. *Essentia contritionis in dolore de peccato commisso est sita ;* detestatio animae et propositum non amplius peccandi sunt partes integrales ; immo utrumque implicite semper in vero dolore continetur. Errat ergo Luther hinc quidem optimam paenitentiam esse novam vitam docens, illinc vero solum tremorem conscientiae postulans. Trid. (14 cp 4) docet :

«Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius».

DEMONSTR. **Scr.** Deus peccatores continuo ad paenitentiam invocat praecipue per prophetas ; contritis remittit, obstinatos gravissimis paenis afficit ; cf. diluvium, Sodoma, populum in deserto, ninivitas. Christus d. apostolis dicit : «*Si paenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis*» Lc 13. Petrus vero post Pentecostem turbas admonet : «*Paenitemini et convertimini ut deleantur peccata vestra*» Act 3. **Tr.** Patres integris operibus hanc veritatem enixe commendant, ut *Tertullianus* De paenitentia ; *Chrysostomus* Homiliae novem de paen. *Ambrosius* (Ep. 51) dicit : «Peccatum non tollitur nisi lacrimis et paenitentia. Nec angelus potest, nec archangelus. Dominus ipse . . . si peccaverimus, nisi paenitentiam deferentibus non relaxat». **R.** Peccatum est *aversio a Deo;* venia vero est restitutio amicitiae divinae. Ergo penitus repugnat, ut amicus Dei habeatur, qui mente et voluntate adhuc inimicus est ei.

COROLL. *Contritio est de necessitate medii* ad veniam obtinendam, et ex rei natura debet esse formalis et explicita pro peccatis gravibus, alioqui enim peccator non tollit inimicitias cum Deo quantum est ex se ; et per accidens tantum sufficit virtualis seu implicita, sc. si quis caritate perfecta Deum amplectens et igitur virtualiter contritus alicuius peccati gravis iam non recordatur.

ADDIT. Contritio ad veniam peccatorum gravium obtinendam in hoc salutis ordine *debet esse a) interna* secundum illud prophetae : «Nunc ergo dicit Dominus : Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio et in fletu et in planctu ; et scindite corda vestra et non vestimenta vestra» Joel 2. Satis est autem dolor spiritualis, qui non eo ipso etiam in affectus inferiores redundat. *b) Supernaturalis* seu ex motivo supernaturali et ex gratia saltem actuali proveniens ; naturalis non sufficit ; tamen utpote supernaturalem vel praeparans vel efficaciorem reddens non est prorsus inutilis. *c) Universalis* seu ad omnia gravia se extendat necesse est. Gravia etenim non possunt remitti nisi in solidum. *d) Super omnia.* Debet enim peccator magis detestari peccatum et abhorrere laesionem maiestatis divinae quam quodcunque aliud malum. Satis est autem, ut sit contritio appretiative summa, et non requiritur affective summa utpote saepissime psychologice impossibilis.

THES. 2. **Contritio perfecta iustificat absque sacramenti paenitentiae susceptione, non tamen sine eius voto.** *Fidei proximum.*

EXPLIC. Trid. docet (14 cp 4) : *Contritionem aliquando caritate perfectam esse contingit hominemque Deo reconciliare priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur; ipsa nihilominus reconciliatio ipsi contritioni sine sacramenti voto quod in illa includitur, non est adscribenda.* Illa vero contritio imperfecta quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennae et paenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae, donum Dei est et Spiritus s. impulsus. Et quamvis sine sacramento paenitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum *ad Dei gratiam in sacramento paenitentiae impetrandam disponit.*

Gemina ergo distinguenda est *contritio: perfecta et imperfecta seu attritio ;* cuius *distinctionis fundamentum* antiquiores ab indole psychologica repetunt, ita ut vel contritionem super omnia (appretiative : Alanus ab Insulis ; affective : Caietanus), vel e caritatis habitu provenientem perfectam dicant. Posttridentini vero a motivo communiter eam repe-

tunt ; et contritionem eam dicunt perfectam, quae ex caritatis perfectae, attritionem eam, quae ex caritatis imperfectae motivo enascitur (cf. III 85, 5). *Caritas* ea dicitur *perfecta*, qua Deus diligitur ut est bonum in se, *imperfecta* vero, qua diligitur ut auctor bonorum creatorum, imprimis ut vindex ordinis moralis ; alias caritas perfecta est quae ex amore amicitiae, benevolentiae, gratitudinis provenit ; imperfecta est caritas ex amore concupiscentiae progenita ; ita tamen ut etiam amor castae concupiscentiae ad caritatem pertineat (August., Suarez; cf. etiam prop. Fénelonis damn. ab Innocent. XI *D* 1327). Contritio ergo tunc est perfecta, si dolor inde concipitur, quod peccato Deus summum bonum in se offendatur vel etiam amittatur ; imperfecta vero, si peccator id dolet, quod bonum honestum («turpitudo peccati») vel delectabile («metus gehennae et paenarum») amiserit, prout Trid. explicite docet.

DEMONSTR. **Scr.** V. T. nullum alium modum veniae indicavit : «*Quum quaesieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quaesieris, et tota tribulatione animae*» Deut 4. «*Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua*» Ez 33. In N. T. Mariae Magdalenae remittuntur peccata multa, quia dilexit multum Lc. 7; iuvenis quaerens regnum Dei si voluisset Deum ex toto corde diligere, vitam habuisset Lc 10. Christus dicit : «*Qui diligit me, diligetur a Patre meo et diligam eum et manifestabo ei meipsum*» Jn 13. «*Caritas operit multitudinem peccatorum*» 1 Pet 4. **Tr.** Patrum doctrina de vi caritatis tam perspicua est, ut singulorum testimoniis afferendis supersedere possimus (cf. Aug. in Jn 5, 10 ; 9, 9 ; Mor. Ecl.).

R. *Virtus et vitium eisdem causis corrumpuntur et generantur.* Atqui per inordinatum amorem cordis peccatum committitur ; ergo per dolorem ex amore caritatis ordinato provenientem solvitur (Supl. 5, 1). Hoc perfecto dolore etiam votum suscipiendi sacramentum paenitentiae continetur ; etenim qui perfecte Deum diligit vult omnia quae Deus vult ; ergo vult peccata iudicio Ecclesiae submittere. Quamobrem tenetur ubi primum id apte fieri potest, accedere ad sacramentum.

THES. 3. **Ad sacramentum paenitentiae suscipiendum non requiritur contritio, sed sufficit attritio.** *Certum* ex Trid. 14 cp. 4.

DEMONSTR. Thesis est *consecutio* aliorum dogmatum : *a)* Si requireretur contritio perfecta, *paenitentia non esset sacramentum pro quocunque peccato gravi post baptisma commisso delendo necessarium;* namque venia absque sacramento paenitentiae reapse obtineretur. *b)* Paenitentia *non esset sacramentum mortuorum*, sed vivorum ; nunquam enim per se fieret, ut per paenitentiam aliquis gratiam primam accipiat. *c) Verba absolutionis haberent vim declarativam tantum*, non consecratoriam. Falsa est ergo sententia quorundam scholasticorum (Lomb., Halensis, Bonaventura) contritionem perfectam exigentium (III 80, 4 ad 2 ; 81, 3).

COROLL. 1. *Attritio per sacramentum paenitentiae vim contritionis perfectae accipit* ea parte quatenus efficax fit ad peccata delenda. Est ergo pars materiae sacramentalis seu sacramentum, et simul res per sacramentum supernaturaliter procreata seu vim contritionis perfectae consecuta ; est ergo «*res simul et sacramentum*» paenitentiae (III 84, 1 ad 3).

2. *Attritio est conditio sufficiens ad iustificationem via sacramenti obtinendam.* Etenim removet obicem quo sacramentum cohibetur quominus ex opere operato gratiam proferat (III 79, 3).

QUAEST 1. *Sufficitne dolor ex timore paenae vel plane gehennae conceptus, quum videtur esse animus servilis,* christiano prorsus indignus et infimus gradus considerationis ac vitae ethicae (Ita Luther)? — Trid. 14 c. 5 eum anathematizat qui dixerit contritionem paratam ex peccatorum faeditate, amissione aeternae beatitudinis, incursu aeternae damnationis non esse verum et utilem dolorem. Et revera si talis metus non esset salutaris, Scriptura et traditione tam enixe non commendaretur, neque Apostolus diceret : «Cum metu et tremore vestram salutem operamini» Phil 2. Ratio theologica *diversa genera timoris* distinguit : Si quis ideo dolet de peccato, quia etiam paenam timet, timor eius erit *filialis,* qui est actus imperatus caritatis. Si idcirco conteritur, quia solus timor eum occupat, est timor servilis, et est *serviliter servilis,* si omnia alia motiva praeter metum paenarum excludat ; talis timor utpote non serio a peccato se avertens non sufficit, neque laudabilis est. Timor *simpliciter servilis* autem, quae hic et nunc alia motiva praeter metum non curat sed neque excludit, et moraliter bona est et homini per inferiora ad altiora tendenti utilis est : timor est medicamentum, caritas sanitas (Aug. in Jn 9, 4).

2. *Requiriturne aliquod caritatis motivum ad attritionem?* — Est haec celebris contritionistarum et attritionistarum lis, ad quam componendam distinguantur quattuor opiniones : 1. *Contritionismus extremus:* ad quamvis peccatorum remissionem, ergo etiam per sacramentum paenitentiae assequendam requiritur motivum ex caritate perfecta proveniens. Est sententia ex thesi superius secundo loco posita falsa iansenistarum (prop. damn. 14. et 15. ab Alex. VIII). — 2. *Contritionismus mitigatus:* requiritur caritas perfecta initialis, etsi non ut motivum princeps. Ita Schätzler ; prope accedunt qui vulgo contritionalistae dicuntur, Pallavicini, Berti, Morinus etc. — 3. *Attritionismus mitior:* requiritur motivum ex caritate imperfecta proveniens (Salmant., Gotti, Wirceburg.). — 4. *Attritionismus extremus:* nullum requiritur caritatis sed satis est fidei motivum (Vasquez, Suarez, Lugo, Gonet etc.).

Quibus diligenter perpensis dicendum videtur : *a)* Ad peccatorum veniam obtinendam *aliqua caritas* requiritur. Etenim α) caritas habet mandatum magnum Mc 12 ; et Apostolus quoque dicit : «Si quis non amat d. n. I. Christum, sit anathema» 1 Cor 16. β) Tridentinum (6 cp 6) postulat ut baptizandus Deum tamquam omnis iustitiae fontem diligere incipiat ; eo magis ergo hoc erit postulandum a baptizato reconciliando, qui ex doctrina divina difficilius Deo reconciliatur quam non baptizatus. Quapropter falsus est attritionismus extremus. *b) Sufficere videtur motivum caritatis imperfectae.* Etenim ut vera caritas mandato caritatis necnon Tridentino satisfacit ; praeterea est sententia communior et ab Ecclesia toleratur, licet non sit absque consecutione practica ; latiorem quoque salutis portam aperire videtur. At neque *contritionismus mitior probabilitate caret:* α) Trid. ubi de dispositione baptismi tractat (6 cp 6), praeter spem quae amorem imperfectum continet, explicite dilectionem postulat ; β) dispositio ultima proportionata sit oportet habitui infundendo, qui est caritas perfecta. Quapropter in praxi, ubi tutius est eligendum in re sacramentaria, standum est huic sententiae.

2. Confessio. — THES. **Confessio distincta peccatorum mortalium post baptisma commissorum et per paenitentiam nondum remissorum ex institutione Christi ad absolutionem sacramentalem obtinendam est necessaria.** *De fide.* — Trid. s. 14 contra *Wicleff* et *novatores* definivit : «*Si quis negaverit confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse iure divino; aut dixerit modum secreto confitendi soli*

sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi et inventum esse humanum, a. s.» (c. 6) ; c. 7 definivit «*ad remissionem peccatorum necessarium esse iure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta et quae sunt contra duo ultima decalogi praecepta, et circumstantias quae peccati speciem mutant*».

EXPLIC. *Confessio* est accusatio peccatorum personalium legitimo sacerdoti ad absolutionem sacramentalem obtinendam facta. Confessio alia est virtualis seu votum confessionis, alia actualis, quae est vel generalis vel distincta ; distincta iterum est secundum quid, si quaedam ex iusta causa silentio praetereuntur, et distincta simpliciter seu integra ; integritas est materialis, si omnia commissa enumerantur, formalis si ea dicuntur quorum post diligentem praeparationem memoria habetur. Omnis deinde confessio est vel publica vel privata (auricularis), quae tamen distinctio non pertingit ad essentiam confessionis. Thesi enuntiatur *necessitas confessionis actualis formaliter integrae.*

DEMONSTR. **Scr.** Litteris d. indicatur *confessionem non esse alienam ab oeconomia sacra:* Deus iam ab Adam et Cain peccatorum confessionem postulat et exinde compluries in A. T., v. c. in sacrificiis pro peccato (Lev 5). Psalmista saepe peccatorem se enuntiat et peccata etiam enumerat (Ps 24. 31. 50). In N. T.-o Petrus, mulier paenitens, latro etc. peccatores se confitentur. Ephesi «*multi credentium veniebant confitentes et annuntiantes actus suos*» Act 19 ; «*Si confiteamur peccata nostra: fidelis est et iustus, ut remittat nobis peccata nostra*» 1 Jn 1. — Thesis implicite docetur : *a)* Christus paenitentiam *ut actum iudicialem* instituit ; qui ergo sine perfecta cognitione causae rite fieri non potest. Atqui ad causam huius tribunalis interni omnia pertinent, quae a communione cum Deo arcent ; eiusmodi autem sunt omnia et singula peccata gravia nondum remissa ; quandoquidem autem peccata secundum numerum et speciem et circumstantias speciem mutantes, ut theologia moralis abunde probat, distinguuntur, singula ita sunt subicienda illi tribunali Ecclesiae, prout distinctae offensiones graves sunt maiestatis divinae. *b) Potestas ligandi* quoque est exercenda per impositionem aptae satisfactionis, quod absque distincta cognitione delictorum prudenter et salutariter fieri non potest. *c)* Confirmatur eo quod e mente Christi confessarius est etiam *medicus*, qui morbo non cognito apta remedia praescribere non potest.

Tr. Praeter ea quae cum de institutione sacramenti ageretur (§ 102, 1) allata sunt, haec considerare iuvabit : Patres iam antiquissimi frequentem faciunt confessionis mentionem, ut Didache (4, 14), Clemens R. (57), Hermas ; *Irenaeo* narrante quaedam ex mulieribus seductis ab isto Marco «in manifesto exomologesim faciunt» ; secundum *Clementem* A. secundus baptismus laboriosus coniunctus est cum verecundia (Strom. II 13). Testis maxime disertus est *Origenes* qui praeter supra commemorata haec habet : «Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere. Si intellexerit et praeviderit talem esse languorem

tuum, qui in conventu totius ecclesiae exponi debeat et curari, ex quo fortassis et ceteri aedificari poterunt et tu facile sanari, multa hoc deliberatione et satis perito medici illius consilio procurandum est» (in Ps 37, hom. 2, 6 ; cf. Or. 28). *Tertullianus* (Paenit. 19. 10. 12 ; Pul. 1. 19. 21) paenitentiam cum exomologesi fieri dicit et addit : «Plerosque tamen hoc opus ut publicationem sui aut suffugere aut de die in diem differre praesumo, pudoris magis memores, quam salutis; velut illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conscientiam medentium vitant et ita cum erubescentia sua pereunt».

Inde a saeculo IV. testimonia abundant et simul vias quas praxis Ecclesiae labentibus saeculis ingrediebatur narrant : *Augustinus* adversus donatistas favet correptioni secretae (in Ps 66, 6 ; Serm. 98, 5 ; 128, 12, 14 ; Fid. oper. 26, 48) ; *Leo M.* (Ep. 168) tamquam «praesumptionem contra apostolicam regulam» increpat usum episcoporum Campaniae fideles ad confessionem publicam obligantium ; *Nectarius* ep. Constant. a. 391 propter scandalum a femina quadam nobili editum munus paenitentiarii et confessionem publicam (non privatam) abrogavit. *Chrys.* successor Nectarii multum de confessione loquitur (in Jn 34, 3; in Heb 9, 4 etc.). *Basilius* monachis confessionem etiam quotidianorum commendavit et confessionem privatam peccatorum etiam occultorum multum promovit, quem deinde imprimis monachi e Hibernia saeculo 6. et 7. in occidenti divulgabant (Cassian. Coll. II 11, 6), non sine resistentia barbarorum recenter conversorum. Favit deinde opus *Ps. Augustini* De vera et falsa paenitentia c. a. 1050 et expeditiones cruciatae. Undenam sit repetenda obligatio frequentioris confessionis, falso docebant quidam antiquiores scholastici (Lomb. et Gratianus) ; *Thomas* autem recte statuit : obligationem confitendi omnia et singula mortalia esse iuris divini, confitendi semel in anno esse iuris ecclesiastici (Supl. 6, 6).

R. *a)* Ratio *theologica:* conveniens est, ut qui promissionem baptismalem graviter laeserit, rationem coram tribunali ecclesiastico laesae maiestatis reddat. *b)* Ratio *paedagogico-ascetica:* confessio est medium quam efficacissimum sui-cognitionis, contritionis, peccati detestandi et vitae emendandae. *c)* Ratio *psychologica:* peccator naturali instinctu compellitur, ut per confessionem a conscientiae morsibus liberetur ; modus tam dignitati hominis quam saluti animae singulariter conveniens est tribunal Ecclesiae, prout etiam multi acatholici fatentur.

Nota bene : Confessio distincta peccatorum absque *examine conscientiae* non potest fieri ; quae est ergo paenitentiae conditio necessaria, at non est pars ipsum sacramentum ingrediens.

COROLL. 1. *Modus secrete soli sacerdoti confitendi non est alienus ab institutione et mandato Christi* (Trid. 14 c. 6). Etenim *a)* Christi mandato confessio praescribitur quidem, modus autem accuratius non determinatur ; potuit ergo Ecclesia modum etiam mitiorem eligere. *b)* Traditio testis est iam in antiqua ecclesia etiam pro paenitentibus publicis ordinarie confessionem privatam in usu fuisse ; confessio publica erat pars paenitentiae publicae sive imposita sive ultro suscepta. *c)* Confessio est pars actus iudicialis fori interni ; at utrum causae cognitio sit publica vel secreta, non mutat speciem actus ; immo magis naturae causae i. e. peccati, plerumque secreti, secreta etiam cognitio convenit.

2. *Peccata remissa et venialia sunt materia confessionis non necessaria, tamen sufficiens. Non necessaria:* Remissa iam non sunt peccata ; atqui nemo tenetur se accusare de peccatis quae non habet. Venialia vero gratiam primam non extinguunt ; ergo neque per infusionem gratiae primae

tolli debent ; adsunt multi alii quoque modi. Sunt materia *sufficiens:* Levia sunt vera peccata, ergo accusari possunt. Remissa fuerunt peccata ; et ideo nihil obstat quominus denuo potestati iudiciali subiciantur ; eo magis quia nomine Dei semper vere dici potest super ea : Remitto tibi.

3. Satisfactio. — THES. 1. **Deus peccato remisso cum reatu peccati et aeternae paenae non eo ipso delet reatum paenae temporalis.** *De fide.* — Adversantur *Luther* et *Calvinus*, contra quos *Trid.* 14 c. 12 definivit : «*Si qu. d. totam paenam simul cum culpa semper remitti a Deo a. s.*»

EXPLIC. *Satisfactio* quae communiter est reparatio iniuriae (sive in personam sive in rem illatae), in hac materia definitur : «compensatio paenae temporalis debitae ob iniuriam Deo per peccatum illatam» (Supl. 12, 3). Peccator enim peccato gravi subit reatum et culpae et paenae. Condonato peccato deletur eo ipso reatus culpae necnon paenae aeternae ; ex mente thesis nostrae manet *reatus paenae temporalis*, qui obligat ad luendas paenas vel a Deo immediate in hunc finem inflictas : in hac vita calamitates, in altera paenas purgatorii (satispassio), vel ad suscipienda opera paenalia obligat sive pietatis seu orationis, sive mortificationis seu ieiunii, sive caritatis seu eleemosynae (satisfactio).

DEMONSTR. **Scr.** «Perspicua et illustria in s. Litteris exempla» (Trid.) manifestant a Deo cum peccato non semper remitti paenas temporales, immo quandoque gravissimas imponi : ita exemplum *Adae, Moysis, sororis* eius Num 12, *Davidis* 2 Reg 12. Christus fideles monet, ut crucem suam baiulent, et Paulus dicit : «*Castigo corpus meum et in servitutem redigo; ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar*» 1 Cor 9.

Tr. *a)* Paenitentibus semper opera paenalia eaque gravissima iniungebantur ; *b)* communis erat persuasio in purgatorio paenas temporales esse luendas (cf. § 115). Patres antiqui absolutionem a peccatis et a paenis plerumque per modum unius considerabant ; tamen Cyprianus, cui posteriores assentiuntur, docet si quis in articulo mortis fuerit a peccatis absolutus cui ergo paenitentia iam iniungi non possit, eum in altera vita satispati debere (Ep. 55, 13. 18. 20 ; 64, 1 ; cf. Aug. in Jn 49, 24 ; 124, 5 ; Enchir. 70 etc.). **R.** *a)* Conveniens est ut *peccatum* tamquam aversio a Deo fine ultimo paenā aeterna, tamquam conversio inordinata ad creaturas vero paenis temporalibus afficiatur. *b)* Deus qui misericordiam in remissione reatus peccati et paenae aeternae manifestaverat, *iustitiam* in paena temporali imponenda ostendit ; immo hoc ipso *misericordiam* quoque singulariter commendat : paena enim efficacius a peccatis futuris deterret.

THES. 2. **Iustus operibus paenalibus ultro susceptis Deo ex opere operantis satisfacere potest.** *De fide* ex Trid. 14 c. 13.

DEMONSTR. *a)* De fide est *posse iustum de condigno mereri vitam aeternam;* atqui multo minus est mereri condonationem paenarum temporalium ; ergo qui potest maius, potest etiam minus. *b) Exempla* ninivitarum, Nabuchodonosoris, Davidis etc. necnon adhortationes prophetarum docent paenitentias ultro susceptas Deo esse gratas. Paulus dicit : «*Nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius quod est Ecclesia*» Col 1. *c)* Patres ab initio (iam Didache 4, 8; Clem. R. 16, 4 ; Herm. mand. 4, 4, 4 ; Tert. Paen. 7—9 etc.) multum ad paenitentiam hortantur et eam maxime salutarem esse praedicant.

THES. 3. **Confessarius paenitenti potest et debet opera satisfactoria paenalia iniungere.** *De fide* quoad posse ex Trid. (14 c. 15); *fidei proximum* quoad debere (ibid. cp 8 ; CIC 987).

DEMONSTR. *a) Sacerdos* in tribunali confessionis *iudicem agit;* atqui iudicis est sonti paenas iniungere ; eo magis, quia explicite accepit potestatem ligandi quoque, quae saltem ad vinculum paenae temporalis imponendum extenditur. *b)* Confessarius ut minister *tenetur se conformare tribunali Dei*, quod ut probatum est, reatu peccati remisso paenas temporales utplurimum iniungit. *c)* Confessarius ex mente Christi etiam *medicum agit;* atqui paenae convenientes sunt remedia aptissima pravae voluntatis. *d)* Confirmatur hoc totius ecclesiae antiquae praxi notissima paenas et satisfactiones paenitentibus iniungendi.

COROLL. 1. *Confitens tenetur suscipere opera paenalia in confessione iniuncta;* etenim ultro et ex obligatione divina subiectus est tribunali interno ; ergo eius praecepta servare debet.

2. Satisfactiones utpote sententia iudiciali impositae *tantum in confessionis tribunali mutari possunt;* non est autem necesse ut id ab eodem confessario fiat ; omnes enim confessarii unum tribunal Christi constituunt.

3. *Satisfactio est pars sacramenti* paenitentiae utique non essentialis, sed integralis. Quia solum satisfactionis propositum utpote in vera contritione contentum est essentiale, absolutio potest dari ante opera satisfactoria reapse persoluta, prout facit Ecclesia inde a s. 8 ; sed potest etiam suspendi usque ad paenitentiam persolutam, ut mos erat ecclesiae antiquae.

4. Satisfactio ut pars sacramenti *effectum ex opere operato sortitur* idque in actu primo semper ; in actu secundo vero post absolutionem acceptam, si tamen in statu gratiae fiat. Satisfactio in statu peccati facta post iustificationem receptam probabiliter reviviscit.

§ 103. Usus sacramentalis paenitentiae.

Statuuntur 1. effectus, 2. subiectum et necessitas, 3. minister.

1. Effectus. — THES. 1. **Sacramento paenitentiae omnia peccata gravia quoad reatum peccati et paenae aeternae vere delentur.** *De fide* ex Tridentino (14 c. 1 ; cp 3).

DEMONSTR. **Ser.** Thesis omnibus probatur *quibus institutio* huius sacramenti firmatur. Etenim ad hunc ipsum finem est institutum. **Tr.** Ecclesiae antiquae persuasum erat absolutos ab Ecclesia etiam cum Deo esse reconciliatos ; alioqui eis Eucharistiam non indulsisset. Ignota prorsus erat Patribus *distinctio fori divini et ecclesiastici*, quam falso quidam scholastici veteres inducebant docendo contritione fieri remissionem, absolutione vero reconciliationem cum Ecclesia ; quos s. Thomas ad veritatis catholicae tramitem reduxit coarguens, quod ex ista sententia paenitentia in eundem numerum cum sacramentis inanibus V. T. esset referenda (III 84, 3 ad 5).

ADDIT. 1. *Peccata semel in sacramento paenitentiae remissa amplius non reviviscunt.* Certum adversus Gratianum et Praepositinum. Etenim *a)* ipse Deus est, qui per confessarium peccata remittit ; atqui sine paenitentia sunt dona Dei Rom 11. *b)* Nullum potest assignari reviviscentiae

fundamentum neque physicum, neque morale. *c)* Si reviviscerent, deberent iterum confessioni subici. Sensu tamen analogo reviviscit non ipsum quidem peccatum, sed pravitas animae in peccato se manifestans, idque per retractionem animi paenitentis, quod ingratitudine atque remissione proximis negata potissimum fit.

2. *Peccata venialia quorum fit confessio, vi sacramenti remittuntur.* Hoc interest inter peccatorum gravium et venialium remissionem, quod gravia in solidum tantum remitti possunt, quia ratio formalis : aversio a Deo fine ultimo non tollitur, nisi ultimum quoque peccatum ex anima eradicetur ; venialia possunt separari quoad remissionem obtinendam.

THES. 2. **Ecclesia habet potestatem remittendi quaecunque peccata, etiam gravissima.** *De fide.*

Adversantur *montanistae* cca a. 150 et donatistae cca a. 250 docentes peccata capitalia non posse remitti, damnati a Victore et Cornelio papa ; item *novatiani; donatistae* Ecclesiam ex solis «catharis» constare volentes propterea a Patribus non tantum schismatici sed haeretici sunt declarati. Later. IV. et Trid. (14 cp 1 ; c. 29 etc.) thesim proponunt.

DEMONSTR. **Scr.** *a)* Christus apostolis potestatem solvendi ac remittendi absque ulla restrictione et promisit et contulit, ita ut si utraque effata Domini sicut Palmieri fecerat, coniungantur, verba Domini sunt : *Quorumcunque quaecunque peccata remiseritis. b) Christus* talem dedit potestatem Ecclesiae, qualem ipse exercuerat. Atqui ipse peccata etiam gravissima remisit, uti Mariae paenitenti, publicano, mulieri adulterae Jn 8, latroni. *c) In V. T.-o* Deus omnibus peccatoribus resipiscentibus remissionem promisit ; at huius promissionis heres est Ecclesia. **Tr.** Cum multis protestantibus *quidam etiam catholici docti* uti Funk, Batiffol, Duchesne etc., putabant *peccata capitalia* primis duobus saeculis (teste imprimis Tertulliano) non esse remissa. Calixtus vel Zephirinus cca a. 220 primus fornicatores, Cornelius cca a. 250 apostatas, synodus Ancyrana a. 314 homicidas ad unicam paenitentiam admiserit ; relapsis novam paenitentiam Siricius († 398) et Innocentius I. († 417) demum indulserint.

De hac quaestione multum in utramque partem disputata dicendum est : *a)* Quocunque modo se res habeat, praxis haec rigidior nunquam in Ecclesia fuit universalis. Ex testimoniis pro institutione paenitentiae allegatis apparet talem restrictionem ignotam fuisse Hermae, Iustino, Tertulliano catholico, Dionysio Cor., Clementi Al., Agrippino, Callisto ; in ecclesia romana, africana, asiata, gallicana non fuit in usu. *b)* Satis universalis (licet non exclusivus) fuit usus paenitentiam secundam relapsis negandi, «ne medicina vilis minus utilis esset aegrotis» (Aug. Ep. 153, 3, 7). *c)* Semper viguit persuasio, id quod viri catholici supra laudati minime infitiantur, non deesse Ecclesiae potestatem remittendi quaecunque peccata ; sed utile duxit ad disciplinam et vitam christianam firmandam ac fovendam quandoque ea potestate illimitata non absque limitibus uti ; *de quaestione ergo disciplinari, non dogmatica agebatur,* ut testatur iam Cypr. (Ep. 55).

DIFF. 1. «*Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum s., non remittetur ei neque in hoc saeculo neque in futuro*» Mt 12. — RESP. Quum hic non de potestate remittendi Ecclesiae sed ipsius Dei agatur, si restrictio istius potestatis ediceretur, sequeretur neque Deum habere potestatem remit-

tendi ; quod est falsum. Revera de peccato contra Spiritum s. est hic sermo seu de duritie cordis, quae paenitentiae aditum recludit, et ideo hoc peccatum non propter defectum potestatis sed propter defectum debitae dispositionis remissione carebit.

2. «*Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis*» 1 Jn 5. — RESP. Peccatum «ad mortem» hic ex contextu et ex tota doctrina «filii tonitrus» est plena apostasia a Christo, pro qua orationes fieri apostolus non suadet (nec tamen vetat), quia vix effectum nanciscetur, ex iisdem sc. causis ex quibus peccatum contra Spiritum s. non remittitur.

3. «*Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati* (τοὺς ἅπαξ φωτισθέντας), *gustaverunt etiam donum caeleste et participes facti sunt Spiritus Sancti, . . . et prolapsi sunt, rursus renovari ad paenitentiam*» Heb 5. — RESP. Hic probabiliter de baptismo non iterando agitur ; vel vero sicut in prioribus impossibilitas moralis conversionis apostatae edicitur.

ADDIT. *Ceteri effectus* paenitentiae sunt : 1. *Gratia sanctificans.* Etenim paenitentia est verum n. Legis sacramentum, quod ergo confert gratiam quam significat ; deinde dogmate de iustificatione docemur nullam fieri peccatorum remissionem absque infusione gratiae sanctificantis. Gratia per sacramentum paenitentiae collata per se est prima, per accidens secunda. *Gratia sacramentalis* est gratia sanans seu modus ac titulus gratiarum actualium, quibus pravae inclinationes reprimuntur, mens satisfaciendi et contritionis fovetur. — 2. *Reviviscentia meritorum* (cf. § 77, 3). — 3. *Condonatio saltem partis paenarum temporalium* pro devotione paenitentis, ut indicat Trid. (14 c. 12. 15), et colligitur iam vel ex eo quod paenitentia est baptisma laboriosum. — 4. Reconciliationem «interdum in viris piis et cum devotione hoc sacramentum percipientibus *conscientiae pax* ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet» (Trid. 14 cp 3). Qui effectus est per accidens.

2. Necessitas. — THES. **Peccata gravia post baptismum commissa non remittuntur sine re vel voto sacramenti paenitentiae.** *De fide* ex Trid. 14 cp 2 (cf. c. 6) : «*Est autem hoc sacramentum paenitentiae lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus*».

EXPLIC. Ex praecedentibus elucet *subiectum capacitatis* esse omnem baptizatum qui post baptisma qualecunque peccatum commisit. Subiectum *necessitatis* thesi statuitur. In hoc solo sacramento *nullus relinquitur locus distinctioni subiecti validi et digni.* Etenim si subiecti praeparatio est talis ut peccatorum remissionem consequatur, etiam digne paenitentiam suscepit ; sin minus, neque valide accipit sacramentum ; etenim non vere clavibus Ecclesiae peccata subiecerat. Thesi adversantur rationalistae cuiusvis temporis. Necessitas sacramenti ex Trid. est eadem atque baptismi ; est ergo necessitas medii, quae in hoc salutis ordine positiva Dei ordinatione constituitur.

DEMONSTR. **Ser.** *a)* Christus potestatem remittendi vel retinendi, seu alternativam dedit ; at si alio quoque modo remissio peccatorum obtineri posset, *frustraretur Ecclesiae potestas retinendi. b)* Paenitentia est *tribunal* internum in regno Christi. In omni autem regno bene ordinato causae graviores, quales in regno caelorum certe sunt peccata gravia,

tribunali legali subiciendae sunt. **Tr.** Quid Patres senserint et antiqua Ecclesia fecerit, abunde apparet ex eis quae de institutione sacramenti et de confessione sunt dicta. Neque unquam in Ecclesia dissensio circa ipsam veritatem erat ; ita vero *circa usum principii*. Etenim quaenam potestati clavium sint subicienda, non semper eadem erat omnium mens. De peccatis capitalibus nulla unquam erat controversia. Quoad cetera autem quaedam quae gravia iure censemus et confessione abluenda habemus, antiqui etiam aliis modis : oratione, eleemosyna etc. (cf. testimonium Origenis § 101, 1) deleri posse putabant. Nihilominus secundum Tertullianum blasphemia, falsum testimonium, fraus sunt mortalia (Pud. 19, 15 ; Marc. IV 9) ; synodus Eliberitana 18 gravia confessioni subicienda enumerat ; Augustinus omnia peccata contra decalogum talia censet. **R.** Cf. ea quae de rationibus sacramenti necnon confessionis instituti dicta sunt (§ 101, 1 ; 102, 2).

Nota bene : Quum necessitas paenitentiae sit *necessitas medii*, per se obligat saltem ante mortem ; porro ex praecepto caritatis Dei et sui ipsius etiam infra aliquod tempus post peccatum. Illud temporis spatium ab Ecclesia (Lat. IV.) ad annum est determinatum. Per accidens obligat, quoties pro peccatore adest obligatio status gratiae : sacerdoti sacramenta administranti, fidelibus sacramentum vivorum v. g. matrimonium suscipientibus.

3. Minister. — THES. **Minister paenitentiae est sacerdos habens auctoritatem iurisdictionis.** *De fide.* — *Montanistae* solis charismaticis, *Wicleff* et *Luther* omnibus laicis ius et potestatem remittendi peccata dabant. Thesim iisdem verbis definivit Trid. 14 c. 10.

DEMONSTR. **Scr.** *a) Verba Domini* quibus sive promisit sive tradidit potestatem remittendi peccata, apostolis eorumque successoribus sunt destinata, et eiusdem sunt tenoris atque verba quibus potestas docendi, Eucharistiam conficiendi traditur ; seu est potestas sacerdotalis, quae ex doctrina catholica primarie episcopis, secundarie presbyteris, non autem diaconis, utpote presbyterorum ac episcopi ministris competit (§ 79, 2 ; 80). *b) In V. T.-o* confessio peccatorum cum sacrificiis propitiatoriis coniuncta coram solis sacerdotibus (et non levitis) fieri debuit, ut ipse Christus d. confirmavit Lc 5. Atqui eorum sacerdotes N. T.-i sunt successores. **Tr.** Iam *Clemens R.* monet corinthios rebelles, ut presbyteris se subiciant et correctionem in paenitentiam ex eorum manu suscipiant. Secundum *Ignatium* peccatores reconciliationem inveniunt, si paenitentes ad unionem cum Deo et ad synedrium episcopi revertantur (Phil. 8). Testimonia posteriorum abundant. Minister sollemnis reconciliationis erat episcopus, in ecclesia orientali etiam peculiaris presbyter : paenitentiarius. **R.** Maxime conveniens est, ut prolapsos post baptismum utpote adultos fidei is excipiat atque foveat, qui est *adultus in munere Christi*, seu «presbyter», quem etiam maior dexteritas atque ars et diagnostica et therapeutica muneri tam gravi parem reddit.

Nota bene : «*Nullius momenti est absolutio in eum, in quem sacerdos ordinariam aut subdelegatam iurisdictionem non habet*» (Trid. 14 cp 7).

Absolutio etenim est actus iudicialis ; atqui «natura et ratio iudicii exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur» (Trid.). Quum episcopi ut sacerdotes primi ordinis plenam etiam habeant iurisdictionem in suos fideles, sacerdotes vero secundi ordinis delegatam ac dependentem tantum, possunt episcopi ex iustis rationibus iurisdictionem presbyteris conferendam quoad tempus, locum, personas, casus restringere : *reservatio* (de qua cf. CIC 893 ss.). — Sequitur : Simulatque iurisdictio sacerdoti collata est, *in rebus tribunalis interni iam immediate Deo est subiectus ;* ideo neque episcopus ut episcopus (nisi ut confessarius) sententiam confessarii presbyteri mutare potest ; et ipse episcopus ac papa quoque potest habere confessarium, cui in causis conscientiae ad tribunal confessionis pertinentibus subditur.

DIFF. Teste historia in Ecclesia *alii quoque atque sacerdotes*, puta confessores pneumatici, diaconi, immo laici absolutionem a peccatis exercebant. — RESP. 1. *Confessores* libello pacis dato pro peccatoribus apud episcopum intercedebant et pro auctoritate qua fruebantur, plerumque audiebantur ; absolutionem tamen non dabant ; quod si forsitan quidam ambierint, propterea iam a Cypriano (Ep. 17, 3 ; 22, 2 ; 27, 33) acriter reprehensi sunt. — 2. *Pneumatici* a montanistis unici reconciliatores habebantur ; at ut haeretici ab universa Ecclesia sunt damnati. *Monachi laici graecorum* qui secundum quosdam historiographos recentiores (Holl) usque ad a. 1250 saepe confessiones excipiebant et absolutiones tribuebant, utique magni habebantur quasi successores confessorum et pneumaticorum ecclesiae antiquae ; confessiones tamen eis factae nisi asceticae non erant. — 3. Ad *diaconos* quod attinet secundum Cyprianum (Ep. 18) «si presbyter repertus non fuerit et urgere necessitas ceperit, apud diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint, ut manu eius ad paenitentiam imposita veniant ad Deum cum pace». Similiter ordinat synodus Eliberitana (cca a. 306/12). At potest hic sermo esse de confessione ascetica vel potius de absolutione canonica non sacramentali. — 4. Cca a. 1000 opere Ps. Augustini De vera et falsa paenitentia mentio fit *confessionis laicalis:* «tantam esse vim confessionis, ut si defecerit sacerdos, laico confiteamur» ; quae deinde apud equites et milites multum in usu fuit. Secundum Albertum M. habet sacramentum etsi non plenum, secundum Thomam (in Lomb. IV dist 17, 3, 3) est sacramentale tantum (vel etiam votum sacramenti) ; et inde a tempore Duns Scoti, qui totam sacramenti vim in absolutione sitam esse asseruit, paulatim evanuit (cf. A. Teetaert : La confession aux laïques dans l'Eglise latine depuis le 8e siècle 1926).

ADDIT. *Dogma de paenitentia* quoque *profectum dogmaticum* subivit, cuius ex investigationibus virorum catholicorum Funk, Batiffol, Adam, Poschmann, Göller, Brewer, Stufler, Galtier etc. forsitan hae sunt *phases* : 1. *Usque ad a.* 200 Ecclesia prisco zelo insignis peccatores ad mentem Christi d. (Mt 18) generatim oratione et correptione ad paenitentiam movit ; et qui Ecclesiam non audivit, habitus est ut ethnicus seu excommunicatus ; quodsi resipuit, plerumque ad unitatem Ecclesiae iterum admissus est (cf. § 101, 1). — 2. Quum in *persecutione Decii et Diocletiani* multi laberentur et inde a *pace Constantiniana* precrebrescerent peccatores, a peccatis «cotidianis» oratione, ieiunio, eleemosyna etc. delendis (cf. testimonium Origenis § 101, 1) *tria capitalia* ita distinguebantur, ut qui istorum aliquid commiserit, sigillum baptismatis fregisse et in paganismum relabi censeretur et excommunicaretur. Si eum peccati paenituit, admissus est ad «*paenitentiam*» eamque gravissimam. Post confessionem (ordinarie secretam) et correptionem secretam, episcopus ei «paenitentiam dedit» eumque in «ordinem paenitentium» remisit, ubi interfuit quidem missae, at non accepit Eucharistiam ; deinde opera gravissima paenitentiae ei

erant iniuncta : ieiunia, orationes, eleemosynae, abstinentia a matrimonio, renuntiatio munerum publicorum praesertim militiae. Paenitentia perfunctum episcopus publice Ecclesiae reconciliavit. Paenitentia haec publica pro peccatis gravissimis (apostasiae et fornicationis qualificatae) *ad totum vitae tempus* praescribebatur, ita tamen ut in articulo mortis quivis paenitens ex praecepto c. 19. Nicaeni absolveretur. Paenitentia haec *unica* erat, seu iis qui post reconciliationem relaberentur, secunda non concedebatur ; neque probabiliter *clerici* ad eam admittebantur, praesertim a tempore Nectarii. — 3. Pedetentim *augebatur numerus peccatorum capitalium*, pro quibus paenitentia publica erat subeunda. Quae quum gravissima quaeque praescriberet et notam publicam paenitenti inureret, multi eam recusabant vel ad aetatem decrepitam usque differebant, ut iam *Augustinus* conqueritur. Ex hoc tempore invaluit usus paenitentiae privatae. At non omnes eodem modo eius profectum exhibent. Secundum Brewer paenitentia privata cum reconciliatione ecclesiastica nunquam non in usu fuit et publicam praecedebat ; quod tamen historice non probat. Adam censet eam ab Augustino initia sumere. Contradicit ei Poschmann, quo docente tunc paenitentia privata devotionis causa ad normam conversionis monachorum exercenda multum commendabatur iis qui paenitentiam publicam renuebant ; at reconciliatio unice paenitentiae publicae fuit annexa adhuc tempore Gregorii M. ; dum demum *missionarii hiberni* et angli suam praxim paenitentiae ac reconciliationis privatae barbaris a se conversis imponerent atque ita praxim quae nunc est inducerent. Sub iudice ergo est lis, «utrum Ecclesia ab initio iam ita explicite professa sit dogma, quod contra haereticos postea definivit» (Galtier).

§ 104. Indulgentiae.

Statuuntur 1. factum, 2 usus indulgentiarum.

1. Factum. — THES. 1. **Ecclesia habet potestatem indulgentias concedendi.** *De fide.* — Indulgentias Wicleff, Hus et novatores negabant. Trid. (25 de indulg.) eos «*anathemate damnat, qui indulgentias aut inutiles esse asserunt vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant*».

EXPLIC. *Indulgentiae* sunt remissio coram Deo paenae temporalis debitae pro peccatis ad culpam quod attinet iam deletis, quam ecclesiastica auctoritas ex thesauro Ecclesiae concedit pro vivis per modum absolutionis, pro defunctis per modum suffragii (CIC 911). Sunt ergo remissiones paenarum et non condonatio peccatorum, quae nonnisi sacramento paenitentiae fieri potest. Si quaedam litterae indulgentiales antiquae «*plenam indulgentiam a paena et a culpa*» quoque conferre se dicant, eae ex indagationibus doctissimorum Pauli et Gölleri erant sic dicta Confessionalia, quorum possessor ius accepit ante mortem et adhuc semel in vita eligendi sibi quemcunque confessarium, a quo deinde absolutionem etiam a censuris et reservationibus ac insuper plenas indulgentias obtinere potuit. *Dividuntur* in universales et locales ; perpetuas et temporales ; reales et personales ; momentum dogmaticum habet distinctio indulgentiarum plenariarum quibus omnes paenae temporales, et partialium quibus pars paenarum temporalium remittitur ; quae ad normam antiquae disciplinae paenitentialis mensurantur, ita ut indulgentiis 40 dierum tot remittantur paenae quot antiquitus paenitentiā canonica 40 dierum remittebantur.

DEMONSTR. **Scr.** Ex institutione Christi Ecclesia *a)* habet *potestatem solvendi omnia vincula* quibus homines a regno caelorum arcentur ;

atqui paenae temporales certo sunt talia vincula ; ergo. *b)* Habet potestatem in sacramento paenitentiae *condonandi paenam aeternam;* atqui qui potest maius, potest etiam minus. *c)* Habet potestatem *iniungendi paenas temporales;* ergo etiam condonandi ; etenim duae hae potestates sunt correlatae. Pro primo usu huius potestatis potest haberi agendi ratio s. Pauli cum incestuoso corinthio 1 Cor 5 ; 2 Cor 2. **Tr.** Constans fuit persuasio Ecclesiae habere se potestatem remittendi paenas temporales ; quae persuasio labente tempore per diversas phases profecit :

a) In ecclesia prisca pars paenitentiae publicae ad intercessionem confessorum, «libello pacis» plerumque remittebatur (iam Tert. Mart. 1 ; Pud. 22) ; inde a saeculo 3. etiam intuitu magni zeli et devotionis paenitentis (Cypr. Laps. 17. 18 ; Ep. 13, 2). *b) Circa tempus Caroli Magni* primum in Hibernia invaluerunt redemptiones, seu commutationes paenarum ecclesiasticarum a confessario factae in opera realia, plerumque faciliora vel breviora : in eleemosynas, recitationes, peregrinationes, pro gravitate peccati ad modum taxarum statuta, in quibus persolvendis quandoque adiutorem quoque sibi adsciscere permittebantur. *c)* Cca a. 1100 mos invaluit ut quicunque *expeditionibus cruciatis* opes subministraverint, plenas indulgentias obtinere potuerint. Et ex eo tempore usus indulgentiarum imprimis per eleemosynas obtinendarum latissimus percrebruit (1300 indulgentiae iubilaei), sed simul etiam abusus ingruebant (Tetzel; Luther), quos demum Tridentinum sustulit. **R.** In praxi indulgentiarum *a)* nitide lucet *Dei misericordia* condonans paenas temporales, et simul *iustitia* exigens satisfactionem ex thesauro Ecclesiae. Indulgentiae *b)* efficacissime *fovent pietatem* eo quod fideles ad frequentationem paenitentiae et Eucharistiae nec non ad pietatis opera eaque temporum indigentiis aptissima hortantur atque excitant. *c) Veritatem communionis sanctorum* efficaciter illustrant.

THES. 2. **Quum Ecclesia paenas temporales remittit, e thesauro Ecclesiae satisfactionem pro peccatis iustitiae divinae debitam solvit.** *Veritas catholica* adversus Fr. Mayron et Durandum ex Trid. (21 cp 9 ref.).

Quam veritatem *Clemens VI.* ita exponit : Christus in ara crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium effudit. Ut ergo non inanis aut superflua tanta miseratio redderetur, thesaurum infinitum militanti Ecclesiae acquisivit volens suis thesaurizare filiis pius Pater. Quem deinde thesaurum per beatum Petrum caeli clavigerum eiusque successores commisit fidelibus salubriter dispensandum. Ad cuius thesauri cumulum beatae Dei Genitricis omniumque electorum merita adminiculum praestant. — Ergo doctrina de thesauro *tribus nititur dogmatis:* infinitudine meritorum Christi, communione sanctorum, potestate Ecclesiae clavium seu iurisdictionis. Prima vestigia traditionis implicitae sunt intercessiones confessorum in Ecclesia antiqua, deinde redemptiones vicariae saeculi 9. Formalem doctrinam primi Hugo a s. Caro et Henricus Hostiensis ineunte saeculo 13. proponunt.

2. Usus indulgentiarum quattuor quaestionibus statuitur :

1. *Quis potest indulgentias concedere?* — Quum potestas dandi indulgentias sit pars potestatis clavium, convenit iis *qui iurisdictionem in Ecclesia*

habent: principaliter pontifici romano et dependenter episcopis (ex iure positivo episcopi habent facultatem concedendi indulgentias unius anni in die consecrationis templi et occasionibus minus sollemnibus 40 dierum CIC 912. 913, 2); idque statim post iurisdictionem acceptam, etiam ante consecrationem. Ad licitam concessionem requiritur iusta causa: honor Dei et bonum Ecclesiae; probabiliter tamen non proportionata (pro indulgentiis maioribus causa gravior), ut putabant Suarez et Lugo.

2. *Quibus possunt indulgentiae dari?* — Quum indulgentiae pertineant ad iurisdictionem Ecclesiae, iis possunt dari in quos Ecclesia habet potestatem iurisdictionis, seu membris Ecclesiae militantis (de indulgentiis pro defunctis cf. infra). — *Conditiones* indulgentiarum consequendarum sunt : *a)* intentio ; Christus enim dona sua non per vim imponit ; *b)* status gratiae ; nulla enim datur paenarum indulgentia, si adhuc peccati reatus stat. Ut indulgentiae plenae totum effectum consequantur, insuper requiritur immunitas a peccatis etiam venialibus et ab inclinationibus pravis ; *c)* ut opera quibus indulgentiae sunt annexae (orationes, sacramentorum susceptio etc.) rite persolvantur.

3. *Effectus indulgentiarum.* — Si adsunt conditiones, indulgentiae «tantum valent, quantum praedicantur» (Supl. 25, 2), idque infallibiliter non tantum in foro Ecclesiae, sed etiam coram Deo. Sunt enim commutationes paenitentiarum antiquitus ab Ecclesia in sacramento paenitentiae iniunctarum, atqui tales satisfactiones utpote ex potestate solvendi a Christo d. collata impositae, solvunt vincula paenarum etiam coram Deo.

4. *Indulgentiae pro defunctis.* — Indulgentias defunctis applicari posse theologi ineunte saeculo 13. communiter iam docebant paucissimis contradicentibus (Henr. Suso, Fr. Mayron), quos mature praxis fidelium sequebatur. Primus e pontificibus Calixtus III (1457) indulgentias pro defunctis promulgabat; et Sixtus IV. quum propter indulgentias orationes pro defunctis negligerentur, declaravit tales indulgentias non esse apodicticam solutionem paenarum purgatorii, sed rogationem pro solutione. Haud pauci tamen indulgentiarum praedicatores et commendatores opinabantur posse tales indulgentias determinato cuidam defuncto cum effectu infallibili applicari, etiam a peccatore, dummodo eleemosynam solvat (ita etiam Tetzel) ; et haec opinio sensim in multas litteras auctoritativas quoque irrepsit.

De hac materia haec sunt tenenda : *a)* Indulgentiae defunctis *non possunt auctoritative applicari,* quia Ecclesia militans iurisdictionem directam non habet nisi in membra Ecclesiae militantis. *b) Possunt applicari defunctis per modum suffragii* (Supl. 71, 10) ; si enim singuli fideles possunt intercedere pro defunctis, eo magis et eo efficacius mater fidelium et sponsa Christi. *c) Conditio* applicationis praeter intentionem et persolutionem operum est status gratiae (quod negat Suarez) ; etenim qui Deo gratus non est, eius neque intercessio est grata. *d)* Indulgentiae defunctis applicatae probabiliter *effectum* plerumque nanciscuntur, sed *non semper et infallibiliter* (ut Lugo, Suarez et Soto opinabantur) ; quia pro defunctis purgandis leges iustitiae divinae magis quam misericordiae valere videntur (cf. CIC 930). — Cf. L. M. *Lépicier:* Les indulgences, leur origine, leur nature, leur développement 2 vol. 1904 ; N. *Paulus:* Geschichte des Ablasses im Mittelalter 3 vol. 1922—3 ; E. *Göller:* Der Ausbruch der Reformation und die spätmittelalterliche Ablaszpraxis 1917.

Caput 6. De extrema unctione.

Quaeritur 1. de veritate, 2. de usu sacramentali extremae unctionis.

Tractatus de extrema unctione: J. *Kern:* De sacramento extremae unctionis tractatus dogmaticus 1907; Th. *Spačil:* Doctrina theologica Orientis separatae de sacra infirmorum unctione 1931; J. B. *Bord:* L'extrême-Onction d'après l'epître de S. Jacques examinée dans la tradition 1924.

§ 105. Veritas sacramentalis extremae unctionis.

Statuuntur 1. institutio a Christo facta, 2. materia, 3. forma.

1. Institutio. — THES. **Extrema unctio est sacramentum n. Legis a Christo institutum.** *De fide* ex Trid. (14 c. 1 unct.): «*Si qu. d. extremam unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino nostro institutum et a beato Iacobo apostolo promulgatum, a. s.*»

EXPLIC. *Extrema unctio* definitur sacramentum n. Legis, quo graviter infirmus per orationem sacerdotis et unctionem olei accipit gratias statui suo convenientes. *Vocatur* etiam sacramentum infirmorum, exeuntium, εὐχέλαιον, μύρον. Extrema unctio ut sacramentum a catharis, Wicleff et Hus contemnitur, *a novatoribus* negatur.

DEMONSTR. **Scr.** *a)* Indicatur ab evangelistis; ubi discipuli propinquitatem regni Dei praedicare, curare infirmos, etc. mittuntur, Mc 6 narrat: «*ungebant oleo multos aegrotos et sanabant*»; quae unctio ad analogiam baptismi Ioannis videtur praeparatio quaedam ordinaria infirmorum ad regnum caelorum fuisse. Christus de Maria Magdalena corpus suum ungenti dicit: «*Bonum opus operata est in me . . . praevenit ungere corpus meum in sepulturam*» Mc 15. Iac 5 haec habet: «*Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiae et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei*». His verbis omnia elementa sacramenti indicantur: *a)* signum: oratio presbyterorum et unctio olei; *b)* effectus supernaturales: alleviatio, praesertim autem remissio peccatorum; *c)* institutio Christi: *α)* Adest hic medium ordinarium proferens effectus supernaturales; atqui apostoli non institutores sed dispensatores mysteriorum Dei se habebant. Perperam protestantes liberales hic de charismate sanitatum agi dictitant; namque charismata neque in Ecclesia apostolica erant ordinaria, ut testatur etiam Paulus mysticus (1 Tim. 5, 23; cf. 2 Tim 4, 20); eo magis talia arcet Iacobus legis aemulator; *β)* Signo externo effectus supernaturales praesertim remissionem peccatorum alligare non potest nisi auctor gratiae; *γ)* infirmi ungendi sunt «in nomine Domini», seu potestate et mandato Domini. De tempore institutionis non constat.

Tr. In *Serapionis euchologio* (17) habetur oratio in consecratione olei infirmorum dicenda, ubi inter effectus unctionis etiam remissio peccatorum nominatur. *Origenes* (in Lev hom. 2, 4), *Chrysostomus* (Sacerd. III 5) ita Iac 5, 14 appellant, ut unctionis sacramentum probabilissime

indicent. *Isaac Antiochenus* reprehendit mulieres quae infirmae non presbyteros sed suspectos monachos inducunt; *Aphraates* (Diss. 23, 3) oleum infirmorum in eodem numero cum oleo baptismi habet. Primus testis formalis est *Innocentius* I., qui in epistula ad Decentium relatis verbis Iacobi prosequitur: «Quod non est dubium de fidelibus aegrotantibus accipi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quod ab episcopo confectum non solum sacerdotibus sed et omnibus uti christianis licet in sua aut in suorum necessitate ungendum. Ceterum illud superfluum esse videmus adiectum, ut de episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco presbyteris dictum est, quia episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt. Paenitentibus illud infundi non potest, quia genus est sacramenti». Hic papa vel de gemino olei usu loquitur, quorum alter est sacramentale etiam a laicis adhibendum, alter sacramentum ab episcopo vel presbyteris administrandum; vel forsitan ad mentem interrogantis de subiecto sacramenti eloquitur: illud esse non solum sacerdotes sed etiam laicos. Sacramentarium Gregorii ritum accurate praescribit.

Si *testimonia quattuor priorum saeculorum satis rara* et obscura sunt, considera: *a)* Unctio extrema complementum paenitentiae habebatur, sicut confirmatio complementum erat baptismi; et ideo per modum unius cum isto coniungebatur; *b)* frequens erat usus unctionis illius, quae merum sacramentale erat, a qua non diligenter semper distinguebatur; *c)* desunt commentarii antiqui epistulae s. Iacobi; *d)* argumento praescriptionis traditio evincitur: nestoriani et iacobitae s. 5. ab Ecclesia recedentes habebant sacramentum, etsi postea illud neglegerent. **R.** Si *Christus bonus pastor suis per totum vitae cursum* in omnibus eorum necessitatibus aptis sacramentis *providet*, fieri non potest, quin in agone ultimo et gravissimo eis desit.

2. THES. 1. **Materia remota extremae unctionis est oleum olivae ab episcopo benedictum.** *De fide* quoad oleum, *certum* quoad oleum olivae et benedictionem episcopi (Trid. 14 cp 1. unct.).

DEMONSTR. Apostolus et tota antiquitas ἔλαιον dicunt, quod consuetudine loquendi biblica est *oleum* olivarum. *Benedictionem* ab episcopo faciendam explicite praescribit Innocentius I.; et est saltem de praecepto gravi; probabiliter etiam de essentia materiae. Conveniens enim est ut materia haec a Christo peculiariter non sanctificata (sicut aqua), ab eo qui in summo sacerdotii culmine constituitur, consecretur, qui ita etiam cum omnibus fidelibus (sicut per confirmationem) immediate in ordine sacramentorum coniungitur (Supl. 29, 4—6).

Nota bene: *Oleo nihil admiscendum est.* Modicum utique non mutat substantiam, sicut russi ad exemplum samaritani misericordis aliquid vini admiscent. — Quum *apud orientales etiam presbyteri oleum infirmorum consecrent* et hoc a Clemente VIII. etc. ratum habeatur, dicendum est ad oleum infirmorum consecrandum posse delegari presbyterum (CIC 945).

THES. 2. **Materia proxima extremae unctionis est unctio infirmi.** *Certum.* Unctionem enim explicite imponit apostolus, eandem praedicat unanimis traditio et praxis Ecclesiae.

QUAEST. *Pertinetne ad essentiam materiae proximae determinatus aliquis numerus unctionum? — Probabiliter non.* Etenim aliis temporibus et in aliis ecclesiis alius erat ritus. Graeci frontem, mentum, genas, manus ungunt ; latini quinque sensus, pedes et (quod hodie semper omittitur (CIC 947, 2) renes. Ideo in casu necessitatis unica sufficit unctio (in fronte) ; sed quia fere unanimis erat doctrina scholasticorum unctionem saltem sensuum esse de necessitate (Supl. 29, 2), et quia in sacramentis tutius est eligendum, grave praeceptum est omnes unctiones sive faciendi sive supplendi. Si plures fiunt unctiones, tunc probabiliter non una principalis constituit materiam proximam, sed omnes simul sumptae tamquam unitas liturgica.

3. THES. **Forma extremae unctionis est oratio sacerdotis.** *De fide.*

DEMONSTR. **Scr.** *Iacobus* explicite orationis presbyterorum facit mentionem. **Tr.** antiquissima eo manifestatur, quod verba illa apostoli fideliter afferuntur ; *sacramentaria* iam peculiares orationes continent. **R.** Nullum sacramentum est integrum absque forma, quae hic convenientissime est oratio ; etenim aegrotus debilitate misericordiam divinam imprimis appellat, et decedens incipit quasi iam subtrahi iurisdictioni Ecclesiae, pro quo ergo divina misericordia est invocanda.

QUAEST. *Quae est forma essentialis* extremae unctionis? — Quum omnis forma intentionem administrandi et effectum sacramenti enuntiare debeat, in his etiam forma essentialis unctionis est ponenda. Quum autem labentibus saeculis multae formae satis diversae et indicativae et deprecativae in usu fuerint, sequitur formam non esse in specie a Christo d. determinatam. Nihil refert, num forma grammatice sit deprecativa. Formae ergo etiam grammatice indicativae possunt esse validae. Quaevis enim forma sacramentorum aliquo sensu etiam deprecativa est (cf. § 101, 3). Forma *in Ecclesia latina* sub gravi praescripta est : «Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum (auditum, odoratum, gustum et locutionem, tactum, gressum et lumborum delectationem) deliquisti. Amen.» Forma necessitatis : Per istam s. unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid per sensus deliquisti. Amen.

§ 106. Usus sacramentalis extremae unctionis.

Statuuntur 1. effectus, 2. minister, 3. subiectum.

1. Effectus *extremae unctionis docente apostolo sunt:*

1. «*Oratio fidei salvabit infirmum*». Haec salvatio ex natura sacramenti in eo consistit, quod infirmus benedictionem redundantem ex morte Christi Domini accipit eiusque morti quasi incorporatur, ex imperio mortis eiusque principis, qui est satanas, erutus commendatur misericordiae divinae (cf. Is 38).

Qui effectus haec habet momenta : *a) augetur gratia* sanctificans ; est enim sacramentum per se vivorum. Gratiae sanctificanti probabiliter additur modus peculiaris, quo graviter aegrotus ad vitam aeternam et agonem mortis sacramentaliter consecratur ; quae quasi-consecratio a recentioribus haud paucis *quasi-character* dicitur, et est «res simul et

sacramentum» quod scholastici in omnibus sacramentis quaerunt. *b)* «*Alleviabit eum Dominus*», seu sanat reliquias peccati, sc. infirmitatem moralem, et confert gratiae auxilium ad feliciter praeliandum agonem mortis, qui propter debilitatem corporis et animae necnon insidias diaboli plerumque vehementissimas est gravissimus. Qui effectus est gratia sacramentalis (Supl. 30, 1) et aptissime unctione olei significatur. *c)* «*Sanitatem corporis* interdum, ubi saluti animae expedierit consequitur» (Trid. 14 cp 2 unct.); qui effectus est ergo per accidens et probabiliter ex redundatione vigoris animae in corpus repetendus. *d)* Probabiliter *remissio omnium paenarum temporalium*, ut fere omnes scholastici docebant; qui effectus tamen tunc demum ad actum secundum perducitur, si adsunt conditiones, imprimis immunitas a pravis inclinationibus. Fundamento tamen caret sententia multorum medii aevi et theologorum et fidelium, eum qui extremam unctionem semel susceperit, a mundo iam quasi remotum esse: non posse iam pactiones inire, iuramenta praestare, immo nec matrimonium exercere.

2. «*Si in peccatis sit remittentur ei*» Est de fide ex Trid. (14 c. 2 unct.). Etenim *a) Apostolus* hic de peccatis gravibus loquitur; ea enim ἁμαρτίας vocat, quum transgressiones leviores παραπτώματα nominet et de eis dicat (3): «in multis enim offendimus omnes»; hic vero: «*si* in peccatis sit». *b) Tridentinum* et ritualia quae nunc sunt, alios effectus huius sacramenti vix commemorant. *c)* Peccatorum venialium remittendorum multae aliae quoque sunt viae; ad hunc finem non fuit necesse, ut novum sacramentum institueretur (Supl. 30, 1).

DIFF. Si extrema unctione remittuntur peccata gravia, *paenitentia non est tribunal unicum pro peccatis mortalibus.* — RESP. Sacramentum pro peccatis remittendis ex primaria institutione manet paenitentia, ita ut neque qui extremam unctionem susceperit, peccatorum veniam sine voto saltem implicito paenitentiae obtineat, et si convaluerit confiteri debeat. Unctio *per se quidem et directe, tamen ex institutione secundaria* est ad peccata delenda instituta, pro iis qui ex debilitate, ligati a satana (Lc 13) sacramento paenitentiae suscipiendo sunt impares. Extrema ergo unctio paenitentiae non tantum complementum, sed etiam supplementum dicendum est.

2. THES. **Minister extremae unctionis est sacerdos.** *De fide.*

Contra novatores *Trid.* (14 c. 4) definivit presbyteros Ecclesiae, quos beatus Iacobus adducendos esse hortatur ut infirmos inungerent, esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, non vero aetate seniores in quavis communitate; ideoque proprium unctionis ministrum esse solum sacerdotem.

DEMONSTR. **Scr.** *Presbyteri ab apostolo nominati* sunt sacerdotes; etenim verbum illud in epistolis apostolorum est terminus technicus pro praesidibus ecclesiasticis (cf. § 80, 2); confirmatur eo, quod cum articulo et appositione ponatur: τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας. **Tr.** Patrum formale est testimonium, ut apparet ex dicto *Innocentii I.*, et iam ex Origene. *Unctio laica*, cuius usus usque ad medium aevum valuit, erat sacramentale. **R.** Extrema unctio est *complementum et saepe supplementum paenitentiae;* conveniens est ergo ut a ministro paenitentiae seu a sacerdote administretur.

Nota bene : 1. Ad validitatem sacramenti *non requiritur ut adsint plures sacerdotes*, prout mos erat antiquis et usque modo est ecclesiae graecae, ubi tres vel septem adstant. Etenim verbum : τοὺς πρεσβυτέρους est pluralis generis, significans : aliquem ex presbyteris. Usus latinus eo commendatur, quod faciliorem pandit aditum sacramenti.

2. Ad validam administrationem *non requiritur iurisdictio;* utique autem ad licitam : proprius parochus vel eius delegatus.

3. THES. **Subiectum extremae unctionis est baptisatus, qui post adeptum usum rationis ob infirmitatem in periculo mortis versatur.** *Certum* (CIC 940 ; cf. Trid. 14 cp 3 unct.).

DEMONSTR. *a)* Explicite hoc continetur *verbis apostoli:* ἀσθενεῖ, quod ex consuetudine loquendi graviter decumbentem dicit ; confirmatur eo quod presbyteros adire non potest, sed eos advocat : προσκαλεσάσθω. *b)* Constans *traditio* quoque fert sacramentum hoc esse infirmorum, prout quaedam nomina eius quoque indicant ; extrema unctio vero dicitur quia unctionum ecclesiasticarum liturgice est ultima.

Nota bene : *Ad gradum infirmitatis* quod attinet, non anxie procedendum est in gravitate morbi determinanda ; immo curandum est ut sacramentum suscipiatur, dum aegrotus usum rationis adhuc habet et non penitus est decrepitus, ne devotae praeparationis fructibus carere cogatur. — *In eodem morbo* sacramentum non licet repetere. Quum vero teste sacramentario Gregoriano septem diebus se excipientibus sacramentum iteratum sit, illud vetitum probabilissime non ad validitatem, sed liceitatem sacramenti attingit.

COROLL. 1. Extremae unctionis suscipiendae *non sunt capaces*, qui mortis periculo sunt quidem expositi sed non ob infirmitatem, puta naufragi, milites in praelio, capite damnati ; ita autem senio confecti, etenim senectus est ipse morbus.

2. *Infantes, perpetuo amentes* in extremis constituti probabiliter non sunt capaces, quippe super quos non vere dicatur : indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti.

ADDIT. 1. *Dispositio* ad extremam unctionem cum fructu suscipiendam requisita est status gratiae, quia est primarie sacramentum vivorum. Quandoquidem autem ex institutione secundaria est etiam sacramentum mortuorum, satis est praeparatio ad iustificationem sicut pro paenitentia. Immo quum eis sit destinatum, quorum vires spirituales sunt debilitatae et alligatae, ex communi doctrina theologorum sufficit attritio habitualis, quae ex probabili multorum sententia non debet esse explicita ; satis est habitualis implicita, quam habere praesumuntur omnes fideles utcunque christianorum more viventes (Supl. 30, 1).

2. Quod ad *necessitatem extremae unctionis* attinet, certum est nullam adesse necessitatem medii physici sicut baptismi vel etiam paenitentiae, neque praecepti expliciti. Communior est etiam sententia nullam omnino adesse necessitatem ; ex caritate erga animas ac pietate erga Christum utique curandum esse, ut suscipiatur. Probabilior videtur tamen sententia quam Lombardus, Bonaventura, Soto, Kern etc. tenent adesse necessitatem moralem medii hinc ex efficacitate extremae unctionis, illinc ex gravitate extremi agonis repetendam, nec non necessitatem praecepti impliciti contenti in institutione a Christo d. facta.

Sententia communior non satis congruere videtur Tridentino dicenti : «Neque vero tanti sacramenti contemptus absque ingenti scelere et ipsius Spiritus s. iniuria esse potest» (14 cp 3 unct.). Non tamen propterea plures damnantur sacramentum non suscipientes quam in sententia communiore ; etenim sacramentum exeuntium procurare est proximorum infirmi, qui propter istorum negligentiam a Deo iustissimo et misericordi non damnabitur.

Caput 7. De ordine.

Quaeritur 1. de veritate, 2. de usu sacramentali ordinis.

Tractatus de ordine. J. *Morinus:* Tractatus historicus et dogmaticus de sacris Ecclesiae ordinationibus 1655 ; *Marchini:* De sacramento ordinis et de sacrificio missae 1638 ; P. *Gasparri:* Tr. canonicus de sacra ordinatione 1893 ; H. *Bruders:* Die Verfassung der Kirche in den ersten Jahrzehnten der apostolischen Wirksamkeit 1904 ; J. *Tixeront:* L'ordre et les ordinations 1925 ; P. *Pourrat:* Le sacerdoce. Doctrine de l'école française 1931 ; D. *Zähringer:* Das kirchliche Priestertum nach dem h. Augustinus 1931 ; G. M. *van Rossum:* De essentia sacramenti ordinis ²1931 ; *Schütz* A.: A diakonátus dogmatikai eszméje («Eszmék és Eszmények» n. 16) 1933.

§ 107. Veritas sacramentalis ordinis.

Statuuntur 1. institutio a Christo facta, 2. indoles sacramentalis singulorum ordinum, 3. materia, 4. forma ordinis.

1. Institutio. — THES. **Ordinatio est verum et proprium sacramentum n. Legis a Christo institutum.** *De fide.* — Adversus *novatores* s. 16. ordinem ut distinctum statum ac sacramentum a Christo institutum negantes Trid. (23 c. 3) definivit : «*Si qu. d. ordinem sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo d. institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quendam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum, a. s.*»

EXPLIC. *Ordo* est sacramentum n. Legis, quo potestas spiritualis in Ecclesia et gratia conveniens confertur. *Vocatur* ordo, τάξις ; manuum impositio, χειροτονία. Distinguendus est *ordo in esse* seu ut status, et *ordo in fieri* seu ordinatio ; ordinatio est sacramentum ; status ordinis est effectus ordinationis. Status ordinis, in quo iterum rite distinguenda sunt *potestas spiritualis* et *character* sacramentalis, diversos habet *gradus*, quorum octo numerantur in Ecclesia latina : episcopatus, presbyteratus, diaconatus et hi tres sunt ordines hierarchici ; deinde subdiaconatus, quocum ordines hierarchici constitutunt ordines maiores ; quattuor denique ordines minores : ostiarius, exorcista, lector, acolythus. *Tonsura* non est ordo sed sacramentale inducens ad ordines. Thesi statuitur horum ordinum saltem aliquid conferri per ordinationem, quae est sacramentum ; numero sequenti deinde quaeretur, quinam ordines indolem sacramenti habeant.

DEMONSTR. **Scr.** In V. T.-o *tribus Levi* ad munera sacra et in ea familia Aaron ad sacerdotium eligebatur. Quum N. T. sit Veteris impletio, modo convenienti sacerdotium istud continuandum erat. Et revera *Christus d. elegit apostolos*, eis potestatem dedit baptizandi, Eucharistiam celebrandi, peccata remittendi, docendi ; et die pentecostes eos

Spiritu s. ad munus apostolicum consecravit. *Apostoli* potestate a Christo accepta alios *manuum impositione* instituebant, ut testantur Act. 13. 14. Cuius indolis fuerit illa manuum impositio, Paulus docet : «*Admoneo te ut resuscites gratiam Dei*, ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα, *quae est in te per impositionem manuum mearum*» 2 Tim 1. «Charisma» non est hic gratia gratis data, sed sicut etiam alibi apud Paulum (Rom 5 ; 1 Cor 12, 31) gratia (χάρις), ut patet ex verbis immediate post allata sequentibus : «non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis». Deinde : «*Noli neglegere gratiam quae est in te, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii*» 1 Tim 4 ; et eundem Timotheum monet : «*Manus cito nemini imposueris*» 1 Tim 5. Apostoli ergo per cheirotoniam modo ordinario gratiam sacerdotii conferebant. Praescriptum Christi iam vel inde colligitur, quod talis ordinaria institutio non potest nisi a Christo repeti; ipse enim solus habet potestatem dona atque facultates supernaturales conferendi ; apostoli seipsos tantum dispensatores mysteriorum Dei habent. Atqui his omnia veri sacramenti elementa ponuntur.

Tr. Patres iam inde a Didache 15 et *Ignatio* rite distinguunt inter sacerdotium universale omnium fidelium et sacerdotium peculiare, ad quod manuum impositione electi initiantur (Cypr. Epist. 57 ; cf. § 80, 1) ; inde a saeculo 4. indolem sacramentalem huius initiationis quoque explicite testantur. Secundum *Naz.* (Or. in bapt. Christi) orationis vis sacerdotem honorabilem et augustum facit : quoad speciem externam idem est qui erat, invisibili tamen vi et gratia invisibilem animam in melius transformatam gerit. Item Chrys. (Sacerd. III 4). Dicente *Augustino* «utrumque sacramentum est et quadam consecratione datur ; illud quum baptizatur, istud quum ordinatur ; ideoque in catholica Ecclesia utrumque non licet iterari» (Ep. Parm. II 13, 18). Accedit consensus omnium ecclesiarum orientalium et schismaticarum. **R.** Conveniens est, ut *qui per sacramenta* imprimis *vitam supernaturalem* aliis tribuunt, et ipsi supernaturaliter per sacramentum sint initiati. Et quum Christus d. Ecclesiam visibilem instituit eamque per hierarchiam regi voluit, conveniens est, ut sit in Ecclesia sacerdotium visibile, seu liturgicum, idque hierarchiae commissum utpote quae ad munus sacerdotale exercendum sit praeprimis vocata (§ 80, 2) ;

2. Indoles sacramentalis ordinum. — 1. **Ordines minores et subdiaconatus non habent indolem sacramenti.** *Fere certum.*

Medio aevo sententia opposita erat communior contradicentibus Hugone Vict., Lomb., Durando, Caietano ; inde a Morino et Benedicto XIV. nostra thesis communiter accipitur paucissimis tantum (Glossner Egger, Billot, Hugon) contrarium sentientibus vel potius disceptantibus.

DEMONSTR. *a)* Ordines minores et subdiaconatus *labente tempore* agente Ecclesia orti sunt : lectores primus Tertullianus, omnes primus *Cornelius papa* in epistola ad Fabianum enumerat ; ecclesia orientalis non omnes novit, sed tantum hypodiaconum, anagnostem seu lectorem et psaltem ; atqui Ecclesia non habet potestatem inducendi sacramenta. *b) Materia* huius sacramenti est impositio manuum, quae in enumeratis nulla invenitur.

DIFF. 1. *Decretum pro Armenis* statuit : «Sextum sacramentum

est ordinis, cuius materia est illud per cuius traditionem confertur ordo : sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenae cum pane porrectionem. Diaconatus vero per libri evangeliorum dationem. Subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem ; et similiter de aliis». — RESP. Decretum hoc ex opusculo s. Thomae De fidei articulis et septem sacramentis utplurimum sumptum, est instructio pastoralis eiusdem auctoritatis atque v. g. Catechismus Romanus (ita Straub, van Rossum), cuius finis non erat dogmata de indole vel signo ordinis definire, sed ritum latinum describere, ut armeni ecclesiae latinae moribus se accommodarent ac rituum uniformitate firmius eidem adhaererent (ita Benedict. XIV.). Neque Tridentinum circa thesim aliquid definire voluit, plane in sensum contrarium ; quod iam vel eo colligitur, quod thesis nostra post ipsum Tridentinum fere communis evaserit.

2. *Subdiaconatus inter ordines maiores* in eodem numero cum presbyteratu et diaconatu habetur. — RESP. Hoc fit inde cca ab a. 1200 (primus testis est Petrus Cantor), quia obligationem perpetuam ad vitam ministerio Christi impendendam necnon caelibatus et breviarii inducit.

THES. 2. **Diaconatus est ordo hierarchicus a Christo institutus indolem sacramenti praebens.** *De fide* quoad partem primam, *certum* quoad secundam. — *Trid.* (23 c. 6) definivit «*in Ecclesia catholica esse hierarchiam divina ordinatione institutam quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris*». Diaconatum esse sacramentum, paucissimi tantum (Durandus, Caietanus) negabant.

DEMONSTR. **Scr.** Diaconi *levitarum* e gremio populi in peculium Domini electorum hereditatem acceperunt. *Manuum impositione* ab apostolis initiati dona supernaturalia acceperunt, ut ostendunt exempla Philippi, Barnabae, ad eandem *vitae sanctitatem* a Paulo (1 Tim 3) sicut episcopi vocati. Et licet mensis inservierint, tamen etiam evangelium praedicabant, baptizabant etc.

Tr. Ab initio in eundem numerum cum episcopis referuntur : «Constituite igitur vobis episcopos et diaconos dignos Domino» *(Didache* 15). *Ignatius* dicit : «Cuncti similiter revereantur diaconos ut Iesum Christum, sicut et episcopum qui est typus Patris, presbyteros autem ut senatum Dei et concilium apostolorum» (Trall. 3). Patres saeculi 4. Act 6, 1—6 de consecratione diaconorum intellegebant. **R.** *a)* Diaconi ex omnium catholicorum persuasione *ad hierarchiam pertinent.* Atqui hierarchia seu sacra potestas per ordinis sacramentum confertur. *b) In ordinatione* diaconorum dicitur : *Accipe Spiritum s.* Atqui Tridentino (23 c. 4) anathematizatur, qui dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum s., ac proinde frustra episcopos dicere : Accipe Spiritum s.

THES. 3. **Ordinatio presbyteri sacramenti indolem habet.** *De fide.*

DEMONSTR. *Trid.* (23 c. 3 definivit : ordinem esse sacramentum verum et proprium ; deinde c. 1 : existere in N. T. sacerdotium visibile et externum, existere potestatem consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Christi, peccata remittendi et retinendi. Atqui per alios ordines minores secundum idem concilium (c. 23) veluti per gradus quosdam in sacerdotium tenditur ; episcopatus autem non ex omnium sententia est sacramentum. *Si ergo saltem presbyteratus non esset ordo, existentia sacramenti ordinis in discrimen vocaretur.* Haec est communis persuasio etiam totius antiquitatis.

THES. 4. **Episcopatus** *est ordo presbyteratu maior, ab eo adaequate distinctus et sacramenti indolem praestans.*

1. *Episcopatus* **est ordo presbyteratu maior.** *De fide.* Adversus Aërium (cca a. 360), Marsilium Patavinum († 1343), Huss et Wicleff Trid. definivit (23 c. 7) : «*Si qu. d. episcopos non esse presbyteris superiores vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam quam habent, illis esse cum presbyteris communem . . . a. s.*»

DEMONSTR. **Scr.** Nominationibus N. T.-i res decidi non potest, utique autem re. § 80, 2 enim probatur iam tempore apostolico singulis ecclesiis praefuisse singulos antistites ceteris essentialiter superiores, quibus solis ad finem vergente s. 1. nomen episcopi reservabatur.

Tr. *Ignatius* perspicuum exhibet iam testimonium : «Hortor, ut in concordia Dei omnia peragere studeatis, episcopo praesidente loco Dei et presbyteris loco senatus apostolici, et diaconis mihi suavissimis concreditum habentibus ministerium Iesu Christi» (Magn. 1). Posteriores fuse testantur confirmationem et imprimis ordinationem a solo episcopo fieri, Aerium ut haereticum reiciebant (Epiph. Haer. 75, 3). Si *Hieronymus* dicit : «Idem est presbyter qui et episcopus» (in Tit 1, 5), animo amariore hoc ad ambitionem quorundam diaconorum et episcoporum (Ioannis Hierosol.) cohibendam dixisse videtur ; etenim ipse quoque fatetur : «Quid enim facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat?» (Ep. 146) ; immo in priore loco : «Episcopi noverint se *magis* consuetudine quam dispositionis dominicae veritate presbyteris esse maiores» ; si ergo «magis», tunc non omni ex parte. **R.** Si episcopo adaequaretur presbyter et ipse quoque sacerdotes ordinandi haberet potestatem, actum esset de *ordine et unitate communitatis ecclesiasticae.*

2. *Episcopatus est ordo* **adaequate distinctus a presbyteratu.** Est hodie *communius* (paucissimis contradicentibus : uti Gutberlet, Sasse, Billot, Diekamp) adversus plerosque scholasticos docentes episcopatu non conferri characterem peculiarem, sed eum esse tantum complementum presbyteratus.

DEMONSTR. *a)* Episcopatus et Scriptura et traditione inde ab initio constanter explicite *cum diaconatu ac presbyteratu in eundem numerum refertur.* Ita ergo a presbyteratu distingui dicendus est, sicut presbyteratus a diaconatu distinguitur ; alioqui enumerationes dichotomicae presbyterorum et diaconorum quoque occurrere deberent. *b)* Ex praecedentibus episcopatus est *superior presbyteratu* idque in momentis non levibus, uti sunt iurisdictio in foro externo et ordinatio. Atqui si ex adversariorum sententia ad novum ordinem adaequate distinctum constituendum satis est potestatis multo levius discrimen, uti v. g. acolythorum et subdiaconorum, certo potestas hierarchica episcopi satis est ad discrimen adaequatum statuendum.

DIFF. 1. *Septem sunt ordines.* Si episcopatus esset adaequate distinctus, octo deberent numerari. — RESP. Nego suppositum. In ecclesia latina utique inde a Cornelio papa septem numerantur, at in orientali pauciores ; neque numeratio latina vim dogmaticam habet.

2. Septem ordines ab invicem possunt eo sensu separari, quod superior valide (etsi illicite) absque inferioribus confertur ; non ita *episcopatus, qui absque presbyteratu praecedenti non potest valide conferri.* — RESP.

a) Suppositum non est omni exceptione maius (cf. § 108, 3). *b)* Etiam si verum est, potest habere aliam rationem atque obiectio ponit.

3. *Ordines distinguuntur secundum relationem ad Eucharistiam ;* atqui episcopatus non confert novam potestatem circa Eucharistiam ; immo omnino non potest dari maior potestas quam consecrandi, seu potestas in corpus reale Christi, quod presbyteratu confertur. — RESP. *a)* Nego suppositum : ordines non tantum relatione ad Eucharistiam constituuntur. *b)* Etiam si suppositum esset verum, negarem consequens : conferre potestatem consecrandi, id quod habet episcopus, certo arctius ad ministerium Eucharistiae refertur atque v. g. exorcistatus, qui ex supposito adversariorum tamen est ordo adaequate distinctus a ceteris.

3. *Episcopatus* **indolem sacramenti praestat**. Hodie communius et *probabilius* adversus plerosque scholasticos, e quibus tantum Durandus, Altissiodorensis, Paludanus, Caietanus thesim profitentur.

DEMONSTR. **Scr.** *Litterae s. ignorant distinctam presbyterorum et episcoporum consecrationem;* atqui Timotheus et Titus episcopi sunt consecrati. Quibus ergo e Scriptura probatur existere sacramentum ordinis, iisdem sacramentalitas episcopatus quoque confirmatur. **Tr.** Patres ordinationem episcopi in eodem numero cum ordinatione presbyterorum quoad indolem habebant. **R.** Episcopus in ordinatione *potestatem supernaturalem non mediocris momenti* accipit ; atqui contra analogiam oeconomiae N. T.-i esset eam absque sacramento conferri. Absonum est v. g. ostiariatum sacramentum et episcopatum sacramentale tantum habere.

Nota bene : *Licet tres ordines hierarchici indolem sacramenti habeant, ordo tamen unum est sacramentum.* Est conclusio dogmatica ex dogmate septem sacramentorum. Ratio theologica est : Ordo est unum potestativum, cuius haec est natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis est autem participatio quaedam eius (Supl. 37, 1 ad 2). Ordinantur enim ordines hierarchici ad aedificandum corpus Christi mysticum, ita ut presbyter sacrificium corporis mystici Deo offerat eiusque fructus membris singulis ad salutem individuorum communicet, episcopus communitatem conservet et per ordinationes eius continuitatem procuret ; diaconus vero utrique sit administer.

3. THES. **Materia ordinis est impositio manuum episcopi.** *Certum* et hodie ferme commune.

DEMONSTR. *a) Litterae d.* aliud signum non norunt, nisi cheirotoniam, *b)* neque *Ecclesia antiqua* vel synodis vel libris ritualibus vel scriptis Patrum aliud prodit. Traditio instrumentorum, quae ex plurimorum scholasticorum opinione est materia, saeculis 10—14. sensim probabiliter ad normam investiturae laicae invaluit, ut van Rossum ostendit. Atqui Ecclesia in substantiam sacramentorum nullam habet potestatem. *c) Ecclesia graeca,* quae ex doctrina etiam latinorum valide ordinat, manuum impositionem tantum habet. *d)* Argumentum in contrarium *ex Decreto pro Armenis* prolatum non valet (cf. supra n. 2).

COROLL. *Falsa* est ergo sententia utrumque, *et manuum impositionem et instrumentorum traditionem esse de essentia materiae,* alterum principale alterum complementarium. Etenim Ecclesia nunquam sibi potestatem circa substantiam sacramentorum vindicavit. — Totius huius quae-

stionis vix est ullum momentum practicum, quum tutius sit eligendum, atque ideo instrumentorum traditio minime omitti possit.

4. THES. **Forma ordinis est oratio episcopi manuum impositionem comitans.** *Certum.* — Sequitur ex eo, quod *forma cum materia unum morale constituit;* ergo in talibus verbis quaerenda est, quae materiae proximae coniunguntur. De sententia ergo plurimorum scholasticorum ea verba formam esse quae instrumentorum traditionem comitantur, actum est, simulatque falsa esse apparet eorum opinio de materia.

QUAEST. Quum in ordinatione plures sint manuum impositiones, quaeritur *quaenam* manuum *impositio cum verbis comitantibus sit signum sacramentale?* — *In episcopatu* signum in secunda impositione cum oratione comitanti est ponenda ; siquidem prima impositio (consecrantis et assistentium) in ecclesia latina ante saeculum 14. erat ignota et in orientali usque hodie desideratur ; praeterea absque ullis verbis comitantibus fit. *In presbyteratu* ultima impositio (cum verbis : «Accipe Spiritum s., quorum remiseris peccata» etc.) non pertinet ad signum sacramenti ; quia sacramentum tunc iam completum est, namque ordinatus iam cum episcopo missam celebravit ; in prima impositione deest forma ; manet ergo secunda : ubi cum episcopo omnes presbyteri praesentes manus super ordinandos extendunt episcopo orante. *In diaconorum ordinatione* unica tantum adest manuum impositio.

§ 108. Usus sacramentalis ordinis.

Statuuntur 1. effectus, 2. minister, 3. subiectum.

1. Effectus ordinis definivit *Trid.* (23 c. 4) : «*Si qu. d. per sacram ordinationem non dari Spiritum s. ac proinde frustra episcopos dicere: Accipe Spiritum s.; aut per eam non imprimi characterem; vel eum qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, a. s.*»

1. Effectus principalis huius sacramenti est *potestas spiritualis*, qui est in diaconis ministerium sollemne sacerdotii generalis ex munere peragendum ; in presbytero cura singularum animarum per sacrificium et sacramenta ; in episcopo potestas aedificandi corpus mysticum Christi per constitutionem sacerdotum et gubernationem Ecclesiae.

2. Potestas spiritualis ordinis radicatur *in charactere*, quem imprimit. Character indicatur verbis Pauli : «*resuscita* (ἀναζωπυρεῖν = ignem gliscentem flatu excitare) *quae in te est per gratiam*»; ergo non potest penitus exstincta esse. *b)* Unanimis erat Ecclesiae ab initio persuasio ordinem non posse deponi, neque iterandum esse ; qua persuasione implicite character pronuntiatur (cf. quae Aug. dicit § 107, 1).

Reordinationes quae inde a saeculo 5. a graecis in haereticos et saeculo 11. et 12. a latinis in simoniacos saepius fiebant, ea demum mente factae sunt, primas ordinationes fuisse invalidas. — Quum character sit sacramenti effectus, tribus ordinibus hierarchicis tantum imprimitur ; et quidem non ita, ut permanente eodem charactere alia potestas distincta a praecedenti conferatur (Vasquez) ; sed nova per novum ordinem qualitas supernaturalis animae communicatur, ita tamen ut tres characteres ordinis in eodem genere alter alterum perficiat.

3. *Gratia sanctificans* eaque secunda; quum ordo sit sacramentum vivorum, ut iam Apostolus indicat; et colligitur ex eo, quod duo tantum sint sacramenta mortuorum.

4. *Gratia sacramentalis* huius sacramenti est fons et titulus auxiliorum ad munera sacerdotalia gravissima rite obeunda.

2. THES. **Minister sacramenti ordinis est solus episcopus.** *De fide* ex Tridentino (23 c. 7).

DEMONSTR. **Scr.** Ordinare testibus Litteris s. est apostolorum et episcoporum ab eis ordinatorum. *Paulus* ipse Timotheum ordinaverat 2 Tim 1; presbyterium ergo, de quo 1 Tim 4 loquitur, assistendi et testandi habet munus, sicut hodie quoque in presbyterorum ordinatione fit. Timotheus et Titus alios consecrant: «*Huius rei gratia reliqui te Cretae, ut ea quae desunt corrigas et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi*» Tit 1. **Tr.** Licet in episcopis et presbyteris eligendis populo quoque suae partes tributae essent, consecratio semper episcopi et ius et munus esse censebatur, prout enuntiat Constit. Ap. (VIII 28): Χειροθετεῖ οὐ χειροτονεῖ ὁ πρεσβύτερος. Contra Aërium id negantem omnes cum *Epiphanio* profitebantur: «Episcoporum ordo ad gignendos patres praecipue pertinet. Alter (presbyter) cum patres non possit, filios Ecclesiae regenerationis lotione producit, non tamen patres aut magistros» (Haer. 75). **R.** Eo quod sacerdotes a solo episcopo consecrari possunt, *unitati et disciplinae Ecclesiae* quam efficacissime consulitur.

ADDIT. 1. *Ad validam ordinationem* requiritur utique debita intentio ordinantis; ex cuius defectu Leo XIII. ordinationes anglicanas a. 1896 invalidas esse declaravit. At non requiritur recta fides vel caritas, ut patet ex iis quae de ministro in genere sunt dicta (§ 88, 1). Reordinationum ergo praxis erat absque fundamento; immo quidam etiam episcopi haud recte circa hanc materiam sentiebant.

2. *Ad liceitatem ordinationis* requiritur, ut ordinans sit episcopus proprius (CIC 955). In episcoporum ordinatione ex praecepto Nicaeni omnes provinciae episcopi adesse debebant; ex praecepto legis (CIC 954) saltem tres. Quod tamen non ad validitatem sacramenti est necessarium: etenim aliis temporibus etiam alia erant et praescripta et indulta; sic Gregorius M. Augustino indulsit ut absque assistentibus consecraret. Si tres adsunt, ex sententia probabiliore (cui adversatur Vasquez), quam ritualia et praxis antiquae ecclesiae confirmant, solus consecrator est minister sacramenti; assistentes sunt tantum adiutores et testes.

3. *Ecclesia habet potestatem presbyteris committendi facultatem, ut ordines minores et subdiaconatum conferant.* Etenim *a)* sunt sacramentalia, in quorum administratione Ecclesia pro lubitu potest praescripta edere. *b)* Antiquitus revera talis potestas concessa est, v. g. a Gelasio papa (Ep. 14). Ex iuris dispositione hanc delegandi potestatem Pontifex sibi ipse reservavit, qui vix unquam ad subdiaconos ordinandos presbyterum delegaverit, ex quo subdiaconatus ordinibus maioribus adnumeratur.

4. *Presbyter non potest delegari ad diaconos vel plane presbyteros ordinandos.* Erat singularis prorsus sententia Huguccionis († 1210) posse quemque ordinem proprium et inferiores conferre. Sequitur ex thesi. Quae in contrarium imprimis a Morino afferuntur (ep. 167 Leonis M., quae est satis obscura et forsitan de episcopis illicite ordinatis agit) non sunt certa. Fertur quidem ab Innocentio VIII. a. 1489 *abbatibus cisterciensium*

concessam esse facultatem suis conferendi diaconatum. Bullae illius authentia a quibusdam in dubium vocatur; originale eius in archivis Vaticanis non invenitur. In alio casu (Bonif. IX. a. 1400) videtur abbati cuidam anglo solum privilegium plenae exemptionis concessum esse: ordinari iubere suos a quovis episcopo independenter ab ordinario. At quocunque modo se res habeat, «unum factum pontificium non facit legem neque dogma» (Pesch: Praelect. dogm. VII[3] 333).

3. THES. **Subiectum validitatis ordinis est mas baptizatus.** *Certum.*

DEMONSTR. Baptismus est ianua ceterorum sacramentorum. Hoc unicum est sacramentum, a quo suscipiendo mulieres cohibentur. **Scr.** Iam *in V. T.* soli mares tribūs Levi ad sacrum ministerium admittebantur, a quo mulieres etiam magnae auctoritatis arcebantur. In N. T. *Paulus* ceterum assertor facundissimus libertatis et aequalitatis christianae dicit: «*Mulieres in ecclesia taceant; non enim permittitur iis loqui, sed subditas esse*» 1 Cor 14; «*Docere autem mulieri non permitto neque dominari in virum, sed esse in silentio*» 1 Tim 2.

Tr. Mulieres etiam devotissimae ad munera sacra non admittebantur; *pepuzianorum, collyridianorum* et quorundam catholicorum conatus sacerdotissas adhibendi acriter a Patribus inde a Tertulliano et synodis (iam Laodicensi) reiciuntur. *Diaconissae et viduae,* quae per manuum impositionem ad munus suum initiabantur, non ad potestatem sacram in corpus mysticum Christi sed ad ministerium caritatis sunt susceptae. *Episcopae et presbyterae* vero erant matres, quandoque uxores presbyterorum et episcoporum post eorum consecrationem ad continentiam destinatae; quandoque antistites diaconissarum ita vocabantur. **R.** *a)* Mulieres *propter naturae debilitatem* muneribus sacris sat arduis obeundis non sunt pares. *b) Ex indole psychica* subiectiva nimis et adminiculum poscenti non sunt aptae quae regno caelorum eiusque muneribus obiectivis atque gravibus strenue propugnandis adlaborent. Ad quae ingenio naturae disponuntur, munera inquam caritatis, amplissima eis dicio patet, ut viduarum, diaconissarum, monialium et historia et praxis ostendit.

ADDIT. 1. *Ad validitatem* sacramenti suscipiendi praeterea utique debita intentio requiritur. Quae ex generatim dictis (§ 88, 2) non debet esse nisi habitualis, immo satis est implicita; ita ut etiam infantes valide (etsi graviter illicite) ordinentur; quod si factum sit, ad onera ordinis ferenda nolentes non sunt cogendi.

2. *Ad liceitatem* sacramenti suscipiendi requiritur conveniens aetas, character confirmationis, scientia et virtus, titulus, immunitas a censuris et irregularitatibus, debita interstitia et observatio graduum (CIC 968 ss).

Ista sola conditio, quam ultimo loco posueramus: *ne ordinatio fiat per saltus,* momentum dogmaticum quoque habet; de qua haec statuuntur: *a)* Ad ordines hierarchicos valide suscipiendos non requiruntur ordines inferiores; sunt enim sacramentalia tantum; neque semper in Ecclesia administrabantur. *b)* Ut quis valide presbyter ordinetur, non requiritur ut antea iam diaconus fuerit. Est doctrina communis theologorum et confirmatur enuntiationibus pontificum (Innocent. III; Gregor. IX. etc.). *c) Ut quis valide episcopus consecretur, requiritur, ut sit presbyter;* etenim in consecratione episcopali non confertur potestas consecrandi et offerendi corpus et sanguinem Christi, in qua principaliter potestas sacerdotalis sita est. Ita sententia communior. Non videtur tamen probabilitate carere *sententia contraria* (Mabillon, Martène). Namque α) ordinatio Timothei et Titi probabiliter unica tantum fuit; atque ii certo episcopi sunt con-

secrati. β) In ecclesia antiqua saepissime laici unica ordinatione episcopi sunt consecrati, quin legatur eos presbyteratum quoque tunc suscepisse. γ) Si ordo est sacramentum unum, debet unica quoque ordinatione conferri posse; et quia episcopatus est ordo sacramentalis adaequate distinctus a presbyteratu, ille ritus unicus non potest esse nisi episcopatus. Ceterum standum est in praxi legibus graviter obligantibus et sententiae communiori.

Caput 8. De matrimonio.

Quaeritur 1. de existentia, 2. de essentia, 3. de proprietatibus matrimonii.

Tractatus de matrimonio. M. *de Ledesma:* De magno matrimonii sacramento 1592; *Sanchez:* De sacramento matrimonii 1602; A. *de Roskovány:* De matrimoniis in Ecclesia catholica 2 vol. 1837. 1840; P. *Gasparri:* Tr. canonicus de matrimonio 2 vol. 1895; D. *Palmieri:* De matrimonio christiano 1897; M. P. *Rosset:* De sacramento matrimonii 6 vol. 1895—6; J. *Dermine:* La doctrine du mariage chrétien ²1928; G. H. *Joice:* Christian Marriage. An historical and doctrinal study 1933; *Schütz:* A házasság 1933. — S. *Alves Pereira:* La doctrine du mariage selon s. Augustin 1930; F. *Falk:* Die Ehe am Ausgang des Mittelalters 1908.

§ 109. Existentia sacramenti matrimonii.

Statuuntur 1. notio, 2. institutio matrimonii.

1. Notio matrimonii. — *Matrimonium* nominatur a verbo mater; alias coniugium = con et iugum; connubium = con et nubere = sponsam velare; γάμος a verbo γεννᾶν = gignere; et a Lombardo definitur: viri et mulieris maritalis coniunctio inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem retinens. Exinde matrimonium in fieri est mutuus consensus viri et mulieris ad vitam maritalem agendam: contractus matrimonialis; cuius effectus seu maritalis vitae consuetudo constans est matrimonium in esse: vinculum coniugale. Matrimonium in fieri est sacramentum.

Matrimonium sic definitum ab ipso naturae humanae Auctore tamquam officium naturae est institutum ad hominum propagationem et ad vitam socialem sustentandam; idque ad tres fines, qui *bona matrimonii* vocantur; *a) Bonum prolis:* «Crescite et multiplicamini» Gen 1. Attenditur in prole ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur (Aug.); qui est finis primarius matrimonii. *b) Bonum fidei:* mutuum adiutorium ac fidelitas in officiis maritalibus implendis: «Non est bonum esse hominem solum; faciamus ei adiutorium simile sibi»; «quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae» Gen 2; quod est ratio primaria matrimonii secundum Gen 2 et Eph 5. *c) Bonum remedii:* «Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat» 1 Cor 7; quod est finis secundarius matrimonii. Accedit in hoc salutis ordine *d) bonum sacramenti;* quia matrimonium, quod tamquam institutum a Deo ubique terrarum religiosum quid habetur, ad dignitatem sacramenti n. Legis elevatur. Quod est finis et ratio matrimonii in ordine supernaturali.

Sequitur: 1. *Matrimonium utpote a naturae Auctore ordinatum, est honestum et licitum quid,* quod encratitae, gnostici, manichaei negabant. Immo «mulier salvabitur per filiorum generationem, si permanserit in fide et dilectione et sanctificatione» 1 Tim 2.

2. *In matrimonio contrahendo ex causis adaequatis licitum est rationem* (bonum fidei) *excluso fine primario intendere;* seu matrimonium ratum non consummatum est matrimonium validum. Etenim bonum prolis quamvis matrimonii finis sit primarius, non tamen est unicus, qui haud raro ipsā natura impeditur ; quod autem natura impeditur, ex causis moralibus adaequatis et servata lege Dei licite ex voluntate quoque suscipi potest (Supl. 42, 4). Consensus facit nuptias, non copula ; quod asserunt praeeunte Augustino Hugo Victorinus et Lombardus adversus Gratianum et multos canonistas medii aevi et facunde proponit Augustinus in matrimonio vero b. Mariae Virginis cum s. Ioseph explicando (Nupt. concup. I 11, 12 ; Virg. 4 ; Iulian. V 12, 46).

2. Institutio. — THES. **Matrimonium est sacramentum n. Legis a Christo institutum.** *De fide.*

Manichaei et gnostici matrimonium rem immundam esse dictitabant, *Luther* et Calvinus rem mere mundanam illud habebant ; ex opinione modernistarum demum tempore scholasticorum factum est sacramentum. Trid. (24 c. 1) definivit : «*Si qu. d. matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, a. s.*»

DEMONSTR. **Scr.** Narrante *Genesi* non solum Deus matrimonium instituit, eo quod masculum et feminam creavit homines et mandatum eis dedit, ut crescant et multiplicentur ; sed procul dubio indole supernaturali illud ornavit : benedixit primis hominibus, et mysticam matrimonii rationem indicavit, eo quod Evam ex carne Adae procrearit atque utrumque in carne una fore per os Adae enuntiaverit. *Legislatio mosaica* quamvis imperfecta tamen pro opportunitate temporum dignitatem atque sanctitatem matrimonii satis servavit custodivitque (Prov 31). Prophetae et institutione et exemplo pristinam matrimonii sanctitatem postulabant ac matrimonium typum esse docebant necessitudinis, quae intercedit inter Jahvem et populum electum (cf. etiam Canticum et Ps 44).

Christus d. pristinam matrimonii sanctitatem iam in sermone montano Mt 5 restituit et iterum coram apostolis Mt 19 : «*Quod itaque Deus coniunxit, homo non separet*»; nuptias Canae Galileaae praesentia sua et miraculo primo edito sanctificavit Jn 2 ; ipse quoque in matrimonio nasci voluit. Praesertim autem eo dignitatem sacramenti matrimonio addidit, quod unione reali Verbi cum sua sanctissima humanitate, deinde unione sua mystica cum Ecclesia antitypum matrimonii implevit ; praeterea ordinem supernaturalem instaurando hoc institutum, quod Deum habet auctorem et fuit ab initio quaedam Incarnationis Verbi adumbratio (Leo XIII.), eo ipso ad dignitatem supernaturalem elevavit. Quod *Paulus* diserte docet : «*Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea . . . Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit; sed nutrit et fovet eam sicut et Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam et adhaerebit uxori suae; et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia,* τό μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστίν· ἐγὼ δὲ λέγω εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν» Eph 5. Dicente Paulo matrimonium est mysterium seu res

sacra et arcana ea parte, quatenus refertur ad coniunctionem Christi cum Ecclesia adumbrandam. Atqui relatio Christi ad Ecclesiam est supernaturalis, ergo etiam prototypus eius, seu matrimonium christianum ; eo magis, quia docente Paulo 1 Cor 6 nubentes christiani sunt membra corporis Christi mystici. Praeterea signa n. Legis non sunt elementa infirma, sicut erant signa V. T.-i ; ergo aliquomodo reapse continent id quod significant.

Tr. Iam *Ignatius* monet, ut sponsus et sponsa de sententia episcopi coniugium faciant, ut nuptiae eorum secundum Deum sint et non secundum cupiditatem (Polyc. 5). *Tertullianus* celebrat felicitatem «eius matrimonii quod Ecclesia conciliat, et obsignat benedictio, angeli renuntiant, Pater ratum habet» (Ux. II 9). Homilia quae *II Clementis R.* dicitur, verbis Eph 5 matrimonii sanctitatem statuit ; Clemens Alex. (Strom. III 18) et Origenes adversus gnosticos eius dignitatem alacriter defendunt ; *Cyrillus Alex.* pro more gravissimis rationibus veritatem catholicam asserit ; *Ambrosius* (Abrah. I 7, 59) formaliter sacramentalitatem eius docet ; *Augustinus* adversus obiurgationes pelagianorum scripsit opus De nuptiis et concupiscentia, ubi in eundem numerum cum baptismate et ordinatione illud refert, adversus Iovinianum opus De bono coniugali edidit et multis (Civ. XIV 22 ss.) sanctitatem matrimonii celebrat.

R. *a)* Christus sacramento peculiari ordinis propagationi spirituali Ecclesiae consuluerat ; conveniens ergo erat, ut *propagationem eius materialem* quoque hoc modo sanctificaret. Conveniebat enim ut Christus qui naturam ipsam hominis renovaturus erat, non solum iis qui iam in ortum vocati erant, benedictionem impertiret, sed et iis qui postea nasciturí erant, gratiam praestitueret et eorum ortum sanctum efficeret (Cyril. Alex. in Jn 2). Etenim coniuges vere christiani «habent intentionem generandi regenerandos, ut qui ex eis saeculi filii nascuntur, in Dei filios renascantur» (August. Nupt. et concup. I 4, 5). *b)* Christus dignitatem pristinam matrimonii restituendo fatentibus ipsis apostolis *onus grave* hominibus imposuit : «Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere» Mt 19 ; quod auxilio supernaturali erat sublevandum. At si ita, conveniens fuit, ut id fieret modo sacramentali, idque per ipsum matrimonium, quod in se est aptissimum ut signum fiat gratiae. *c)* Quum matrimonium *tanti sit momenti tam pro individuis quam pro societate*, conveniens fuit quam maxime, ut speciali modo a Deo sanctificaretur.

§ 110. Essentia sacramentalis matrimonii.

Statuuntur 1. thesis fundamentalis, 2. minister, 3. signum, 4. subiectum et necessitas.

1. Fundamentum. — THES. **Inter christianos ipse contractus matrimonialis est sacramentum.** *Certum.*

EXPLIC. In matrimonio christiano inter contractum matrimonialem et sacramentum matrimonii nulla est distinctio realis, sed mere logica ; ita ut nullum sit matrimonium christianum validum quod sacramenti characterem non habeat, et si quid matrimonii speciem prae se ferens non est sacramentum, neque matrimonium est. Ita Ecclesia in authenticis declarationibus semper sensit (Trid. 24 cp 1 ref. matr. ; Pius IX., Leo XIII., Pius XI. Casti connubii ; CIC 1012).

DEMONSTR. *a) Christus* d. illud matrimonium sanctificavit et ad ordinem supernaturalem elevavit, quod suo tempore invenit ; ergo matri-

monium V. T.-i et statūs naturae, nihil novi addens vel instituens. *b)* Item *Paulus* in eo cernit mysterium, quod homo relinquat patrem et matrem atque adhaereat uxori; seu ex eius sententia ipsa pactio maritalis est imago realis atque signum efficax unionis mysticae et efficacis Christi cum Ecclesia. *c)* Tota *antiquitas* ecclesiastica matrimonium validum inter christianos quocunque modo initum rem sacram et gratiae fontem seu sacramentum habuit.

COROLL. Graviter *errarunt* theologi *iosephinistae* et gallicani utrumque separantes et contractum matrimonialem potestati civili committentes. — Erravit etiam *M. Canus*, quem Estius, Tournely etc. sequuntur, opinans contractum matrimonialem esse materiam sacramenti, benedictionem esse formam; quum contractu tota essentia sacramentalis matrimonii contineatur. — Neque sententia *Vasquesii*, Billuarti, Wirceburgensium etc. ferri potest: ex voluntate nupturientium pendere, utrum merum contractum matrimonialem inire vel sacramentum accipere velint.

2. Minister. — THES. **Ministri matrimonii sunt ipsi contrahentes.** *Communius* et ferme certum.

DEMONSTR. Est *consecutio thesis fundamentalis* praecedentis: Quum in matrimonio idem sit omnino sacramentum quod est contractus, iisdem causis sacramentum quibus et contractus matrimonialis enascitur, seu consensu contrahentium. Confirmatur

Scr. *Christus d. et Apostolus* de illo matrimonio sacramenti dignitatem praedicarunt, quod a iudaeis tunc temporis, immo quod in paradiso usitatum erat, nihil addentes. Atqui matrimonia sive Legis v. sive legis naturalis ipsorum nupturientium consensu matrimoniali manifestato contrahuntur. **Tr.** Patres exigunt quidem ut matrimonia in facie Ecclesiae fiant, clandestina tamen propterea invalida non habent; immo *Innocentius III.* post Nicolaum I. explicite docet: «sufficiat ad matrimonium solus consensus illorum, de quorum quarumque coniunctionibus agitur» *(D* 404). Ita scholastici (Supl. 45, 5) et deinde theologi plurimi sentiebant paucissimis adversantibus, uti post Guilelmum Alvernum M. Cano et utique iosephinistis. Trid. (24, cp 1 Tametsi) *matrimonia clandestina* non propter defectum ministri, sed ex neglectu conditionis ab Ecclesia ob iustissimas causas positae invalida declarat.

DIFF. 1. *Nemo sibi ipse sacramentum administrare potest.* — RESP. Concedo; at nego suppositum et consequens. Etenim in matrimonio sponsus sponsae et vice versa administrat.

2. *Contrahentes saepissime nesciunt se sacramenti esse ministros*, ergo deest eis debita intentio. — RESP. Satis est, ut velint matrimonium inire et sciant matrimonium esse sacramentum; tunc enim iam facere intendunt quod facit Ecclesia.

ADDIT. **Ecclesia habet potestatem eamque exclusivam in causis matrimonialibus iudicandi et impedimenta dirimentia statuendi.** *De fide.*

Quum *lutherani* sola impedimenta a Levitico statuta rata haberi voluerint, theologi aulici vero iurisdictionem in matrimonialibus etiam principibus vindicarint, *Trid.* (24 c. 12) eos anathematizavit qui dixerint causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos; item Ecclesiam non potuisse statuere impedimenta matrimonium dirimentia vel in iis constituendis errasse (c. 4). Haec potestas Ecclesiae est exclusiva, ita ut nemini alii competat; et est universalis, ita ut nullae sint causae matrimoniales quae non ad tribunal Ecclesiae pertineant.

DEMONSTR. *a)* Est *consecutio* thesium praecedentium : Matrimonium etiam in ordine naturali habet quid sacri et religiosi (Leo XIII) ; atqui ad res religiosas dirigendas unica societas a Christo d. instituta est Ecclesia. *b)* Idem est contractus matrimonialis quod sacramentum matrimonii ; atqui *sacramenta ad Ecclesiam pertinent* idque exclusive. Hinc colligitur competere Ecclesiae potestatem bonis per matrimonium obtinendis ad mentem Christi providere, ergo impedimenta etiam dirimentia statuere, dispensare, sponsalia dirigere (de quibus cf. CIC 1067 ss.). *c) Ecclesiae semper erat persuasum* competere sibi hoc ius. Iam Tertullianus de impedimento cultus disparis loquitur, quod deinde a synodo Eliberitana edictum est ; synodus Neocaesareensis (a. 314) consanguineitatem, Leo M. ordines hierarchicos impedimenta esse edixit.

Sequitur : *principes* habere quidem ius in sequelas civiles matrimonii, puta circa dotem, communionem bonorum, relationes sociales etc., non autem in essentiam contractus matrimonialis : non eis competit potestas statuendi impedimenta dirimentia, inducendi matrimonium civile. Utrum principes possint pro infidelibus impedimenta dirimentia statuere, disputatur : Perrone, Feije, Pesch etc. negant aliis cum Sanchez, Palmieri etc. probabilius id affirmantibus. — *Nota bene :* Quum Ecclesia impedimenta dirimentia statuit, non vindicat sibi potestatem in essentiam sacramenti, sed pro munere suo pastorali a Christo d. comisso ad bonum animarum procurandum conditiones quasdam externas praescribit pactionis matrimonialis, quin essentiam ipsam sacramenti tangat.

3. Materia et forma. — THES. **Signum sacramentale matrimonii sunt actus, quibus nupturientes contractum matrimonialem ineunt.** *Certum.* — DEMONSTR. Thesis est immediata consecutio praecedentium. *a)* Quum *essentia sacramenti* idem sit cum contractu maritali, signum sacramentale quoque in contrahentium actibus est quaerendum, eo magis quia ipsi sunt ministri sacramenti. Iam vel ideo falsa est opinio M. Cani contractum esse materiam, benedictionem sacerdotis formam ; praeterea benedictio sacerdotis antiquitus saepe desiderabatur, et a Tridentino arbitrio episcoporum eius forma est relicta. *b) Signum* est id, quo gratia quam sacramentum continet, significatur ; atqui ipsa pactione nupturientium (utique non ex rei natura, sed ex institutione Dei : Gen 2) unio mystica Christi cum Ecclesia significatur, ut apparet ex Eph 5.

QUAEST. *In quonam accurate momento materia et forma matrimonii est ponenda?* — Indicationibus apostoli necnon dignitati matrimonii maxime convenit sententia hodie longe communior : materia est traditio mutua atque individua ad maritalem vitae communionem ; forma vero est traditionis illius acceptio mutua. Non est ergo tenenda opinio Vasquesii corpora nupturientium esse materiam. Quae sunt utique materia circa quam ; matrimonium enim est contractus ; atqui in essentiam (materiam et formam contractuum) obiectum contractus non ingreditur. Neque vera est sententia multorum antiquorum scholasticorum et canonistarum copulam esse formam ; etenim consensus, non copula facit nuptias.

COROLL. 1. *Matrimonium validum infidelium per conversionem utriusque coniugis fit sacramentum.* Est hodie sententia communior et probabilior. Etenim *a)* alioqui fieri posset, ut existat inter christianos matrimonium validum quod non est sacramentum ; quod autem graviter

repugnat. *b)* S. Paulus de ipso vinculo matrimoniali fidelium, quod ex matrimoniis iudaeis ortum est, docet esse signum efficax unionis mysticae Christi cum Ecclesia. Non commendatur ergo sententia Vasquesii et quorundam thomistarum (Salmant., Billuart) tale matrimonium nullo modo esse vel fieri sacramentum. Sed neque Bellarmino est accedendum, qui cum Capreolo docet tale matrimonium per renovationem consensus fieri sacramentum. Namque illum consensum renovare physice est impossibile ; etenim matrimonium neobaptizatorum est validum ; ergo nullum habet sensum si dicant : volo inire matrimonium.

2. *Si alter coniugum est fidelis, alter infidelis,* secundum multos recentiores (Hurter, Billot) matrimonium non est sacramentum pro ullo coniugum ; siquidem matrimonium non debet claudicare. At probabilior videtur esse sententia (D. Soto, Perrone, Pesch) matrimonium tunc pro parte fideli esse sacramentum. Etenim quum matrimonium sit res religiosa (Leo XIII), immo sacramentum late sumptum (Suppl. 59, 2), in actu primo est signum efficax gratiarum, quas in actu secundo proferet, si non ponatur obex ; atqui pars fidelis obicem non ponit. Paulus dicit : «Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem ; alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt». Principium appellatum ab adversariis : «matrimonium non debet claudicare», non est metaphysice universale ; saepe evenit, ut susceptio matrimonii alteri coniugum gratiam conferat, alteri non.

4. Necessitas. — THES. 1. **Nulla existit obligatio directa pro singulis ineundi matrimonium.** *Certum.*

DEMONSTR. *a)* Haec obligatio *non potest repeti a lege naturae.* Etenim lege naturae singuli obligantur ad perfectionem individualem consequendam, non autem ad omnia omnino bona communia promovenda, sed tantum ad quaedam magis convenientia. Eo minus, quia etiam caelibatu quis communitati magno usui potest esse. Per accidens fieri potest, ut quis ad matrimonium ineundum directe et in individuo obligetur (sedanda concupiscentia, sustentanda mulier). *b) Non potest repeti a lege positiva.* Etenim illud «Crescite et multiplicamini» est benedictio, et non praeceptum singulis hominibus datum ; licet ex rei natura primis hominibus impositum sit. Matrimonii lex tamen a Deo data est, non quidem individuis sed generi ; et tam altis radicibus in ipsa natura humana figitur ut hinc quidem graviter peccent et periculose a Dei consilio aberrent, qui absque causis gravissimis oneri matrimonii se subtrahunt ; inde vero Deus infallibiliter finem quem matrimonium instituendo prosequitur, assequatur, etiam si principi non tribuatur ius in casu necessitatis compellendi subditos ad matrimonia ineunda, prout perperam Sanchez finxerat.

ADDIT. *Subiectum validitatis* matrimonii est baptizatus ad maritalem vitae communionem aptus, impedimentis dirimentibus non irretitus. Sequitur ex natura sacramenti. — Subiectum *liceitatis* est subiectum validitatis confirmatum, iustificatum, impedimentis impedientibus non irretitum. Est enim sacramentum vivorum, quod ex iustis rationibus Ecclesia vult confirmatis conferre et quibusdam conditionibus bonum animarum spectantibus (impedimentis impedientibus) circumdare.

THES. 2. **Status virginitatis per se statui matrimonii praestantior est.** *De fide* ex Tridentino.

EXPLIC. Status matrimonii non tantum licitus sed in se etiam laudabilis est ; immo qui non ex causis adaequate gravibus matrimonio se subtrahit, graviter etiam peccat. Thesi enuntiatur statum virginitatis seu plenae abstinentiae propter regnum caelorum susceptae praecellere statui maritali. Quod negarunt *Iovinianus*, *Helvidius*, *Bonosus* s. 4. et *novatores* s. 16. Trid. definivit : «*Si qu. d. statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis vel caelibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut caelibatu, quam iungi matrimonio, a. s.*» De statu et non de personis loquitur hoc decretum, enuntians quid uterque status per se ad perfectionem spiritualem valeat ; per accidens enim fieri potest, ut aliquis matrimonium agens sit perfectior quam caelebs.

DEMONSTR. **Scr.** Christus qui exemplo virginitatem commendavit, dicit : «*Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi qui de matris utero sic nati sunt; et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus; et sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum caelorum. Qui potest capere, capiat!*» Mt 19. Est ergo praecellentius quid, si eorum captum qui matrimonii negotia adhuc quaerunt, superat. Idem sentit Apostolus : «*Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit, et qui non iungit, melius facit*». Vidua «*cui vult, nubat, tantum in Domino. Beatius autem erit, si sic permanserit*» 1 Cor 7. Apocalypticus vidit turbam ingentem, qui sequebantur Agnum et cantabant quasi canticum novum : «*hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati*» Ap 14. **Tr.** Ab initio peculiaris *status virginum*, deinde monachorum et monialium in Ecclesia existebat et maximi habebatur ; Patres uti 2 Clementis, Tertullianus, Cyprianus, Methodius, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, peculiaribus scriptis laudes et excellentiam virginitatis celebrant. **R.** *a)* Ratio *theologica:* «Qui sine uxore est, sollicitus est, quae Dei sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est» 1 Cor 7. *b)* Ratio *socialis:* qui matrimonio se abdicarunt, liberius iam ex toto animo bono proximi et muneribus regni Dei se vovere possunt. *c)* Ratio *paedagogica:* Virgines et caelibes exemplo efficaciter tam iis qui rebus adversis a matrimonio arcentur, quam matrimonio iunctis ostendunt concupiscentiam carnis, tot malorum fomitem, minime esse insuperabilem.

COROLL. *Ecclesia latina constitutos in ordinibus maioribus iusta de causa lege gravi ad servandum caelibatum obligat* (Trid. 24 c. 9). Sacerdotes enim caelibes ex toto animo Deo servire possunt ; sanctius sancta tractant; saluti animarum necnon independentiae ecclesiasticae enixius incumbere valent ; pluris aestimantur et maiore fiducia a fidelibus adeuntur. — Attamen *lex caelibatus quoad originem est mere ecclesiastica.* Christus d. consilium dedit, non mandatum. Apostoli tales quoque episcopos consecrarunt, qui uxores duxerant, et eorum quidam et ipsi matrimonio erant iuncti. Paphnutius impedivit, quominus in Nicaeno diaconis caelibatus iniungatur ; et adhuc synodus Ancyrana eis indulsit, ut ante ordinationem ius matrimonii ineundi sibi reservarent. Eliberitanum pro Hispania, Siricius papa pro tota ecclesia latina ordinibus hierarchicis caelibatum universim imposuit, Leo M. etiam subdiaconis. In ecclesia graeca post Iustinianum demum synodus Trullana praxim quae nunc est graecorum sanxit.

5. Effectus sacramenti matrimonii sunt :

1) *Gratia sanctificans.* Colligitur ex eo, quod matrimonium est sacramentum verum et proprium n. Legis, quod ergo gratiam ex opere operato confert. Quae deinde gratia, quum matrimonium non pertineat ad sacramenta mortuorum, per se est gratia secunda (per accidens prima), et ferme omnibus fatentibus reviviscit.

2) *Gratia sacramentalis,* vi cuius nubentes ad munera matrimonii christiani rite obeunda confirmantur. Ergo *a) naturalis eorum amor perficitur* (Trid. 24) secundum illud Domini : «Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in caelis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum» Mt 18 ; *b) fides coniugalis roboratur,* prolium educatio iuvatur, concupiscentia refrenatur.

3) *Unitas firmatur* (Trid. 24), seu vinculum inter coniuges ad unitatem Christi cum Ecclesia efficaciter significandam statuitur. Quum vinculum sit effectus sacramenti, sed simul etiam signum efficax unionis mysticae Christi cum Ecclesia, est res simul et sacramentum ; quod quidam recentiores malunt quasi-characterem vocari. Proprietates vinculi, quae simul sunt proprietates matrimonii christiani, sunt unitas et indissolubilitas.

§ 111. Proprietates matrimonii.

Sunt 1. unitas et 2. indissolubilitas.

1. Unitas. — THES. **Matrimonium christianum essentialiter est unum, ita ut simul inter unum et unam tantum consistere possit.** *De fide.*

EXPLIC. Thesi reicitur polygamia sive sit polyandria, sive polygynia ; eaque simultanea, et nihil de polygamia successiva enuntiatur. Unitas haec a lege divina originem ducit. Etenim contra *novatores* (Luther Philippo Hassiae bigamiam concesserat) Trid. (24 c. 2) definivit : «*Si qu. d. licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, a. s.*»

DEMONSTR. **Ser.** Litteris d. monogamia explicite non enuntiatur, *aequivalenter* tamen multis proponitur : Qui creavit hominem, masculum et feminam creavit eos Gen 1 ; deinde mutuum adiutorium spirituale religiosum et morale, quod Gen 2 indicatur, non est possibile nisi in vera monogamia. Prophetae monogami erant, et tempore Christi monogamia apud iudaeos invaluerat, quam Dominus in doctrina semper subintellegit ; immo cum virum, qui uxorem propriam dimittat et aliam duxerit adulterare dicat, monogamiam indicat ; alioqui qui secundam uxorem ducit, non esset adulter. Item Apostolus ubique monogamiam ponit et commendat : «*Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum habeat*» 1 Cor 7. Quum vero matrimonio efficaciter et realiter unionem mysticam Christi et Ecclesiae significari enuntiet, formaliter implicite unitatem matrimonii essentialem statuit : unus enim Christus uni Ecclesiae est sponsus in aeternum. **Tr.** Patrum doctrina est certa et unanimis (Athenag. Leg. 33, Theoph. III 15 ; Min. Felix 31 ; Clem. Alex. Strom. III 12 ; Tert. Ap. 46 etc), monographiis quoque saepe asserta. **R.** Et considerationibus et experientia firmatur *bona matrimonii* imprimis prolis et fidei, ita ut dignitati coniugum (uxoris

potissimum) efficaciter consulatur, non nisi in monogamia sarta tectaque servari (Gent. IV 78).

COROLL. 1. *Polyandria* utpote bonis omnibus matrimonii contraria penitus repugnat et nunquam non vetita fuit. Gratis etiam multi evolutionistae cum Spencer et Morgan asserunt talem promiscuitatem fuisse statum priscum hominum (cf. Schütz : Házasság cp 2).

2. *Polygynia* fini primario matrimonii non omnino contradicit ; etsi enim tot ferme viri quot feminae nascantur et ideo multiplicationi generis humani modo omnium optimo per monogamiam consultum sit, item prolium educatio quoque securius in monogamia cooperantibus animo concordi parentibus ad perfectum duci possit, non tamen polygamiā penitus frustratur ; immo fides maritalis quoque est quodammodo possibilis. Et ideo potuit Deus illam in V. T. permittere, partim propter duritiem cordis populi illius carnalis, partim quia totum V. T. imperfectius erat quam N. T. Sed quum polygamiā bonum fidei ac sacramenti valde imperfecte adumbrentur, nullus iam ei relinquitur locus in N. T., ita ut secundum communiorem et probabiliorem sententiam monogamia etiam pro iis valeat, qui ex mohammedanismo vel paganismo ad nos veniunt.

3. **Polygamia successiva est licita.** Est *certum* adversus montanistas et novatianos.

DEMONSTR. **Scr.** «*Dico autem non nuptis et viduis : bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego. Quodsi non se continent, nubant; melius est enim nubere quam uri*». «*Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit. Quodsi dormierit vir eius, liberata est: cui vult, nubat; tantum in Domino*» 1 Cor 7. **R.** *Vinculum matrimoniale* hic et nunc subsistens est signum perfectum unionis Christi et Ecclesiae ; si praecesserit aliud vinculum, signum illud erit minus perfectum, attamen non ex visceribus rei, sed ex re illa mere externa. Ex his traditionis variationes intelleguntur : **Tr.** *Ecclesia latina* secundas et ulteriores nuptias nunquam vetuit, etsi propter incontinentiam et fidem coniugalem non penitus servatam minoris eas habuerit (Aug. Bon. vid. 5. 8. 12, 15). *Ecclesia orientalis* severius iudicandum esse in hac materia duxit : Secundum Athenagoram (Leg. 33) secundae nuptiae sunt εὐπρεπὴς μοιχεία ; synodus Laodicensis et Neocaesareensis paenitentias graves secundo nubentibus imposuerunt. Secundum Basilium (Ep. 188, 4) bigamia (utique successiva) est castigata fornicatio, trigamia Ecclesiae inquinamentum ; trigamia et plane tetragamia in Ecclesia graeca inde a saeculo 10. plerumque impedimentum dirimens habebatur.

2. Indissolubilitas. — THES. 1. **Matrimonium ratum christianorum intrinsecus est indissolubile et solum alterius coniugis morte solvitur.** *Fidei proximum.*

EXPLIC. Matrimonium aliud est *ratum* seu valido modo contractum ; aliud ratum et consummatum, ubi ergo finis primarius : generatio prolium iam ad actum perducta est. Thesis de matrimonio rato enuntiata eo magis de consummato valet. *Vinculi solutio* est vel plena : divortium ; vel non plena : separatio a mensa et thoro. Thesis negat possibilitatem solutionis plenae. *Dissolubilitas* et indissolubilitas est interna vel externa, prout in potestate coniugum vel extrinsecus, in aliis sita esse cernitur.

De sola interna indissolubilitate loquitur thesis ; ergo statuit matrimonium non posse ab ipsis coniugibus solvi. Implicite continetur Trid. 24, c. 5. 7.

DEMONSTR. **Scr.** Christus Dominus ab apostolis de libello repudii interrogatus respondit : «*Ab initio autem non fuit sic . . . Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet*» Mt 19 ; «*Quicunque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, moechatur*», ita Mc 10 ; similiter Lc 16. Idem docet Apostolus : «*Iis autem qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat*» 1 Cor 7 ; Rom 7. **Tr.** Testimonium Patrum et praxis Ecclesiae a principio adversus laxismum qui in imperio romano irrepserat, est unanimis et constans (iam Herm. mand. 4, 6 ; Iust. I 15 ; Clem. Al. Strom. II 33, 145 ; Orig. in Mt 14, 24 ; Cypr. Testim. 3, 90).

R. *a) Matrimonium est traditio totius personae* ad intimam vitae communionem ; atqui necessitudines quas personae cum toto animo et corde ingrediuntur, veluti etiam amicitiae, necessitudo discipulorum ad magistros, puerorum ad parentes, per se etiam aetatem personarum complectuntur, seu ad integram vitae aetatem extenduntur. *b) Bonum prolis et fidei* gravissime periclitantur, si coniugibus est potestas vinculum solvendi (Gent. III 123 ; Supl. 67, 2). *c) Foedera ad bonum commune pacta* non possunt a contrahentibus pro arbitrio solvi. Ex quo videtur, quam exitioso effectu a liberalibus et naturalistis nostris matrimonii insolubilitas impugnetur. — Quum eaedem rationes pro omnibus omnino matrimoniis valeant, probabilius adversus Sanchez et Bellarminum docetur matrimonium non modo christianum, sed *quodcunque matrimonium validum ex lege naturae esse intrinsecus insolubile.*

THES. 2. **Matrimonium neque adulterio alterutrius coniugum solvitur.** *Fidei proximum* ex Tridentino adversus graecos.

«*Si qu. d. Ecclesiam errare cum docuit et docet iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem qui causam adulterio non dedit, non posse altero coniuge vivente aliud matrimonium contrahere, moecharique eum qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam quae dimisso adultero alii nupserit: a. s.*» Ita Trid. (24 c. 7), hac forma insolita utens, ne *graeci* contrariam praxim sequentes offenderentur, qui tamen doctrinam latinorum non damnarunt. Thesim negaverunt *novatores.*

Argumentum graecorum est Mt 5 : «*Omnis qui dimiserit uxorem suam excepta fornicatione* παρεκτὸς λόγου πορνείας, *facit eam moechari ; et qui dimissam duxerit, adulterat*»; Mt 19 : «*Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem* μὴ ἐπὶ πορνείᾳ *et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit, moechatur*». Has enuntiationes inde a saeculo 4. graeci, quidam latini (Tertull. et Lactant.), postea novatores ita interpretantur, ut illis solutio vinculi interna ob adulterium permittatur. At patres graeci trium priorum saeculorum aliter sentiebant ; adhuc Basilius et Chrysostomus ancipites haeserunt ; ulteriores probabilter ad legem Iustiniani de repudiis sententiam suam formarunt. Omnes deinde latini, synodi (Eliberitana, Arelatensis) negarunt istis verbis solubilitatem vinculi enuntiari. Idque recte omnino : Christus Dominus ipse apud Mt

19 immediate ante verba a graecis appellata edixerat : «Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet» ; item locis parallelis supra allegatis Mc 10 et Lc 16 *absolutam indissolubilitatem matrimonii* statuit. In utraque enuntiatione Mt 5 et 19 membrum secundum absque exceptione ponitur : qui dimissam duxerit, moechatur ; quo si adultera quoque continetur, vinculi insolubilitas edicitur ; sin minus, statuitur adulteram melioris esse conditionis : potest post dimissionem nubere ; quod est absurdum.

Istis verbis ergo Christus d. fors *separationem a thoro et mensa* enuntiare vult ; quod multi, etiam catholici nostri plerique tenent, minus tamen probabiliter. Multae enim sunt etiam aliae causae separationis ex Trid. 24, c. 8 ; neque est verisimile tales casus a Christo in sermone montano decidi ; eo minus quod separatio a thoro et mensa auditoribus penitus erat ignota ; ergo tantum solutionem vinculi poterant intellegere. Multis recentioribus ille λόγος πορνείας est עֶרְוַת דָּבָר seu *res turpis*, quam tempore Christi rabbini (et Hillel et Shammaj) unicam causam libelli repudii dandi admittebant ; et Christus d. edicit ne ob hanc quidem causam matrimonium posse solvi, ita ut παρεκτὸς λόγου π. = remota etiam turpitudine ; εἰ μὴ ἐπὶ π. vero = neque in casu turpitudinis sit.

THES. 3. **Matrimonium intrinsecus insolubile extrinsecus non est absolute indissolubile.** *Certum.*

Etenim vinculo matrimonii homo homini cuidam obligatur, ad eum utique finem, ut ordini a Deo statuto serviat. At quivis homo fortius ad Deum ipsum religatur ; et ita fieri potest, ut vinculum matrimonii per forum a Deo plena auctoritate institutum id exigente isto vinculo fortiore quo quivis Deo immediate obligatur, solvi possit. De qua materia haec statuuntur:

1. *Matrimonium ratum consummatum etiam extrinsecus est indissolubile.* Quamvis enim consummatio non sit de essentia matrimonii, tamen spes prolis et obligatio eum educandi, praeterea damnum uxoris iam irreparabile (ademptio virginitatis) ita vinculum perficiunt, ut sit etiam extrinsecus penitus insolubile.

2. Potest ex iustis causis coram Ecclesia fieri *separatio a thoro et mensa;* non enim est solutio vinculi.

3. Potuit ex iustis causis in V. T. (Supl. 67, 3) et fors apud graecos *ex adulterio solvi vinculum;* quod fit ex conceptu minus sublimi matrimonii.

4. Ecclesia ad fidei integritatem et libertatem salvandam, ad perfectionem evangelicam tuendam, ad animarum salutem procurandam habet potestatem solvendi vinculum matrimonii rati non consummati.

a) Legitimum inter non baptizatos matrimonium ex iudicio s. Sedis in favorem fidei solvitur, *si coniux non baptizatus non vult cum converso pacifice cohabitare* sine contumelia Creatoris. Haec persuasio et constans praxis Ecclesiae (de cuius conditionibus cf. CIC 1120 ss.) illo effato s. Pauli innititur : «Iis qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere . . . Nam ceteris ego dico non Dominus : si quis frater uxorem habet infidelem et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum . . . *Quodsi infidelis discedit, discedat: non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi; in pace autem vocavit nos Deus*» 1 Cor 7. Quod ideo *privilegium Paulinum* in favorem fidei vocatur.

b) Matrimonium ratum non consummatum solvitur votis sollemnibus

alterius partis. Ita Trid. (24 c. 6). Et revera qui voto sollemni Deo se tradit, vinculo firmiore immediate ipsi Deo obstringitur, quam erat vinculum matrimonii quo soli homini, quem absque eius damno irreparabili relinquit, erat obligatus (Supl. 61, 2 ; 53, 2). Ita Ecclesia iam diu sensit, ut Beda Venerabilis de regina Edilthryda fert ; Patres quoque laudibus celebrant Theclam, Alexium ita facientes ; quae etsi facta non sint, mentem Patrum tamen manifestant (Aug. Conf. VIII 6 ; Greg. M. Dial. III 14). Utrum Ecclesia potestatem hanc *iure divino vel ecclesiastico vel vero naturali* exerceat, disputatur. Certum autem est illud in potestate ministeriali clavium a Deo accepta contineri et eiusdem esse tenoris atque ius Ecclesiae in vota et iuramenta.

c) Romani Pontifices inde a Martino V. etiam aliis *ex gravibus causis ad salutem animarum tuendam matrimonia rata non consummata solvunt.* Etenim vinculum, ut exploratum est, non est insolubile absolute etiam extrinsecus ; parti alteri nullum damnum irreparabile ex solutione emergit, et salus animae cuiuspiam videtur esse causa adaequate gravis, ut Ecclesia hac in re potestate clavium utatur.

TRACTATUS OCTAVUS ESCHATOLOGIA.

Disseritur 1. de eventibus, 2. de statibus novissimis.

Tractatus de eschatologia. *Dionysius Carthusianus:* De quattuor hominis novissimis ; J. *Keel:* Das jenseitige Leben 3 vol. 1868 s.; J. H. *Oswald:* Eschatologie [5]1893 ; D. *Palmieri:* De novissimis 1908 ; L. *Billot:* Quaestiones de novissimis [3]1908 ; J. *Zahn:* Das Jenseits [2]1920 ; W. *Schneider:* Das andere Leben [14]1919 ; *Schütz* A.: Az örökkévalóság 1936. — L. *Atzberger:* Die christliche Eschatologie in den Stadien ihrer Offenbarung im A. und N. T. 1890 ; Geschichte der chr. Esch. innerhalb der vornizäischen Zeit 1896 ; F. *Nötscher:* Altorientalischer und alttestamentlicher Auferstehungsglaube 1926 ; G. *Joannés:* La vie de l'au-delá dans la vision béatifique [2]1928.

Caput 1. De eventibus novissimis.

Sunt 1. finis vitae terrestris singulorum, 2. resurrectio, 3. finis saeculi.

§ 112. Finis vitae terrestris singulorum.

Statuuntur 1. mors, 2. iudicium particulare.

1. Mors. — THES. 1. **Mors est universalis.** *De fide* ex Trid. 5 c. 2.

EXPLIC. Mors est finis vitae, seu mutatio essentialis in composito humano finem imponens vitae huic peregrinae. Consuetudine biblica praeterea etiam peccatum grave dicitur *mors (spiritualis)*, deinde damnatio aeterna *(mors secunda;* Ap 21 ; Aug. Iulian. IV 31).

DEMONSTR. **Scr.** Est constans doctrina V. T. saepe cum dolore quodam prolata : «*Quis est homo qui vivet et non videbit mortem?*» Ps 88. «*Statutum est hominibus semel mori*» Heb 9. Quod deinde statutum ipse Christus d. quoque implevit, et mater pia Filii vestigiis inhaesit. **Tr.** Haec persuasio est fons *curae universalis Ecclesiae pro mortuis gerendae*, de qua Augustinus librum scripsit, quamque liturgiae pro defunctis multum eloquuntur. **R.** *Biologia* omnes demum organismos post aliquod tempus ex lege immanenti solvi vult, etsi intimam huius experientiae rationem non penitus perspiciat.

DIFF. *Henoch et Elias* Gen 5 et 4 Reg 2 forsitan vivi sunt translati. Idem de *coaevis parusiae* Domini Paulus docere videtur : «Nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra» 1 Thes 4. — RESP. *a)* Mortis essentiale est, ut terminum ponat vitae huic terrestri ; quod forsitan immutatione aequivalenti fieri potest, ut insinuat Apostolus : «Non omnes moriemur, omnes vero immutabimur» (1 Cor 15 graec.). *b)* Qui nondum sunt mortui, possunt adhuc mortem obire, quod de Henoch et Elia in secundo Domini adventu fieri Patres universim docent, et de coaevis parusiae Christi quoque Augustinus (Civ. XX 20, 2) et Thomas (Supl. 78, 2) opinantur.

THES. 2. **Mors in hoc salutis ordine est paena peccati.** *De fide.* Probatum est ubi de lapsu et de peccato originali agebatur (§ 49. 50).

THES. 3. **Morte tempori merendi demerendique finis imponitur.** *Fidei proximum.*

EXPLIC. Thesi enuntiatur per mortem finem constitui huic statui viatorum, ita ut post mortem homini nullus iam relinquatur locus menti mutandae quoad finem ultimum. Contrarium asserunt *metempsychosis* (palingenesis, reincarnationis) assertores, *origenistae* apocatastasim omnium fore fingentes, quos concilium Constant. a. 543 et oecumenica VI., VII., VIII. damnarunt.

DEMONSTR. **Scr.** E doctrina V. T. incolae šeol, *refaim*, quod languentes, prostratos dicit, omni iam vi novae vitae incipiendae destituti in aeternum ibi manent ; nec impii iam adversus Deum invalere queunt. *Christus* d. in sermone montano Mt 5 docet : qui nunc lugent tunc consolabuntur, idque definitive, absque immutatione possibili illius status. E parabola de divite et Lazaro apparet mortuos, etsi vellent, iam non posse mutare sortem. Christus d. de sua ipsius vita terrestri dicit : «*Me oportet operari opera eius qui misit me donec dies est; venit nox, quando nemo potest operari*» Jn 9. Et idem suadent apostoli : «*Nolite errare: Deus non irridetur. Quae enim seminaverit homo, haec et metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam . . . Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei*» Gal 6.

Tr. Omnes Patres, si excipiantur origenistae, veritatem thesi nostra propositam profitentur (ita iam 2 Clementis 8, 2 ; Cypr. Ep. 25 ; cf. Aug. Civ. XXI 24 ; Enchir. 110). Idem *praxis Ecclesiae* ac lex orandi protestantur : tam martyres quam alii fideles defuncti, qui orationibus sunt iuvandi, non ut convertantur, sed ut in pace Dei vivant, tales habentur qui iam metam contigerint. Si ergo *orationes liturgicae* quandoque ita loquuntur, quasi animae possint ex inferno erui : «Ne tradas bestiis animas eorum», «A porta inferi erue Domine animam eius», est probabiliter continuatio liturgica commendationis animae, quae Ecclesiam quasi in instanti mortis istius animae orantem inducit.

R. *a)* Sive metempsychosis sive apocatastasis gratis omnino asseritur, immo contradicente *conscientia* psychica, quae nihil de quavis vita anteacta nobis prodit. *b) Discrimen essentiale inter bonum et malum* morale exigit, ut semel anima sive ad bonum sive ad malum definitive se determinet ; alioqui si sine fine status boni et mali se excipiant, discrimen illud fundamentale evanescit. Atqui convenit ut in hac vita se homo determinet, ubi integrum est principium merendi, animae videlicet et corporis unitas ; eo magis quia Christus d. hanc vitam incarnatione sanctificavit, non vero alios status nescio quales. *c)* Si non haec vita est tempus quo omnibus fluctuationibus inter Deum et Dei negationem finis imponitur, tunc latissima porta patebit laxismo, et *vita haec humana lusui exponitur.*

2. Iudicium particulare. — THES. 1. **Statim post mortem singuli iudicio definitivo iudicantur.** *Fidei proximum* ex Lugd. II.

Adversantur *nestoriani, schismatici et lutherani* asserentes animas multorum usque ad iudicium universale in dubio de sua sorte manere.

DEMONSTR. **Scr.** «*Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas*» Sir 11. «*Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum*» 2 Cor 5, quod ex contextu ad utrumque iudicium tam universale quam particulare est referendum. Item illud : «*Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium*» Heb 9. **Tr.** Patres plerique thesim nostram implicite cum sequenti proponunt ; at Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus (An. orig. II 4, 8) multa etiam explicite proferunt. **R.** *a)* Homo est ens sociale, et ut tale iudicandus est iudicio universali ; sed est etiam *individuum*, et ut tale iudicandus est in particulari. *b)* Ante mortem status hominis non est definitus ; post mortem ita ; necesse ergo est ut fiat *transitus* inter utrumque, quod fit per iudicium particulare.

De modo iudicii particularis revelatio tacet. Ad exemplar iudicii universalis iudex certo est ipse Christus Dominus; obiectum sunt omnes et singuli actus, etiam occulta cordis quae omnia cum donis et naturalibus et supernaturalibus acceptis conferuntur ; modus indicatur per Apostolum : «testimonium reddente illis conscientia ipsorum et inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus in die cum iudicabit Deus occulta hominum» Rom 2 (cf. Aug. Civ. XX 14 ; 2II 67, 3 ad 1).

THES. 2. **Iudicium statim post sententiam latam ad effectum perducitur.** *De fide.*

Adversantur *hypnopsychitae, thnetopsychitae, metempsychitae, chiliastae.* Thesis ab Ecclesia sollemniter definita est in Lugdunensi II. Leo XIII. doctrinam hypnopsychitam Rosmini damnavit *(D* 1913).

DEMONSTR. **Scr.** *Lazarus* et *latro* post exitum protinus in Paradisum cum Abraha vehuntur ; *Iudas* statim post mortem locum suum occupat Act 1. Paulus generatim enuntiat : «*Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino; (per fidem enim ambulamus et non per speciem). Audemus autem et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore et praesentes esse ad Dominum*» 2 Cor 5.

Tr. Traditionis consensum ad breve tempus chiliasmus et psychologia stoicorum obfuscavit. Patres omnes docent peccatores *obstinatos* statim ad infernum damnari, atque *martyres* continuo ad visionem Dei trahi. Quoad *iustos* plures, uti Iustinus, Irenaeus, Hilarius, Ambrosius, putant eorum beatitudinem plenam usque ad iudicium ultimum suspendi ; Augustinus anceps haeret (Serm. 280, 5 ; at illud asserit in Jn 124, 5-7) ; Cyprianus, graeci saeculi 4., Gregorius M. diserte thesim propugnant. Consensus deinde scholasticorum est unanimis. Saeculo 14. *Ioannes XXII.* cum fratribus spiritualibus «non definiendo sed disputando» docuit iustos ante iudicium ultimum visione Christi hominis duntaxat frui. Supremum diem obiens tamen hanc suam sententiam correxit. **R.** Nulla potest assignari ratio, cur Deus paenas peccatorum et praemium iustorum differat, quum anima statim post mortem alterutrius capax sit. Potest etenim anima corpore destituta actiones (mere spirituales) edere, quamvis psychologiae animarum separatarum prorsus ignari simus.

§ 113. Resurrectio.

Statuuntur 1 factum, 2. proprietates corporum resurgentium.

1. Factum. — THES. **In secundo Christi adventu omnes mortui cum corporibus propriis resurgent.** *De fide* ex Apostolico.

EXPLIC. *Resurrectio* est reanimatio corporis eiusque transformatio statui finali conveniens per reunionem cum anima. «Propria fides est christianorum resurrectio mortuorum» ; sed simul «in nulla re sic contradicitur fidei christianae, sicut in resurrectione carnis» (Aug. in Ps 88, 2). Inde a sadducaeis omnes *materialistae* negantes immortalitatem et vitam aeternam, deinde a gnosticis omnes *rationalistae* et spiritualistae resurrectionem carnis contemnunt.

DEMONSTR. **Scr.** Quoad *libros historicos protocanonicos* V. T. Christus d. sadducaeis dicit : «*Erratis nescientes Scripturas neque virtutem Dei . . . In resurrectione enim neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in caelo. De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Iacob. Non est Deus mortuorum, sed viventium*» Mt 22.

Adversus cuius effati lumen si conspiciantur facta quibus immortalitatis doctrina protocanonicorum V. T. probatur (§ 47, 2), apparet implicite a principio proponi doctrinam resurrectionis, quam deinde prophetae et sapientiales explicite quoque proponunt : etiam mortui participes reddentur bonorum messianorum Is 26.38 etc. Ez 37 de campo ossibus consperso vaticinans resurrectionem ponit. Quoad ilud Iobi: «*Scio enim quod redemptor meus vivit et in novissimo die de terra surrecturus sum ; et rursum circumdabor pelle mea et in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt et non alius. Reposita est haec spes mea in sinu meo*» (Iob 19) textus: hebraeus non est adeo clarus. et contextus non favet interpretationi quam Vulgata subicit ; tamen eam neque excludit, quae deinde suffragio plurimorum Patrum fulcitur. Certe non huic unico loco fides resurrectionis V. T., eo minus totius Scripturae innititur.

Christus d. apud synopticos resurrectionis veritatem multis adversus sadducaeos defendit, mortuos resuscitat, et ipse quoque resurrexit. Apud Ioannem dicit : «*Venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii*» Jn 5. *Paulus* multis doctrinam resurrectionis illustrat, imprimis haec docendo : *a)* Resurrectio Christi est factum princeps oeconomiae divinae, quod *b)* est fundamentum nostrae resurrectionis futurae ; Christus enim est caput nostrum, cui conformabimur in passionibus et in glorificatione ; imprimis 1 Cor 15 de resurrectione abunde explicat. — His autem resurrectio universalis et bonorum et malorum docetur. Licet Paulus utpote fideles in spem vitae venturae erigens de iustorum resurrectione ad gloriam utplurimum loquatur, tamen dicit : «*Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum* 2 Cor 5. Solum forsitan Ap 20 videtur geminam resurrectionem iustorum prius et postea universalem futuram docere (de quo cf. § 115, 1).

Tr. Non modo omnia symbola et professiones fidei, sed etiam Patres doctrinam resurrectionis profitentur, quam apologetae adversus paganos

defendunt, et monographiis undique illustrant ; egregie de ea disserit *Athenagoras* primam e christianis monographiam De resurrectione scribens ; deinde Iustinus, Theophilus, Clemens Al., *Tertullianus*, *Origenes* (origenistae tamen minus recte circa modum sentiunt), *Nyssenus*, Basilius etc.

R. Rationis naturalis lumine resurrectio utpote factum supernaturale non potest demonstrari ; utique autem rationibus convenientiae gravissimis confirmatur. 1) *Rationes theologicae: a)* naturalis : idea theologica hominis prout ex Gen 1 et 2 eruitur, est unio substantialis animae et corporis ; quae deficeret, si corpus cum anima sua non denuo uniretur ; *b)* supernaturalis : homo ut membrum debet conformari capiti Christo resurgenti et ut templum Spiritus s. decet eum reaedificari. 2) Rationes *anthropologicae: a)* anima humana est forma essentialiter ad corpus informandum condita ; et ab hac sua destinatione essentiali absque resurrectione carnis in aeternum deficeret ; *b)* homo bona et mala in corpore gessit ; convenit ergo iustitiae et aequitati, ut in corpore quoque retributionem referat. 3) Rationes *cosmologicae : a)* hominis utpote compositi ex spiritu et materia est plenam victoriam ex materia consequi ; at sine resurrectione spiritus humanus a materia eiusque lege praecipua, a morte vinceretur ; *b)* sola resurrectio carnis est pignus efficax hunc mundum materialem eiusque categorias non esse caducas sed pretium perpetuum habere. Omnes hae rationes pro bonis simul et malis valent.

2. Proprietates. — THES. 1. **Corpus resurgens est numerice et individualiter idem atque corpus mortale.** *De fide.*

Adversantur *priscillianistae, origenistae et spiritistae,* qui novum corpus aethericum animis affingunt, et metempsychitae, qui nova corpora assumenda esse dictitant. Secundum Lateran. IV. «*omnes suis propriis resurgent corporibus quae nunc gestant, ut recipiant secundum opera sua, sive bona fuerint sive mala*».

DEMONSTR. **Scr.** «*Oportet enim corruptibile ‚hoc' induere incorruptionem*» 1 Cor 15. Ceterum Scriptura thesim iam vel eo profitetur quod de resurrectione loquitur : «Non enim resurrectio dici potest, nisi anima ad idem corpus redeat, quia resurrectio est iterata surrectio. Eiusdem autem est surgere et cadere» (Supl. 79, 1). **Tr.** Patres thesim adversus origenistas strenue defendebant, imprimis Methodius, Epiphanius, Nyssenus, Hieronymus ; sed etiam rationes reddebant : **R.** *a) Christus* reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae. Phil 3. Atqui Christus proprio corpore resurrexit ; ergo. *b)* Hoc corpus mortale erat *templum Spiritus s.* et nutritum «pharmaco immortalitatis». *c) Bona et mala* homo in et cum hoc corpore gessit ; ergo iustum est ut prout gessit bonum vel malum, in corpore quoque recipiat.

QUAEST. *Quid requiritur ad identitatem corporis gloriosi cum corpore mortali terrestri constituendam?*

1) *Qualitative* certo identitas non requiritur solum specifica, sed etiam individua : figurae quum externae tum internae ; alioqui enim nullo pacto esset idem corpus. Ideo falsa est doctrina origenistarum organa cessatura et corpora sphaerica fore. — *Sequitur: a)* Corpus immortale quoque erit organismo utens, quamvis ignotum sit, quomodo ista organa fungantur. Certum tamen est arceri omnes tales functiones quae statui finali repugnant : «Esca ventri, et venter escis ; Deus autem et hunc et has destruet» 1 Cor 6 ; et : «In resurrectione neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in caelo» Mt 22 (cf. Supl. 84, Gent. IV 83). *b)* Fun-

damento caret opinio quorundam antiquiorum discrimina generum et aetatum in altera vita tolli (e mente Augustini omnes fere triginta annorum forent); vix enim in illa opinione identitas qualitative vera corporum resurgentium cum mortalibus salvaretur.

2) *Quantitative* ex opinione Durandi, cui quidam recentiores assentiuntur (Lacordaire, Schell, Billot), ad identitatem corporis salvandam satis est identitas animae tamquam principii informantis ac individuantis. At haec sententia, etsi sit tolerata, forsitan non satisfacit dogmati de identitate corporis resurgentis. Communior tenet sententia praeter identitatem principii informantis ac individuantis requiri identitatem quandam materiae, cuius quantitas ex mente Thomae (Gent. IV 81, 4) potest esse minima : tanta quanta ad primam organismi formationem erat necessaria. Quod si diligenter consideretur, evanescit trita *difficultas:* quomodo Deus colligat *partes corporum quae in fluxu rerum* diversissimis obvenerant entibus ; et cuius futura sint, quae labente tempore diversorum hominum corpora ingressa erant? Etenim certe non erit difficilius Deo colligere et resuscitare ea quae sunt, quam erat ex nihilo creare ea quae non fuerant ; et quum minima pars materiae propriae sufficiat ad identitatem quantitativam corporis resurgentis servandam, non erit difficile illam ei tribuere, cui vel primo obtigerat vel principalior erat pars.

THES. 2. **Corpora glorificatorum quoad modum essendi perfectionem spirituum induent.** *Certum* est ex doctrina s. Pauli :

«Sed dicet aliquis : Quomodo resurgunt mortui? qualive corpore venient? Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur. Et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, ut puta, tritici aut alicuius ceterorum. Deus autem dat illi corpus sicut vult, et unicuique semini proprium corpus . . . sic et resurrectio mortuorum. *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale*» 1 Cor 15. Ex quo *quattuor* sunt corporis glorificati *proprietates:*

1. *Incorruptio,* ἀφθαρσία, seu impassibilitas, prout etiam Ioannes habet : «*Et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt*» Ap 21. Quum etiam damnatorum corpora sint incorruptibilia, debet haec esse peculiare donum immunitatis contra tales passiones, quibus corpus solveretur.

2. *Claritas,* δόξα, prout alibi dicit Apostolus : «*Reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae*» Phil 3 ; et Dominus : «*Tunc fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum*» Mt 13. Praefigurabatur splendore Moysis, transfiguratione Domini in monte.

3. *Agilitas,* δύναμις : «*Fulgebunt iusti et tamquam scintillae in arundineto discurrent*» Sap 3. Ergo sancti in caelo minime immobiles manent ; si enim accipiunt agilitatem, tunc etiam activitatem.

4. *Spiritalitas,* σῶμα πνευματικόν, quae est imprimis subtilitas seu virtus penetrandi quaecunque solida, quali Christus post resurrectionem ianuas clausas penetrans utebatur. Non tamen est conversio corporis in substantiam spiritualem. Tota enim haec glorificatio ad mentem d. Thomae ita concipi potest, quod anima glorificata intime pervadit corpus, illudque perfectissime sibi subicit eique suam indolem modumque essendi imponit (Supl. 85, 1 ; 86, 1 ; Gent. IV 84. 85, 1).

Quoad *corpora damnatorum* certum est, etiam ea immortalia fore : «*In diebus illis quaerent homines mortem et non invenient eam, et desiderabunt*

mori et fugiet mors ab eis» Ap 9. De cetero autem nihil constat, nisi quod ad analogiam corporum glorificatorum corpora damnatorum quoque statui suo convenienter sint instruenda, ita ut instrumenta apta iustitiae divinae subeundae efficiantur (Supl. 89, 2. 3 ; Gent. IV 89).

§ 114. Finis saeculi.

Statuuntur 1. secundus Christi adventus, 2. iudicium universale, 3. finis huius mundi.

1. Parusia. — THES. **Christus in fine temporum gloriosus apparebit ad mundum iudicandum.** *De fide* iam ex Apostolico : «iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos».

DEMONSTR. **Scr.** V. T. eo quod diligenter distinguat inter Messiam patientem et triumphantem, satis secundum Christi adventum gloriosum indicat. Explicite Christus hoc enuntiat, ubi primum de passione sua loquitur : «*Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera sua*» Mt 16 ; et persaepe, ita ut orandum sit etiam fidelibus «*Adveniat regnum tuum*». Apostoli quoque adventum Domini (epiphania, apocalypsis, parusia) tamquam articulum fundamentalem praedicationis evangelicae proponunt, ex asse 1 Thes 5 et 2 Pet 3. Quae fides eis est fons spei et consolationis et desiderii ardentissimi : «*Maranatha*» 1 Cor 16 ; Ἐλθέτω χάρις καὶ παρελέτω ὁ κόσμος οὗτος! Did. 10. **Tr.** Patres imprimis quum istos Scripturae locos interpretantur, suam fidem manifestant, quam Ecclesia symbolo Apostolico iam a principio inseruerat. **R.** Conveniens est, ut Christus qui homo *opus redemptionis* perfecit, homo veniat colligere eius fructus, et qui *in humilitate* fundamenta salutis posuerat, in gloria omnia consummaret.

Signa adventus *secundi Christi.* — Dicente Christo velut fur venit dies Domini Mc 13, sicut diluvium in diebus Noe Mt 24, et sicut pluvia ignis et sulfuris super Sodoma Lc 17. Nihilominus apparitio eius erit sicut fulgur illucescens ab oriente usque ad occidentem Mt 24 ; cuius propinquitatem colligere licebit sicut ex ficu gemmascenti propinquitatem aestatis Mc 13, ex caelo vespere rubicundo tempus crastinum serenum Mt 16. Signa adventui Domini praeludentia *septem* enumerantur :

1. «*Praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio*» Mt 24. Ita iam benedictio Noae et Abrahae data ; hoc exspectat spes prophetarum et psalmistae ; imprimis Is 2, Mich 4, Ez 16 ; Ps 2.71 etc. Non tamen sequitur omnia individua aliquando converti : «omnes gentes promissae sunt, non omnes homines omnium gentium» (Aug. Ep. 199).

2. *Conversio Israel* ut gentis : «*Non me videbitis amodo, donec dicatis: benedictus, qui venit in nomine Domini*» Lc 21 ; imprimis Rom 11 : «*Nolo vos ignorare fratres mysterium hoc: quia caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret et sic totus Israel salvus fieret*».

3. *Reditus Eliae:* «*Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magna et terribilis*» Mal 4. Patres deinde duos testes Ap 11 ita interpretantur, ut Eliam ante adventum Domini israelitis, Henoch (cf. Sir 44, 16 hebr.) gentibus praedicaturum expectarent. Christus

d. ita loquitur, quasi Elias iam advenerit in persona Ioannis Baptistae : «*Sed dico vobis, quia et Elias venit (et fecerunt illi quaecunque voluerunt), sicut scriptum est de eo*» Mc 9.

4. *Magna apostasia:* «*Verumtamen filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra?*» Lc 18.

5. *Antichristus:* «*Filioli, novissima hora est, et sicut audistis, quia Antichristus venit. Et nunc antichristi multi facti sunt, unde scimus quia novissima hora est*» 1 Jn 2. Imprimis Paulus 2 Thes 2 : «Nequis vos seducat ullo modo : quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tamquam sit Deus . . . Mysterium iam operatur iniquitatis . . . quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui et destruet illustratione adventus sui eum ; cuius est adventus secundum operationem satanae in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus et in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt». Ergo Antichristus est et singularis persona, et complexio quaedam potestatum infernalium saevientium in Christum regnumque eius (III 8, 8.

6. *Aerumnae:* «*Audituri enim estis praelia et opiniones praeliorum. Videte ne turbemini. Oportet enim haec fieri, sed nondum est finis. Consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum, et erunt pestilentiae et fames et terraemotus per loca. Haec autem omnia initia sunt dolorum*» Mt 24.

7. *Incendium mundi* (de quo infra n. 3).

QUAEST. *De tempore secundi adventus Christi* minime constat. Ipse Dominus dicit apostolis : «*De die autem illa vel hora nemo scit neque angeli in caelo neque Filius, nisi Pater*» Mc 13. «*Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae posuit Pater in sua potestate*» Act 1. Nullo pacto ergo docuit Dominus proxime diem illum instare ; iam vel ideo, quia Ecclesiam fundavit, nonnulla talia exhibuit adventus signa (cf. signum 1. et 2.), quae post longum demum tempus ad effectum perducenda erunt. Ad difficultates solvendas cf. § 12, 1. — *Neque apostoli circa tempus adventus secundi errarunt:* Ex admonitione Domini semper fideles paratos esse debere, exspectabant et etiam sperabant proxime instare diem Domini et triumphum evangelii ; at id neque certo sciebant, neque pro certo docebant ; immo perinde ac ipse Dominus de eius adventu loquuntur : «*Dies Domini sicut fur in nocte ita veniet*» 1 Thes 5 ; cf. 2 Pet 3. Si Paulus dicit : «*Nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra*», vel loquitur «ex eorum persona, qui tunc vivi reperiantur» (Aug. Civ. XX 20) ; vel ad mentem Thessalonicensium, anxiorum de eorum sorte quos secundus Christi adventus vivos inveniet : non erit eorum peior sors quam nobis, sed omnes simul Christo d. obviam erimus.

ADDIT. **Chiliasmus.** — *Iudaei* qui tempore Christi d. vivebant, plerique opinabantur se ducente Messia regnum mundanum fundaturos, super omnes inimicos et oppressores regnaturos et crudelem ultionem sumpturos, atque fore ut omnibus bonis temporalibus abundarent. Quae quidem somnia a Christo d. haud ambigue reiciuntur : «*Non venit regnum Dei cum observatione neque dicent: ecce hic aut ecce illic ; ecce enim regnum Dei intra vos est*» Lc 17 ; item : «*Regnum meum non est de hoc mundo*» Jn 18.

Inter christianos vero geminus invaluit chiliasmus : *Haereticus* qui somniabat post secundum Christi adventum iustos cum Christo non tantum mille annos super iniustos regnaturos et vindictam sumpturos esse, sed etiam gaudiis sensualibus affluere. Ita ebionitae et imprimis Cerinthus, de quo Eusebius (H. E. III 28. 29) recte monet : «Quarum rerum cupiditate ipse flagrabat utpote voluptatibus corporis obnoxius carnique addictus, in eis regnum Dei situm fore somniavit». Hic chiliasmus crassus ut antinomismus et materialismus practicus graviter offendit in Deum sanctissimum

et Christum eius : «Nolite errare ; iniqui regnum Dei non possidebunt» 1 Cor 6. — Alius est chiliasmus *mitior* eorum qui solum regnum beatum millenare iustorum cum Christo rege voluptatibus peccaminosis exclusis exspectabant. Cuius opinionis *fautores* fuerunt e graecis Papias, Iustinus, Irenaeus, Methodius, Nepos Arsinoensis in Aegypto ; e latinis Tertullianus montanista, Commodianus, Victorinus Petavionensis, Lactantius, seu ne unus quidem ex magnis et veris Patribus.

Etsi millenarismus spiritualis ab Ecclesia formaliter nunquam sit damnatus, a magnis Patribus tamen alacriter impugnatur (Dionysius Alex., praesertim Hieron., August., Gelasius papa) et *teneri nequit: a)* A Christo Domino et apostolis resurrectio et iudicium ultimum semper ita coniunguntur, ut nullus locus mille annis pro regno terreno statuendo relinquatur. Unicus locus quem chiliastae iure appellare videntur, est *Ap 20*, ubi propheta vidit angelum clave abyssi et catena magna praeditum, qui apprehendit draconem, serpentem magnum qui est diabolus et satanas, et ligat eum per annos mille, ut gentes non possit amplius seducere. Et qui decollati fuerant propter testimonium Iesu et qui non adoraverant bestiam, resurrexerunt, «et regnaverunt cum Christo mille annis». Ceteri mortuorum non vivunt, donec consummentur mille anni. Haex est resurrectio prima. Post mille annos satanas liberatus seducit gentes, praelio vincitur et in ignem mittitur, et sequitur resurrectio omnium et mors secunda peccatorum. Hunc locum recentiores cum Augustino (Civ. XX 7) plerumque hunc in modum accipiunt, ut resurrectio prima sit vita iustificatorum in Deo, regnum mille annorum cum Christo vero sit triumphus iustorum in caelo necnon propagatio Ecclesiae in terra usque ad finem saeculi incerti spatii : resurrectio secunda et mors secunda iam eschatologice sunt accipienda. *b)* Est lex principalis revelationis hanc vitam esse tempus probationis et passionum : «*Haec oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam*» Lc 24 ; eodem modo etiam sectatores Christi : «*per multas tribulationes oportet intrare in regnum Dei*» Act 14 ; in hac terrena vita ergo non est anticipanda beatitudo caelestis.

2. Iudicium universale. — THES. **Deus in fine mundi totum genus humanum iudicabit.** *De fide.* Apostolicum profitetur : *Credo in Iesum Christum . . . qui venturus est iudicare vivos* (quos secundus Domini adventus vivos invenerit) *et mortuos.* Adversantur rationalistae et eo ipso materialistae cuiusvis generis et aetatis.

DEMONSTR. **Scr.** Est doctrina capitalis *prophetarum* omnes gentes labente tempore a Deo in iudicium adduci, ita ut non possint permanere, nisi qui totam agendi rationem suam legibus Dei conformaverint. Ita imprimis Isaias 24—28, Ieremias, Ezechiel, qui iudicium Dei statuto die futurum esse docet et singulos etiam homines comprehensurum, deinde Ioel 4, Hab 2, Soph 1—3 : «Dies irae» V. T.-i, Daniel, qui 7 modum iudicii quoque plenius describit. In N. T. *Baptista* iudicium iudaeis infidelibus minatur ; *Christus* iam in sermone montano iudicium universale indicat, quod postea parabolis describit de zizaniis, de reti ex omnibus generibus piscium congreganti, de decem virginibus, de domino rationem cum servis ponenti, de operariis vineae, de talentis, de caena et veste nuptiali ; denique magno sermone eschatologico Mt 24 et 25 distinctius de eo explicat. Apostoli id praedicabant, quod Paulus Athenis coram areopago : Deus «*statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in*

aequitate» Act 17. **Tr.** Iudicium universale in fine rerum omnibus imminere Patres a principio etiam adversus paganos protestabantur multisque illustrabant (Aug. Civ. XX 30, 5).

R. *Quilibet homo est et singularis quaedam persona, et pars totius humani generis.* Unde et geminum ei iudicium debetur : unum singulare quod de eo fiet post mortem, quando recipiet iuxta ea quae in corpore gesserat ; aliud iudicium debet esse de eo secundum quod est pars totius humani generis. Nec tamen Deus bis in idipsum iudicat, quia non duas paenas pro uno peccato inferet, sed paena quae ante iudicium complete inflicta non fuerat, in ultimo iudicio complebitur, post quod impii cruciabuntur quoad corpus et animam simul (Supl. 91, 1).

ADDIT. *Circumstantiae iudicii.*

1. *Iudex* est Deus, ut Christus saepe profitetur, et colligitur ex eo, quod iudicium universale est manifestatio ac confirmatio magna iustitiae et sapientiae divinae. quae omnia secundum leges ab ipsa conditas iudicabit. At Deus iudicium tradidit Christo homini, ut ipse Christus identidem testatur, imprimis Mt 25, et apostoli quoque frequentibus effatis comprobant : Deus «statuit diem in quo iudicaturus est orbem in aequitate, in viro in quo statuit, fidem praebens omnibus suscitans eum a mortuis» Act 17. Conveniens quoque est, ut Christus legifer et salvator noster ipse fructus operis sui colligat et coram toto orbe vim sui evangelii ac redemptionis efficaciam manifestet (cf. III 59, 2—3).

2. *Assessores* erunt angeli (Mt 13. 24 ; Lc 22 ; 1 Cor 6) omnes gentes congregantes ; item apostoli et universim omnes iusti ; idque eo quod testes erunt iustitiae divinae se in iudicio manifestantis, et alios quoque in cognitionem eius inducent (Supl. 92, 1. 3).

3. *Iudicandi* sunt omnes homines statuendi coram tribunali Christi, infantes quoque ; sed etiam angeli, iique ea parte quatenus negotiis hominum impliciti erant ; angeli mali eo quoque quod tunc definitive in infernum detrudentur.

4. *Obiectum* iudicii erunt omnia et singula opera sive bona, sive mala tam animae quam corporis, etiam secreta cordis et peccata omissionis. Testante Domino homines imprimis secundum opera caritatis seu misericordiae erunt iudicandi Mt 25.

5. *Modum* iudicii ipse Dominus enarrat Mt 25 ; quaedam autem eorum : segregatio bonorum et malorum, pronuntiatio sententiae, sicut liber vel libri iudicii alibi commemorati docente Augustino (Civ. Dei XX 14) probabiliter spiritualiter sunt intellegenda.

6. *Tempus* est tempus secundi adventus Christi ; ergo est prorsus incertum, et ad assiduam vigilantiam invocat.

7. *Locus* iudicii a prophetis nonnunquam vallis Josaphat exhibetur ; quod tamen est probabiliter vel allegorice (יוֹשָׁפָט = Deus iudicat), vel typice dictum ; in ea enim valle inimici regis Iosaphat caesi sunt.

3. Finis mundi. — THES. **Hic mundus finem capiet, qui tamen non erit annihilatio, sed innovatio.** *Certum.*

DEMONSTR. **Scr.** «*Caelum et terra transibunt*» Mt 24 ; «*transit figura huius mundi*» 1 Cor 7. Et Christus d. et apostoli non de annihilatione, sed de consummatione saeculorum, de apocatastasi loquuntur. Accuratius Paulus : «*Exspectatio creaturae revelationem filiorm Dei exspectat . . . quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc*» Rom 8. Et Petrus : «*Caeli autem qui nunc sunt et terra eodem verbo*

(Dei sc. creantis ea) *repositi, sunt igni reservati in diem iudicii . . . Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo caeli magno impetu transient, elementa calore solventur, terra autem et quae in ipsa sunt opera exurentur»* 2 Pet 3. De novo caelo et terra nova etiam Is 55. 56, et Ap 21, de incendio mundi etiam 2 Thes 1 et 1 Cor 3 loquuntur. **Tr.** Eadem etiam Patres ab initio repetunt (Clem. R. 16, 3 ; Barnab. 15, 15 ; Herm. vis. 4, 3, 3 ; Tert. Spect. 30. 55. Aug. Civ. XX 14) et quum origenistae annihilationem mundi materialis docerent, a Constant. I damnati sunt.

R. Finem sive sensim praeparatum sive subitum et repentinum fore huic mundo *doctrinis profanis* quoque aliquomodo significatur. Illam porro *immutationem glorificationem* esse futuram ratione naturali non attingitur, theologice tamen conveniens statuitur : *a)* Convenit enim, ut homo quoad corpus quoque glorificatus obiecta circumiacentia novo statui convenientia praesto habeat ; *b)* conveniens est, ut mundus ille quem creavit Deus ut *sit* (Sap 1), quemque Verbum incarnatione sibi coniungere dignatus est, pro modulo suo particeps fiat gloriae humanitatis Christi.

In quonam accuratius mundi renovatio consistat, revelatio silentio praeterit. Imprimis quae de instanti finis seu de duratione huius mundi sive pseudoprophetae unquam somniabant sive alii computu coniciebant, omni fundamento sunt destituta (III 1, 6 ; Aug. Civ. XVIII 54). Quaestio multum agitata est *utrum mundus novus organismos vivos habiturus sit* nec ne. Antiquiores id communius negabant multis recentioribus haud improbabiliter asserentibus. Utique et organismi et omnia alia statui finali convenientia erunt; qui autem qualis futurus sit, suspicari modo, non perspicere licet.

Caput 2. De statibus novissimis.

Quaeritur 1. de inferno, 2. de purgatorio, 3. de caelo.

§ 115. Infernus.

Statuuntur 1. existentia, 2. paenae.

1. Existentia. — THES. **Qui in peccato gravi obstinati moriuntur, aeterna damnatione punientur.** *De fide.*

EXPLIC. *Infernum* est status et locus angelorum damnatorum et hominum in peccato gravi obstinatorum. *Vocatur* etiam infernus, tartarus, hades, seol, gehenna seu גֵּיא הִנֹּם i. e. vallis filiorum Hinnom, veris israelitis abominabilis propter idololatriam Moloch ibi cultam 4 Reg 23. *Gnostici*, Arnobius, *sociniani, multi protestantes* recentiores putabant peccatores a Deo annihilari ; *origenistae, theosophistae* multique *protestantes* apocatastasim tenent : omnes, etiam peccatores obstinatissimos aliquando converti. *Athanasianum* habet : *«qui vero mala egerunt, in ignem aeternum»* (ibunt) ; origenistae a Constant. 543 et 553 damnati sunt ; Lugdun. II. docet : *«Illorum autem animas qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere paenis tamen disparibus puniendas».*

DEMONSTR. **Scr.** *Libri primi historici V. T.* nondum distinctam inferni doctrinam proferunt ; tamen et ipsi cum Sapientialibus ulterioribus profitentur conatus impiorum adversus Deum evanescere. *Prophetae* iam

distinctius loquuntur : «*Non est pax impiis*» Is 57 ; «*Et egredientur et videbunt cadavera virorum, qui praevaricati sunt in me: vermis eorum non morietur et ignis eorum non exstinguetur*» Is 66; «*Et multi de his qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt: alii in vitam aeternam, et alii in opprobrium ut videant semper*» Dan 12. *Christus* d. saepe et diserte hanc doctrinam profitetur : «*Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius . . . et ibunt hi in supplicium aeternum*» Mt 25. Iam in sermone montano mentionem facit ignis gehennae ; in parabolis loquitur de igni inextinguibili et de verme non morienti, de tenebris externis, ubi erit ululatus et stridor dentium ; de peccato adversus Spiritum s., qui non remittetur neque in hoc saeculo neque in futuro. Item *apostoli:* «*Qui non noverunt Deum et qui non obediunt evangelio d. n. I. Christi, qui paenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini*» 2 Thes 1. Timidis et incredulis et execratis et homicidis et fornicatoribus et veneficis et idololatris et omnibus mendacibus «*pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure: quod est mors secunda*» Ap 21.

Tr. Patres iam adversus gnosticos uno ore et paenas et earum aeternitatem docebant. Quum deinde *Origenes* (Pr. II 10, 4 ; Cels. IV 12 ; V 14) aeternitatem paenarum ad captum christianorum communium dictam esse iactaret, e mente vero christianorum illuminatorum omnes paenas medicinales esse et ideo aliquando omnes peccatores sanandos a peccatis suis, paucissimos tantum assectatores nactus est: Didymum et Nyssenum, ceteris acriter contradicentibus. Imprimis *Aug.* (Civ. XXI 17. 23. 24) contra «misericordes» pugnavit, qui saltem omnes christianos ex inferno liberari opinabantur. Multa et distincta habet *Gregorius M.*

R. Existentia damni aeterni utpote factum supernaturale aprior comprobari non potest ; nihilominus ratio fide illuminata convenientiam eius ostendit : *a) Maiestas* Dei exigit ut plenam ac perfectam victoriam ex peccatoribus consequatur, ut peccatores etiam inviti agnoscant se nihil adversus Deum posse. Hoc tamen in modum Deo dignum non obtinetur peccatorum sive annihilatione sive invita conversione ; invitam dico, quia qui ad infernum aeternum damnantur obstinati sunt in peccato. *b) Sapientia* Dei exigit ut eo modo tractentur prout ipsi elegerant : voluerunt creaturas prae Deo et contra Deum, nunc experientia cognoscant oportet, quam vanum, impium, demens sit aliud atque Deum gestire. *c) Sanctitas* Dei exigit, ut peccatum et actus bonus non in eodem numero habeantur. Discrimen est fundamentale inter bonum et malum ; atqui si ad eundem demum finem omnes pervenirent, hoc discrimen evanesceret : omnia enim dimetimur a fine.

DIFF. 1. In Litteris d. *aeternum* saepe tempus perlongum, et non sine fine duraturum significat. — RESP. *a)* Gehennae ignis etiam inextinguibilis dicitur ; *b)* ignis aeternus in eundem numerum cum vita aeterna refertur.; vel ergo utrumque est sine fine, vel neutrum (Aug. XXI 23).

2. *Deus non irascitur in aeternum* Ps 109. Is 57. — RESP. Deus non in aeternum irascitur peccatoribus, dum sunt in statu viae, ut apparet ex contextu illorum locorum. Item restitutio, quam Litterae d. quandoque insinuant (Act 3 ; 1 Cor 15 etc.) ex contextibus ad glorificationem vel singulorum vel regni Dei est referenda.

3. *Est contra iustitiam* divinam, ut peccatum brevi transiens in aeter-

num puniatur. — RESP. Peccatum docente s. Thoma (1II 92, 5 ; 87, 3 ; Supl. 82, 1) est infiniti valoris propter infinitam Dei maiestatem laesam ; ergo poenam infinitam meretur, quae quia intensive infinita esse non potest, debet esse extensive, seu perpetua. Praeterea peccatum non retractum (talia tantum in inferno puniuntur) est habitualiter aeternum.

4. *Est contra aequitatem* et misericordiam ut creaturae debiles in aeternum cruciatibus afficiantur. — RESP. *a)* Deus utique est misericors, at non modo in peccatores sed etiam in iustos, contra quos esset maxima iniuria immo crudelitas in eodem numero cum peccatoribus obstinatis haberi eisque societate perpetua coniungi. *b)* Dei misericordia non potest separari ab eius iustitia et sanctitate (1II 87, 3 ad 3 ; § 33, 2).

5. *Est contra sapientiam* punire tales, qui iam non possunt corrigi et emendari. — RESP. Non est verum finem unicum vel etiam primum paenae esse correctionem peccatoris ; est etenim restitutio ordinis moralis. Iustitia etiam humana persaepe tales punire cogitur ad quos emendandos nulla iam est spes (§ 33, 2).

6. *Est contra sanctitatem* Dei ut in aeternum inimicorum loco habeat eos, qui sub paenarum pondere certe resipiscunt. — RESP. Nego suppositum. Damnatis nullus iam relinquitur conversionis locus ; omnes sunt in aeternum obstinati. Quomodo fieri possit, ut voluntas creata in se mobilis in malo obstinetur, est una e gravissimis theologiae quaestionibus non satis explorata. E mente s. Thomae (Gent. I 64, 2 ; IV 95) homines post mortem quoad finem ultimum sunt iam immobiles, sicuti in hac vita sunt quoad bonum generatim consideratum. Praeterea damnatis subtrahitur gratia Dei, sine qua in hoc salutis ordine nulla datur conversio peccatoris. — Ceterum qui sint damnati nescitur. Certum est pro angelis lapsis ; probabile pro Iuda.

2. Paenae. — THES. **Paenae inferni sunt paena damni et paena sensus.** *Certum.*

DEMONSTR. **Scr.** Utrumque complectitur illud Domini : «*Discedite a me in ignem aeternum*» Mt 25. Item : «*Nescio vos unde sitis; discedite a me omnes operarii iniquitatis. Ibi erit fletus et stridor dentium; cum videritis Abraham et Isaac et Iacob et omnes prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras*» Lc 13. **Tr.** Patres imprimis *Chrysostomus et Augustinus* (Enchir. 112) eam omnium gravissimam habent paenam pro creaturis rationalibus reici a Deo et esse absque Deo, quod est paena damni ; de paena vero sensus multa et quaerunt et asserunt, ubi de igni inferni explicant. **R.** *Infernum est status perpetuus naturae peccati conveniens.* Atqui peccatum (grave utique, de quo solo sermo esse potest ubi de inferno agitur) est aversio a Deo et conversio inordinata ad creaturas. Convenit ergo, ut aversio a Deo eo puniatur quod anima damnata in aeternum Deo careat, et haec est paena damni ; conversio inordinata ad creaturas vero eo est punienda, ut peccatori manifestum fiat quid sint creaturae prae Deo et sine Deo affectatae : et haec est summa paenae sensus.

QUAEST. 1. *Paena damni est vera paena eaque omnium possibilium gravissima.* Etenim Deus est finis ultimus creaturae rationalis ; ergo Deo carere idem est atque a fine deficere, et vitam quasi in vacuum et in tenebris densissimis agere. Si in hac vita mortali multis impiis absque Deo esse non apparet onus tam grave, huius rei ratio inde est repetenda, quod in hac vita Deus tamquam finis ultimus atque unicus non tam clare quam

in statu comprehensionis cognoscitur ; praeterea hic adsunt adhuc consolationes ex creaturis sumendae, quae tunc cessabunt. Damnati eo magis ex Dei amissione cruciantur, quo clarius videbunt, ex quonam bono proprio peccato exciderint. Ideo paena damni est fons omnium ceterarum paenarum inferni, et est ratio, cur damnati in peccato sint obstinati.

2. Paenas principales damni et sensus hae *accidentales* comitantur : *a) morsus conscientiae;* clare enim vident damnati sibi ipsos debere se statum suum tristissimum ; vermisque eorum non morietur ; *b)* defectus societatis sanctorum et *societas* quorumcunque perditissimorum hominum et spirituum ; *c) tenebrae exteriores* seu defectus omnis consolationis provenientis ex consideratione sapientiae divinae in operibus creationis atque gratiae se manifestantis.

3. *Paena et damni et sensus non sunt pro omnibus damnatis eaedem:* «paenis tamen disparibus puniendi» (Lat. IV.). Iam Sapiens asserit ; «*Fortioribus autem fortior instat cruciatio*» Sap 6 ; et Dominus dicit : «*Terrae Sodomorum remissius erit in die iudicii quam tibi (Capharnaum)!*» Mt 11. Exigit etiam iustitia ut qui plus peccaverit, gravius quoque puniatur. Differentia paenarum probabiliter non modo in paenis sensus sed etiam in damno est ponenda. Mensura paenarum in iudicio particulari statuitur et amplius iam non augetur nisi accidentaliter eo quod post iudicium universale damnati quoque corpus suum induunt et daemones libertate illa aliqua qua antea utebantur, privandi sunt.

4. *Paenae damnatorum in aeternum non laxabuntur.* Augustinus (Enchir. 112 ; Civ. XXI 24, 3) quidem non est ausus negare opinionem damnatos quoque posse aliquantulum orationibus fidelium sublevari ; ex opinione *Prudentii* saltem in nocte Resurrectionis Domini quotannis eorum poenae laxantur ; medio aevo quidam putabant singulis sabbatis vel dominicis quoque id fieri. At omnia haec absque ulla ratione dicebantur ; Christus Dominus ne levissime quidem tale quid indicat (Supl. 71, 5).

5. *Cuius naturae est* **ignis inferni,** cuius nomine in fontibus revelationis paena sensus nuncupatur? — Est *agens quoddam reale physicum* eum in finem a Deo creatum, ut damnatos talibus cruciatibus afficiat, qualibus nos ignis afficit. Etenim *a)* omnes Patres, si Origenes (Pr. II 10, 4-8) et Nyssenus excipiantur, cuncti deinde scholastici, item theologi recentiores paucissimis exceptis (Ambr. Catharinus, Möhler) ita sentiunt. *b)* Scriptura, etsi vermis cuius mentionem facit, metaphorice sit intellegendus, totiens et tam apertis verbis de igni loquitur, ut si aliter atque verba imponunt esset accipiendus, hoc indicare deberet. *c)* Damnati omnes, etiam angeli lapsi per materiam quoque peccaverunt ; conveniens ergo est ut in eo quoque puniantur. Praetera in hoc salutis ordine materia est instrumentum vitae supernaturalis, etiam gratiae, ut ostendunt incarnatio, sacramenta, resurrectio iustorum, instauratio caeli et terrae ; conveniens ergo est, ut etiam instrumentum iustitiae divinae vindicativae sit. Sententia ignem inferni esse metaphoricum, forsitan non est temeraria, ut cum Vasquesio Billot censet ; neque unquam ab auctoritate ecclesiastica censurata est (responsio enim s. Poenitentiariae a. 1890 ad aliquem presbyterum Mantuanum data non est doctrinalis). Tamen ex dictis certo parum probabilis est.

Ignis inferni *tamen probabilissime non est eiusdem speciei atque ignis terrestris* experientiae nostrae obvius. Etenim *a)* est ignis paratus diabolo

et angelis eius ; *b)* Patres plurimi et imprimis Gregorius M. (Dial. IV 29), quem revelationem peculiarem accepisse putantes scholastici per omnia secuti sunt, docet ignem inferni non iisdem proprietatibus esse instructum atque ignis terrenus : non diluit tenebras, potest frigore quoque afficere etc. ; *c)* ignis terrenus utpote non elementum (ut antiqui opinabantur), sed processus chemicus in instauratione rerum absque cumulo miraculorum sustineri nequiret ; *d)* et vita et paena aeterna in hoc salutis ordine est supernaturalis ; ergo vix instrumentis mere naturalibus utitur.

Si denique quaeratur, *quomodo agens materiale in spiritus meros agere possit* alii alia proferebant ; praeplacet autem prae opinionibus etiam recentiorum quorundam sententia s. Thomae : animae per ignem illum in loco abominationis detinentur et alligantur, ita ut «experientia aliqua nocivi» ad talia cogitanda atque imaginanda cogantur quae nolunt, et ab eis quae desiderant prohibeantur (Supl. 100, 3 ; Comp. 179).

ADDIT. **Topographia** *inferni et caeli.* — Scriptura et Patres theologive diversa receptacula aeterna distinguunt : *a) Infernus*, שְׁאוֹל, ἅδης est locus, in quo omnes mortui sive boni sive mali colliguntur ; *b) gehenna* est receptaculum impiorum ; *c) caelum*, שָׁמַיִם, altum, ubi Deus specialissimo modo praesens putatur et omnes angeli eius ; *d) paradisus* ex usu Christi d. idem est quod limbus Patrum seu locus iustorum V. T. ante descensum Christi ; *e) purgatorium; f) limbus puerorum*, inde a medio aevo locus puerorum sine baptismo decedentium. E dicendi ratione Scripturae infernus in vel sub terra ponitur, est locus omnium infimus Iob 11 etc. ; caelum vero consideratur hemisphaera solida terrae imposita, stellas, lunam, solem continens. Medio aevo infernus plerumque in media terra, in extremis eius limbus puerorum, in vicinis vero purgatorium locabantur ; caelum ex eorum opinione erat caelum empyreum Ptolemaicum (cf. Divinam Commediam Dantis).

Dicendum est : 1) *Existunt loca transcendentia;* seu infernus imprimis et caelum sunt non modo status sed etiam loca. Etenim *a)* post resurrectionem homines cum veris suis corporibus sunt vel in caelo vel in inferno ; atqui corpora physica in loco sint oportet ; Christus et B. Virgo iam nunc corporaliter sunt in caelo. *b)* Puri quoque spiritus quodammodo sunt loco alligati, utique modo substantiis spiritualibus convenienti, qui nobis plane manifestus esse non potest (in Lomb. IV dist. 45, 1, 1 sol. 1 ad 1). — 2) *Locus sive inferni sive caeli determinari non potest.* Litterae s. enim etsi quaedam asserant quibus locus indicari videtur, hinc quidem enuntiant Deum loco non contineri, ergo neque caelo, illinc vero ad normam eorum quae generatim in rebus naturalibus loquuntur, sunt accipiendae (§ 16, 2) secundum illud s. *Augustini:* «Non legitur in evangelio Dominum dixisse : Mitto vobis Paracletum qui vos doceat de cursu solis et lunae. Christianos enim facere volebat, non mathematicos» (Fel. Man. I 10 ; cf. in Ps 30, 3, 8 ; Civ. XX 16 ; Retr. II 24, 2). Idem de opinionibus Patrum et scholasticorum dicendum. Gravissimi enim cum *Thoma* fatentur : «Non credo ab homine sciri posse, ubi sit infernus» (Op. 10, 25). Certum est posse Deum in mundo hoc vastissimo locum convenientem figere tam pro iustis quam pro damnatis, quem si quis importunius quaerat, memor sit illius *Chrysostomi:* «Noli sollicite quaerere ubi sit infernus, sed quomodo effugere poteris» (in Rom. 31, 5).

§ 116. Purgatorium.

Statuuntur 1. factum, 2. modus purgationis.

1 Factum. — THES. **Existit purgatorium,** *De fide.*

EXPLIC. *Purgatorium* est status usque ad iudicium universale subsistens iis animis destinatus, qui in gratia decedentes propter aliquem paenae vel peccati reatum ante visionem Dei beatificam obtinendam purgandi sunt. *Adversantur* Aërius, qui s. 4. negavit intercessiones, orationes et sacrificia defunctis proficere : item waldenses. Existentiam penitus negarunt gnostici, cathari, novatores. Graeci purgationis possibilitatem, non paenas animarum purgandarum negarunt ; a s. 13. plures eorum etiam existentiam purgatorii infitiantur. *Florentinum* in decreto unionis definivit : «*Definimus . . . si vere paenitentes in caritate Dei decesserint, antequam dignis paenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas paenis purgatorii post mortem purgari*».

DEMONSTR. **Scr.** *V. T.* pro indole sua eschatologica minus explicita formaliter non loquitur de statu transcendenti purgationis; tamen prophetae multum de iudiciis Dei purgantibus praedicant. Libri ultimi, ubi de intercessione pro defunctis loquuntur, fidem status intermedii quoque inter infernum et caelum testantur ; ita Tob 1. 2 ; imprimis vero 2 Mach 12 narrans a Iuda Machabaeo duodecim milia drachmatum missa esse Ierosolymam «*offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans . . . Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur*». Christus d. Mt 12 loquitur de peccatis, quae non remittentur neque in hoc saeculo neque in futuro ; ex quo recte infert Aug. (Civ. XXI 24) esse peccata (utique venialia), quae veniam in altera vita consequentur. Item in sermone montano *Christus* eloquitur de carcere unde reus non exierit, donec reddat novissimum quadrantem Mt 5. Testimonium princeps est 1 Cor 3 : «*Fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, faenum, stipulam, uniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur; et uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit quod superaedificavit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit: sic tamen quasi per ignem*». Licet enim his Apostolus de iudicio loquatur, ratione tam universali utitur, ut non unus iudicii dies sed iudiciorum purgantium complexio sit accipienda ; et sic formaliter enuntiatur quaedam opera humana quasi per ignem seu probatione atque purgatione tantum coram Deo valere.

Tr. Testimonium antiquissimum sunt forsitan *Acta Pauli* (cca a. 160), ubi Thecla orat pro Falconilla defuncta, ut ad locum iustorum transferatur. In *Actibus Perpetuae et Felicitatis* (cca a. 202) narratur Dinocratem fratrem defunctum Perpetuae graviter patientem continuis orationibus sororis suae ad locum felicitatis esse translatum. Eodem tempore *Tertullianus* diserte testatur orationes et sacrificia esse oblata pro defunctis ; quod inscriptionibus sepulchralibus confirmatur. Secundum *Cyprianum*

«aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire ; aliud pro peccatis longo dolore cruciatuum emundari et purgari diu igne, aliud peccata omnia passione (martyrii) purgasse» (Ep. 55, 20). *Origenes* post magistrum Clementem docet purgandos esse plerosque post mortem (Pr. II 10, 4-6 ; in Mt 30 ; Cels. IV 13), at hanc suam doctrinam idea apocatastasis obnubilat. Idem magni graeci saeculi 4. : Cyrillus Hier., Chrys. *Cyrillus Alex.* libellum scripsit «Adversus eos qui audent dicere non esse offerendum pro iis qui in fide obdormierunt». Ambrosius scripsit De bono mortis (imprimis 45-8) ; Augustinus luculentissima reddit testimonia (Conf. IX 11-3 ; Enchir. 69. 109 ; Civ. XXI 13, 16 ; XXVI 2 ; Gen. Man. II 20).

R. Quam plurimi fideles decedentes *non sunt tam sancti,* ut statim in caelum intrare mereantur ; sed *neque adeo obstinati in peccatis,* ut damnandi sint. Ergo necesse est existat status intermedius purgationis. Nec dicatur : Si pro altera vita possibilitas quaedam purgationis relinquatur, *lata patebit ianua laxismo.* Namque *a)* doctrinā purgatorii veritas inferni minime tangitur ; *b)* paenae purgatorii utpote gravissimae aptae sunt quae etiam a venialibus deterreant et animum pietatis efficaciter foveant ; *c)* doctrinae non rigidiores sed veriores magis ad pietatem prosunt.

2. Modus purgationis ut rite exponatur, haec sunt consideranda :

1. *Obiectum* purgationis sunt *a) paenae,* quae remisso reatu peccatorum adhuc sunt luendae (cf. § 102, 3). Ad hoc imprimis destinatum est purgatorium, ut per satispassionem debitum peccatorum nondum solutum persolvatur. *b) Peccata* nondum remissa et a regno caelorum non arcentia seu venialia. Colligitur hoc ex effatis Christi d. supra commemoratis, necnon ex eo, quod multi quamvis in statu gratiae decedentes non omnia peccata exuerint. Peccata autem haec remittuntur per veram contritionem post mortem eliciendam, quae tunc iam non habebit meriti rationem (in Lomb. IV. dist. 21, 1, 1, 2). *c) Pravi habitus,* qui sunt reliquiae peccatorum et ut inquinamenta pariter a regno caeli ingrediendo arcent. Ea quoque purganda esse et ita defunctos ad illam internam et psychicam perfectionem moralem esse elevandos, qua beatitudini caelesti recipiendae pares reddantur, est doctrina formalis Florentini, ponitur effatis Scripturae, et explicite a magnis theologis docetur ; item orationibus pro defunctis (Or. divers. 7. 8. 10) frequenter exprimitur. Perperam ergo cum graecis schismaticis a quibusdam etiam catholicis in dubium vocatur.

2. *Paenae* purgatorii a theologis ad analogiam paenarum inferni statuuntur duae : *a) Paena damni;* seu animae purgandae visione Dei beatifica carent. Qui defectus gravissimus fore apparet, si consideratur, quam clare animae illae perspiciant Deum esse summum bonum, et quam vehementi desiderio in Deum ferantur ; accedunt remorsus conscientiae. *b)* Probabilius et communius docetur animas purgandas paenis etiam positivis, quae ad analogiam paenarum inferni *paenae sensus* dici possunt, affici. At de natura huius paenae non adeo constat atque de paena sensus damnatorum. Graeci de tenebris, de locis nebulosis et procellosis loquuntur; latini inde a Gregorio M. malunt ignem purgatorii asserere. Florentinum consulto a quaestione definienda abstinuit.

3. *Gravitas paenarum* purgatorii : Paenas purgatorii gravissimas esse iam vel eo colligitur, quod est locus iustitiae divinae. De gradu autem paenarum quum nihil sit revelatum, theologorum diversae sunt sententiae : e sententia Thomae (in Lomb. IV dist. 21, 1, 1 sol. 3) paena purgatorii minima excedit maximam paenam huius mundi ; e mente Bonaventurae quaevis paena purgatorii in suo genere est maior, quam maxima huius vitae in eodem genere. Quantumvis gravibus autem paenis crucientur animae purgandae, duabus magnis *consolationibus* fruuntur : *a)* Certi sunt de sua electione (in Lomb. IV dist. 45, 2, 3 sol. 3 ad 4 ; Aug. Cura pro mort. 4, 6) ; merito damnata est illa Lutheri propositio saltem non omnes animas purgatorii esse certas de sua salute ; quomodo enim qui in altera vita vehementissima Dei caritate fervet, dubius de sua electione esse possit? *b)* Intercessionibus Ecclesiae militantis et probabiliter etiam triumphantis fruuntur. — *Num et ipsi pro nobis intercedant*, neque probari potest neque audacter negari debet. Ecclesia ipsa nunquam eos invocat ; id privatim fieri nihil vetat ; caute tamen propter defectum solidi fundamenti dogmatici procedatur oportet (cf. 2II 83, 11 : negative).

4. *Tempus: a)* pro singulis animis tempus purgationis prorsus ignotum nobis est ; gratis omnino a quibusdam (D. Soto, Maldonatus) censebatur ultra decennium nullam animam purgari. *b)* Totus purgatorii status post iudicium universale finem accipiet. Quos ergo iudicium illud vivos invenerit, aerumnis temporis novissimi erunt probabiliter purgandi.

5. *Locus* purgatorii : Quum purgatorium status sit magis quam locus, dicendum est illud tamquam statum paenae et satispassionis ad infernum, tamquam receptaculum animarum ad visionem beatificam destinatarum caelo propius accedere. Quum animae humanae essentialiter habeant relationes reales ad spatium, purgatorium quodammodo etiam locus est dicendus ; at ubi sit reponendum, praeter eius Auctorem ipsae beatae illae animae ad purgationem admissae videant.

§ 117. Beatitudo aeterna.

Statuuntur 1. existentia, 2. essentia, 3. perfectio.

1. THES. **Existit caelum** *seu status et locus ubi iusti ab omni peccatorum et paenarum reatu penitus mundati vitae beatae ss. Trinitatis in perpetuum participes sunt. De fide.* — Iam *Apostolicum* profitetur : «Credo vitam aeternam» ; et nemo christianorum id negare praesumpsit ; *origenistae* non existentiam, sed aeternitatem beatitudinis caelestis negabant; *materialistae*, etiam sadducaei, spe vitae aeternae carent.

DEMONSTR. **Scr.** V. T. pro indole sua initio in concreto docet immediatum Dei commercium esse summum bonum (paradisus, patriarchae). Moyses expertus quidem est non posse ab homine hanc vitam agenti Deum videri Ex 33 ; nihilominus idem ipse populum illum carnalem ad eum perfectionis gradum elevavit, ut habitationem Dei in medio suo (in nube super arcam foederis descendenti) summam gloriam ac thesaurum habuerit. Plenissima Dei possessio est constans expectatio ac desiderium prophetarum et psalmistarum, qui iam transcendentiam istius beatitudinis docere incipiunt, quod deinde Sapientiales ad perfectum ducunt : «*Iusti autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio illorum apud Altissimum*» Sap 5. Christus d. iam in sermone

montano docet : «*Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*» Mt 5. Deinde parabolis atque imaginibus thesauri et margaritae inventae, domus paternae, epularum festivarum pretium eius inaestimabile praedicat necnon veram aeternitatem ; sancte affirmat : «*Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum; et gaudium vestrum nemo tollet a vobis*» Jn 16. Stephanus protomartyr morti iam proximus vidit caelos apertos et gloriam Dei et Christi. Multis deinde et *Paulus et Ioannes* essentiam vitae aeternae, visionem sc. Dei praedicant, eamque coronam immarcescibilem ac lumen indeficiens dicunt. Apocalypsis demum vividis coloribus vitam et gloriam caelestis Ierusalem describit Ap 4. 21.

Tr. Et Patres et vita Ecclesiae, prout in liturgia et inscriptionibus (cf. S. Scaglia : I novissimi nei monumenti primitivi della Chiesa 1910) manifestatur, locupletissimum testimonium praestant christianis non tantum persuasum fuisse de vita aeterna, sed eos ista fide ac spe quasi cibo quotidiano usos esse. Pulchre pro more suo Augustinus Civ. XXII 20—30 et Conf. IX 10 beatitudinem caelestem describit. **R.** *a)* Ratione quoque efficitur α) *postulatum esse iustitiae divinae*, ut servi fideles Dei mercedem suam recipiant ; quod quum experientia teste non fiat in hac vita, in altera est ad verum perducendum. β) *Sapientia* deinde divina exigit, ut homo qui natura sua veritati perfectae fruendae est destinatus, hoc suo fine absque proprio peccato non frustretur. *b)* Beatitudo illa *debet esse aeterna:* α) Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus (Boeth.) ; atqui status quantumvis beatus cui periculum eundem amittendi continuo imminet, habet malum acerbissimum admixtum ; ergo non est vera beatitudo. β) Deest ratio, cur animae beatae, quibus nuda et aperta apparent omnia prout sunt, quum bona tum mala, iam aliud prae Deo eligant (Gent. III 62).

2. THES. 1. **Beatitudo caelestis in visione Dei immediata potissimum consistit.** *De fide.* — Adversantur *palamitae* graeci (cf. § 26, 2) ; simile quid opinabatur Rosmini *(D* 1928). *Benedictus XII.* definivit : Animae sanctorum «*vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione obiecti visi se habente, sed divina essentia immediate se nude, clare et aperte eis ostendente*». Similiter Florentinum in Decreto unionis.

DEMONSTR. **Scr.** Christus d. in sermone montano docet mundos corde videre Deum Mt 5 ; deinde : «*Angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei qui in caelis est*» Mt 18. Paulus : «*Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum*» 1 Cor 13; Ioannes: «*Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est*» 1 Jn 3. **Tr.** Patres fere omnes quum de beatitudine aeterna loquuntur, in visione Dei eam ponunt ; immo *Augustinus* (Civ. XXII 29) quaestionem movet, num Deus oculis corporeis videri possit et multum ei solvendae insudat. Si Patres *graeci*, Basilius, Nyssenus, Chrysostomus, minus clare loquuntur, prae oculis habendum est, eis cum eunomianis fuisse disceptationem (cf. § 22, 3), ad quorum mentem visio Dei revera neganda erat. **R.** Altissimas in anima humana agit radices *sanctum desiderium*

quam perfectissime inhaerendi summo Vero ac Bono, quod equidem per solam Dei visionem ad perfectum ducitur. Docente Thoma visio Dei est homini naturalis quoad appetitum, etsi supernaturalis quoad executionem (I 62, 2 ; Gent. III 50. 62 ; Verit. 27).

THES. 2. **Ad Deum videndum anima lumine gloriae indiget.** *De fide.*

EXPLIC. *Lumen gloriae* est habitus supernaturalis animae eum in finem inditus, ut ad visionem Dei elevetur ; habitus ille supernaturalis a Thoma et Bonaventura primum *ita vocatur* probabiliter post Ps 35 : «In lumine tuo videbimus lumen» et Ap 22 : «non egebunt lumine solis, quia Dominus Deus illuminabit illos». *Viennense* damnavit doctrinam beghardorum *«quod anima non indiget lumine gloriae ipsam elevanti ad Deum videndum et eo beate fruendum»*. Necessitatem luminis peculiaris supernaturalis etiam *ontologistae* negarunt.

DEMONSTR. Thesis *est consecutio* ex duabus his veritatibus revelatis : *a)* Homo ad Deum immediate videndum est vocatus (thes. 1) ; *b)* homo neque naturali rationis lumine, neque lumine fidei Deum videre potest (cf. § 22, 3 ; 23, 2). Ergo speciali Dei adiutorio indiget, quo ad Deum videndum elevetur, quod auxilium habituale atque supernaturale lumen gloriae a theologis vocatur.

QUAEST. Ut *natura luminis gloriae,* quoad eius fieri potest (est enim mysterium magnum) mente attingatur, considerandum est visionem Dei esse actum cognoscendi. Omnis autem *actus cognoscendi ex unione reali atque vitali obiecti et subiecti* enascitur. Quum visionis beatificae *obiectum* sit ipse Deus immediate et per se, non potest videri, nisi ipse immediate menti se praestet, seu facultati cognoscendi speciali modo immediate et substantialiter inhabitet. Non potest ergo Deus videri per speciem quandam impressam distinctam a se, ut possibile habebant Scotus et Suarez, et reapse fieri docebat Vasquez. *Subiectum* vero cognoscens seu mens humana etiam fide illuminata per se non est proportionata Deo immediate se manifestanti recipiendo ; atque ideo facultas cognoscendi essentialiter elevari debet, non vero elevationibus actualibus perpetuo iteratis iuvanda est, ut voluit Thomassinus, vel plane extrinsecus, ut censuit Durandus. Qui habitus est supernaturalis sicut habitus fidei, cuius est substitutio, essentialiter tamen altior, altiorem etiam cognitionis ordinem statuens. Ergo *triplex est cognitionis ordo,* quorum obiectum sunt creatio, revelatio, ipse Deus immediate ; subiectum vero est lumen rationis, fidei, gloriae. Adiuvante lumine Deus cognoscitur sicuti est, probabilissime tamen specie exprimi non potest ; ita thomistae adversus scotistas. Non est improbabile speciem qua Deus a beatis videtur, esse Verbum (I 12, 2 ; Gent. III 49 ; Verit. 8, 13) eiusque inhabitationem peculiarem esse fontem luminis gloriae, sicut gratia sanctificans fontem habet inhabitationem (ex mente quorundam peculiarem) Spiritus s.

THES. 3. **Visionem Dei perfecta Dei caritas ac gaudium comitatur,** *quae pariter ad essentiam beatitudinis aeternae pertinet. Certum.*

DEMONSTR. **Scr.** *«Caritas nunquam excidit, sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur . . . Nunc autem manent fides, spes, caritas: tria haec. Maior autem horum est caritas»* 1 Cor 13. *«Non est regnum Dei esca et potus, sed iustitia et pax et gaudium in Spiritu s.»* Rom 14. **Tr.** Pulchre haec pro more suo *Augustinus* interpretatur (Civ. XIX 3; Doctrina chr. I 33). **R.** *Voluntas est facultas essentialis entium spiritualium* et essentialiter cum mente unita, ita ut si quid tam-

quam verum menti clare illucescit, fieri non possit quin etiam voluntatem ad summum amorem trahat. Fruitio deinde est ultima felicitas hominis.

QUAEST. *Quid est essentia beatitudinis aeternae?* — Ex sententia *thomistarum* (1II 3, 4) visio, ex mente *scotistarum* caritas perfecta Dei, ex opinione Bonaventurae, Alberti, *Suaresii* multorumque aliorum utrumque. Si quaeratur quid reapse sit beatitudo aeterna, sententia tertio loco posita est vera ; sin autem de radice beatitudinis caelestis indagamur, *sententia Thomae est praeferenda.* Etenim omnem caritatis seu voluntatis actum deliberatum cognitio obiecti seu veritas quaedam, quae diligi possit, praecedat oportet. «Tota merces nostra visio est» (Aug. in Ps 90, 2, 3).

3. Perfectio beatitudinis aeternae tam ab obiecto et modo beatitudinis essentialis quam a beatitudine accidentali repetenda est.

1. *Ab obiecto: a)* Obiectum *primarium* visionis beatificae est ipse Deus, et quidem propter absolutam simplicitatem totus, non vero quaedam perfectiones divinae tantum, ut voluerunt Thomassinus et Toletus. At propter infinitatem actualem Deus totus non videtur totaliter, seu non comprehenditur ; quod ceterum creaturae impossibile est (§ 25, 2). Ex quo colligere licet visionem Dei nunquam fieri creaturae rationali molestam. — *b)* Obiectum *secundarium* visionis sunt omnia quae a creatura in Deo videri possunt et statui beatorum congruunt ; ergo α) mysteria supernaturalia, β) res creatae prout a creatura in Deo videri possunt (in generibus, speciebus et legibus); γ) ea quae ad communionem sanctorum exercendam sunt necessaria : socii beatitudinis, causae Ecclesiae militantis, preces ad eos fusae. Ex mente Thomae visio non attingit ad omnia possibilia et ad mysterium praedestinationis.

2. *A modo: a)* visio beatifica *non mutatur.* Etenim non potest *minui*, ut falso opinabatur Origenes ; namque anima per lumen gloriae iam immobiliter in fine suo ultimo quiescit, penitus perspecta habet omnia quae eius voluntatem movere et mutare possunt. Nulla ergo est ei iam ratio cur aliud atque habet eligat (I 82 ; 1II 3, 4 ; 4, 1 ; Gent. III 26 ; IV 92). Neque *augetur*, ut Thomas iunior quoque putabat (in Lomb. IV dist. 49, 4, 5 sol. 1 ad 1 ; contra 1II 4, 5). Etenim lumen gloriae ut praemium meriti est datum ; at in caelo iam nullus relinquitur merito locus. Praeterea animae separatio a corpore usque ad iudicium ultimum non potest impedire perfectam visionem, quippe quae in anima insideat ; neque corporis utpote boni partialis desiderium potest minuere et igitur post unionem augere beatitudinem essentialem seu visionem.

b) Beatitudo **pro singulis est diversa.** De fide ex *Florentino* docenti beatos intueri «*clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium prae alio perfectius*»; negabant *Iovinianus et Luther*, qui etiam gratiarum meritorumque discrimina infitiabantur (cf. § 76, 2). — DEMONSTR. «*Alia claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum; stella enim a stella differt in claritate: sic et resurrectio mortuorum*» 1 Cor 15 ; «*Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis; et tunc reddet unicuique secundum opera eius*» Mt 16. «*In domo Patris mei mansiones multae sunt*» Jn 14. At «quomodo multae mansiones apud

Patrem, si non pro varietate meritorum?» (Tert. Scorp. 6). Propterea tamen ibi «non erit aliqua invidia imparis claritatis, quoniam regnat in omnibus unitas caritatis» (August. in Jn 67 ; cf. I 12, 6).

3. *Beatitudines accidentales*, seu quae non sunt omnino idem atque visio Dei, existere ex eo colligitur, quod Deus diligentibus se «mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem» Lc 6 vult dare. A theologis hae communiter et probabiliter enumerantur : *a) A mente:* scientia in terra acquisita statui beatitudinis congruens probabilissime manet atque augetur scientia mundi glorificati (I 66, 3), necnon humanitatis Christi, B. M. Virginis, sanctorum, angelorum ; quam scientiam quidam infusam fore volunt. — *b) A voluntate:* virtutes et habitus boni acquisiti quos status beatus patitur ; praeterea gaudium de societate sanctorum et universim de communione sanctorum (Aug. Ep. 92, 1), quod non obnubilatur per scientiam damni quorundam etiam quondam amicorum ; etenim voluntas beatorum in omnibus voluntati sapientiae et caritatis divinae conformatur. — *c) A corpore:* anima ex unione cum proprio corpore necnon ex eius nova dignitate vehemens gaudium concipiet utique accidentale (1 II 4, 5).

d) Aureolae, quae quibusdam sanctis adduntur. Aureola, seu coronula est «privilegiatum praemium privilegiatae victoriae» (Supl. 99, 11). Tres aureolae enumerantur, α) *virginum:* «Cantabant quasi canticum novum . . . hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati : virgines enim sunt» Ap 14 ; β) *matryrum:* «Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni» Ap 7 ; γ) confessorum seu *doctorum:* «Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos quasi stellae in perpetuas aeternitates» Dan 12 ; «qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum» Mt 5. — Rationem hanc reddit Thomas : Ibi debetur specialis corona, ubi est praecellens victoria. Atqui virgines victoriam consequuntur ex carne pugnā interna ; martyres ex mundo pugna externa, doctores vero de daemone pugna et interna et externa.

«Quanta erit illa felicitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus!» (August. Civ. XXII 30). Amen.

Ad maius pietatis incrementum !

INDEX ALPHABETICUS.

Abaelardus et unio hypost. 245
Abercius 433
Absolutio 464 s.
  in articulo mortis 466
Accidens 438, 441
Accomodatio 65
Acta Perpetuae et Fel. 521
Actiones theandricae 250
Actio sacrifica 447, 448
Actus
  eliciti 295
  exerciti 295
  honestus 305, 339
  ndeliberati 294 s., 296
  iudicialis 464
  salutaris 298 s.
Adam
  caput 220
  creatio 207
  et Christus 207, 219
Adductio 437
Adoptianismus 164, 232 s.
Adoptio 248, 325
Adoratio 248
Adulterium 503
Aegyptii 5
Aeternitas 144
  mundi 144
Aevum 145, 198
Affectus credulitatis 107
Afri 4
Agenesia 131
Aggaeus 68
Agnoetae 251
Agnosticismus 129
Albertus M. 123
Alexandrini 119 s.
Ambrosius 415
Ambrosius Catharinus 335
Americani 4
Amicitia Dei 325
Analogia 182
  entis 19, 137
  theologica 109
Analysis fidei 102
Angeli
  boni 202
  chori 200
  creaturae 197
  custodes 202
Angeli
  elevatio 201
  et corpus 198 s.
  et gratia 201
  et parsismus 197
  et spatium 198 s.
  existentia 196
  genera 200
  hierarchiae 200
  intellectus 199
  lapsi 204
  lingua 199
  mali 205
  paena 204
  peccatum 204
  probatio 202
  redemptio 266
  spiritus 198
  tempore creati 197
  tentatio 204
  voluntas 199
Angelophania 198
Anglicani 370
Anima
  et corpus 247
  forma corporis 214
  immortalitas 212
  individua 214
  origo 208
  spiritualitas 210
  unicitas 214
Animalia 193
Animismus 3, 11
Annihilatio 189
Annuntiatio 281
Anselmus 123
  de redemptione 264
Anthropomorphismi 140
Antichristus 513
Antignostici 88
Antilogiae 84
Antiocheni 120
Antistites 355
Ap 21 514
Apocatastasis 507, 517
Apollinarismus 233
Apologetae 119
Apologetica 41, 78, 116
Apologia
  dogmatis 97
  immanentiae 26, 28
Apostasiae 513
Apostolicitas 369
Apostolicum 95
Apostoli errores 386
Apostolus 357
Apparitiones 56
Appropriatio 178
Aqua 414, 454
Arabi 8
Arbor 305
Argumenta dogm. 115
Argumentum
  aetiologicum 135
  dogmaticum 289
  nomologicum 147
  praescriptionis 396
  teleologicum 154
  thaumatologicum 132
Arianismus 164 s.
Aristoteles 122
Ascensio Christi 278
Aseitas 134 ss.
Assensus religiosus 105
Assumptio 289
Ataraxia 195
Athanasius 120
  de redemptione 264
Atheismus 14, 131
Attributa Dei 134
Attritio 468 s.
Attritionismus 469
Audiani 141
Augustinianismus 312
Augustinus 120
  ctra Pelag. 299 s.
  de caritate 306
  de catholicitate 378
  de charactere 402
  de cognitione Dei 131
  de concept. imm. 285
  de Eucharistia 429, 434, 446
  de exemplarismo div. 186
  de gr. aspirationis 294
  de gr. sufficienti 310
  de iustitia orig. 219
  de libertate 307
  de loco inferni 520
  de obstinatione 205
  de paenitentia 464, 478
  de peccato orig. 228

Augustinus
de praedestinatione 315 s.
de sacramentis 395, 398
de sacrificio 446
de Trinitate 183
platonicus 306
Aureola 527
Australi 4
Autosoteria 6, 269 s.
Averrhoistae 214
Azymus 453 s.
Αὐτοπιστία 79

Baur 45
Babyloni 8
Baius 305
Baptismus
character 417
effectus 416
et concupiscentia 417
et gratia 416
et mysteria 413
et paena aeterna 416
et peccata 416
flaminis 418
forma 415
gratia sacramentalis 417
haereticorum 410
immersio 414
infantes sine bapt. 419
infantium 420
in nomine Jesu 415
institutio 412
Joannis 413
lex 418
materia 414
minister 419
necessitas 417
notio 412
obligatio 421 s.
onera 421
reviviscentia 417
sanguinis 418
subiectum 420
Beatitudo 71, 191
aeterna 523
Beatitudo caelestis
accidentalis 527
diversitas 526
essentia 526
perfectio 526
Bellarminus 125
Benignitas 161
Berengarius 429
Bernardus 286
Berti 126
Billot 400
Billuart 126
Blasphemia Spiritus 474
Bona matrimonii 494
Bonaventura 123
de motivo incarn. 271
Bonitas mundi 193
Boethius 121
Brahmanismus 6
Buddhismus 6, 14, 59

Caelibatus 500
Caelum
existentia 523
locus 520
Caena ultima 444
Calixtini 460
Calvinismus 320
Cannibalismus 4
M. Cano 449
Canon 79
Vinc. Lerin. 90
Canonisatio 382, 387
Caper emissarius 269
Cappadoces 120
de processu Spir. s. 172
Caput 220, 260
Firmiter 165
iuridicum 357
Caritas 305
Dei 525
et iustificatio 334
et meritum 340
Cartesiani 437
Catastrophae 195
Catechumeni 363
Cathari 343, 346, 347, 363
Catholicitas 366 s., 378
Causa
efficiens 136
instrumentalis 81, 186, 399, 411
principalis 81
Causae matrimoniales 498
Causalitas moralis 399
Celtae 5
Censurae eccl. 98 s.
Centrifugales 363
Centripetales 363
Cepha 358
Cerinthus 513
Certitudo
moralis 34 , 72
theologica 335
Chalcedonense 234
Chananaei 8
Character 417, 491
confirmationis 426
essentia 402
et gratia 403
existentia 402
finis 392, 403
numerus 403 s.
ontologice 403
Charisma 31,
thaumaturgicum 60
Charismata 293, 423
Charismatici 354
Cheirothesia 424
Cheirotonia 486 s., 490
Chiliasmus 513
Chori angelorum 200
Chrisma 425
Christiani prisci 73
Christus
adoratio 248, 440
apparitiones 56
ascensio 278
auctor sacram. 404
caput 260, 391
cardiognosis 61
character 51
corpus mysticum 391
de seipso 235, 47, 235
Deus 234
derelictus 240, 242, 253
descensus 277
doctrina 69, 273
dominium 276
duae voluntates 243
«eschatologicus» 62
et Adam 207, 219
et antistites 354
et debilitates 240
et dogmata 332
et eschatologismus 346
et Eucharistia 429 ss.
et fides 332
et hierarchia 354
et miraculum 51
et Petrus 357, 359, 384
et res temporales 276
et scientia infusa 253
exaltatio 277
existentia 245 s.
extaticus 50
fidei 47, 50
filietas 247
Filius Dei 235
fratres 283
fundamentum Eccl. 359
fundator Eccl. 344
historicus 45, 47
impeccantia 254
instrum. coniunctum 258
iudex 508, 514
legifer 276
magister 48, 272 s., 350
mediator 259
«medium» 53
merita 265
meritum 338
Messias 47
modus docendi 273
mors 55, 262, 484
«paranoicus» 50
parusia 512
passibilis 240
passio 61
persona 51

Christus
praeparatio 272
propheta 61, 272
regnum 276
resurrectio 54, 278
rex 275
sacerdos 273
sacrificium 274
sanctus 49
sanctus substant. 256
sapientia 49, 69
scientia acquisita 252
sepulchrum 56
status humil. 276
visio beatifica 252
«visionarius» 50
testis 49
tria munera 259, 353
Christus Deus
critici 236 s.
hagiographi 236
Patres 237
prophetae 234
ratio 238
Christus homo consubstantialis 239
et gratia 257
et omniscientia 252
integre 239
libertas 255
potentia 258
sanctitas 254
scientia 251
vere 238
Chrysostomus 301
Cienfuégos 441, 450
Circulus vitiosus 380
Circumcisio 407, 421
Circumincessio 177
Clerus 353
Coena ultima 430, 432
Cognitio Dei
intuitiva 131
naturalis 127 ss.
negativa 132
per fidem 132 s.
supernaturalis 132
terminativa 132
theologica 133
triplex via 134
Collegium apostolicum 351 360
Colonienses 326
Comma Ioanneum 167
Communicatio idiomatum 142, 250, 443
Communio euch. 448
frequentia 459
genera 458
sub una specie 460
Communio sanctorum 348
Companatio 436
Compendiarii 126
Compositum 140
Conceptio 282, 284, 286
Concilia 94 s., 117
Concilium oecumenicum 383
Conclusio theol. 98, 109 381
Concupiscentia 216, 287
Concursus 189
Confessio
convenientia 471
et peccata 471
genera 470
laicalis 477
necessitas 469
notio 470
secreta 471
Confessores 72, 477
Confirmatio
character 426
effectus 425
et baptismus 423, 426
et mysteria 424
forma 425
gratia 304
institutio 422
materia 424
minister 426
necessitas 427
notio 422
subiectum 427
typi 423
Conformitas Dei 328
Confucius 6
Congregatio de aux. 312
Consecratio
effectus 430, 435 ss.
essentia missae 448
et materia prox. 454
forma 454
Conservatio 188
Consortium Dei 328
Contritio
et caritas 469
genera 467
imperfecta 468
necessitas 467
notio 466
perfecta 467 s.
timor 469
Contritionismus 469
Convenientia 109
Conversio 436
Cor Iesu 249
Corpus 213
damnatorum 511
resurgens 510
resurgens gloriosum 511
spiritale 511
Corpus
mysticum Christi 391
Corpus mysticum
et character 392, 403
et Euch. 455
Creatianismus 209
Creatio 34
actio Dei 186
et creatura 186
factum 184
finis 187, 191
hominis 206
libertas 158, 187
natura 185
notio 184
tempore facta 187
Creatura et miraculum 32
Credibilitas 78
Credulitatis affectus 107, 300
Criteria 25
traditionis 89
Critica 97
Critici
de Ecclesia 346
de hierarchia 357
et dogma 111
et evangelia 42 ss.
et Messias 48
cf. etiam Rationalismus
Cultus 3, 4, 248
angelorum 203
Christi 248
Cordis Jesu 249
Eucharistiae 440
imaginum 390
Mariae 291
reliquiarum 389
sanctorum 388
Cyprianus 410
Cyrillus Alex. 120
de Nestorio 233

Daemones et miraculum 35
Daemoniaci 53
Daemonismus 3
Damascenus 121
Damnati 511
Damnatio aeterna 516 s.
Daniel 67
Decretum pro armenis 488
Defuncti
indulgentiae 480
missa 451
Deismus 189
Delectatio victrix 305, 309, 312
Demonstratio
catholica 78, 372
christiana 78
credibilitatis 29
Descensus ad inf. 277
Desiderium 71
Determinismus 212

Deus
actus purus 140, 154
aeternitas 144
affectus 154
amor creaturarum 157
amor sui ipsius 156
argumenta exist. 128 ss.
artifex 148
aseitas 134 ss.
attributa 134, 141
bonitas 161
bonum 154
cognitio 127 ss.
cognitio suiips. 148
demonstrabilitas 130
essentia 134, 137
et creatura 157
et dolores 157
et egoismus 156, 192
et futura 149
et futuribilia 150
et impossibilia 160
et meritum 339
et mundus 143
et peccatum 157
et possibilia 149, 154, 157
et res exist. 148
fidelitas 163
gloria 191
immensitas 145
immutabilitas 142
incomprehensibilis 139
indefin'bilitas 141
ineffabilitas 139
infinitas 138
in Scriptura 133
intellectus 146, 151
invisibilis 141
iustitia 161
legifer 148
libertas 143, 158
misericordia 161
nomina 11, 133
notio 127
omnipotentia 31, 159
omnipraesentia 145
perfectio 138
personalis 156
potentia 160
pulchritudo 153
sanctitas 156, 160
sapientia 32, 153
scientiae genera 150
simplicitas 140
transcendentia 130
unus 139
veracitas 163
veritas 25, 148, 153
virtutes 161
vita 146
voluntas 154
voluntas antecedens 315
Diabolus 205, 263
Diaconatus 488, 492
Diaconi et paenitentia 477
Diaconissae 493
Diaconus et Euch. 458
Didache 119
de baptismo 414
Dionysia 9
Dionysus 9
Disciplinaria 382
Dispositio 314
Distinctio
formalis 142
virtualis 142
Divinatio 39
Docetismus 233, 239
Doctores eccles. 89
Dogma
apologia 97
christologicum 232, 234
et critica 97
et libertas 97
et mutatio 110
genera 97
notio 96
profectus 110
Dogmatica 114 ss.
Dogmatici 118
Dolores 157, 195
Dona praeternaturalia 216
Dona Spiritus s. 330
Donum perseverantiae 303 s.
Dualismus 7
Durandus 124
de resurr. 511
Dynamismus 428
Dysteleologiae 156

Ebed Jahve 66
Ecclesia
anima 361, 391
apostolicitas 369, 371
cognoscibilitas 370
communio sanct. 348
conservatio 60
corpus 361, 392
corpus mysticum 391
corpus permixtum 343, 363, 367
et Eucharistia 392
et evangelium 347
et matrimonium 498
et peccatores 363
et philosophia 98
et regnum Dei 344
et respublica 348
et sacramenta 405 s.
et sacramentalia 406
et Scriptura 55, 94
et synagoga 345
et temporalia 349
Ecclesia
excommunicatio 363
existentia 344
finis 346
functiones 392
fundamentum 358
genera 347
hierarchia 353
immutabilitas 368 s.
imperium 351
indefectibilitas 368
infallibilitas 378
magisterium 93, 349
membra 362
ministerium 351
miraculum 58
munera 349
necessaria 363
notae 370
notio 343
orientalis 370, 372, 376 s., 378, 387
perennitas 368
pneumatica 354
potestas coercit. 352
potestas iud. 352
potestas legisl. 352
potestas remittendi 462
propositio 93
sanctitas 367, 371
societas 344, 347
societas perfecta 349
thesaurus 348, 479
una 365
unica 363
unitas 370
universalis 366
vera 370
vinculum tripl. 362, 365
visibilis 361
Ecclesia catholica
apostolicitas 372
sanctitas 386
unitas 377
universalis 378
vera 376
Egoismus 13, 155 s., 338
Eleusinia 9
Elias 506, 512
Emanatismus 208
Enantiophaniae 44
En miniature 441
Epiclesis 455
Epideictica 115
Episcopae 493
Episcopatus
et presbyteratus 489, 492
ordo 489
sacramentum 489
Episcopus 356
et apostolus 357
oecumenicus 374

Eschatologismus 62 s., 346
Esse 130, 134 s., 137
  et voluntas 156
Essentia 163, 293, 402 s.
  Dei 137
  et existentia 130, 133, 136
Ethica 22
  christiana 71
Ethici 2
Eucharistia
  accidentia 438
  administratio 457
  cartesiani 437
  Christus vivus 441
  cor Ecclesiae 392
  cultus 440
  effectus 455
  et caritas 456
  et corpus mysticum 456
  et gratia 456
  et libido 457
  et mysteria 433
  et ratio 434, 438, 442
  et resurrectio 456
  et venialia 457
  excellentia 392, 428
  forma 454
  haereses 429
  institutio 430
  materia 453
  minister 457
  mysterium 434, 438, 442
  necessitas 459
  nomina 428
  notio 428
  praesentia real. 429
  promissio 429
  sacramentum 453
  sacrificium 443
  species 437, 439, 440, 442
  subiectum 458
Eudaemonismus 13
Euhemerismus 12
Eunomiani 131
Euphoria 195
Eusebius 120
Eva
  creatio 207
  et Maria 285
Evangelia 42
Evangelistae 43
Evangelium
  conservatio 60
  efficacia 72
  et Ecclesia 347
  et evolutionismus 76
  et futurum 77
  et syncretismus 70
  fructus 73
  perfectio absoluta 75
  propagatio 58
Evangelium
  sanctitas 70
  sapientia 69
  universalitas 345, 366
Evolutionismus 76
  et finalitas 155
Ex cathedra 384
Exceptio fornicationis 503
Excommunicatio 363
Exercitium 10
Extra Eccl. nulla salus 364 s.
Extrema unctio
  dispositio 485
  effectus 483
  et paenitentia 484
  et remissio 484
  forma 483
  institutio 481
  materia 482
  minister 484
  necessitas 485
  subiectum 485
  notio 481

Faciendi quod facit Eccl. 409
Facienti quod est in se 314
Facta dogmatica 98, 381
Fatum 194
Fermentum 453
Festum concept. Mariae 285
Fetishismus 4, 11
Fidedignitas 42
Fideismus 20, 26, 101, 110
Fides
  analysis 102
  certitudo 107
  divina 105
  dogmatica 332
  ecclesiastica 105
  et caritas 334
  et gratia 107
  et gr. sanctif. 329
  et intellectus 106
  et opera 334
  et scientia 105
  et voluntas 106
  fiducialis 332 s.
  intellectus 108
  motivum formale 101
  necessitas 306
  notio 100
  obiectum 104, 333
  obiectum formale 101
  subiectum 106
Filiatio 280
Filietas 248
Filii Dei 325
Filius 168
  hominis 47
Finalitas 154
Finis
  mundi 191, 515
  primarius 192
  secundarius 192
Finnougri 4
Fomes 216, 226
Forma sacr. 394 s., 465
Franciscani 123 s.
Franzelin 113
Frassen 126
Fratres Christi 283
Fraus 45, 54, 57
Frohschammer 186, 209
Fructus
  missae 452
  Spir. s. 330
Fundamentalistae 97, 365
Futuribilia 150

Gallicanismus 349, 353
Galli de peccato orig. 227
Gehenna 516
Gen 1 188, 207
Gen 2 207, 495
Gentes 77
  ahistoricae 3
  et Christus 272
  opera bona 306
  salus 318
Genera litteraria 85
Generatianismus 209
Generatio 173 s., 209
Genuinitas 42
Germani 5
Gibbon 59
Gloria Dei 191
Gnosis 109
Gnostici 2
Graeci 9
  de matrim. 502 s.
  de purgatorio 521
Gratia
  adiuvans 295
  aspirationis 294
  augmentum 336
  capitis 260
  caritatis 305
  Christi 257
  confirmata 304
  cooperans 295
  Creatoris 293
  dispositio 314
  efficax 307
  elevans 296
  et character 403
  et Ecclesia 351
  et experientia 298
  et facultates 294
  et filietas 248, 325
  et lex moralis 302
  et libertas 307, 308, 310
  et meritum 313, 339, 341

Gratia
et oratio 314
et peccatores 316
et sacerdotium 351
et sacramenta 401
et sanctificatio 324
excitans 295
fidei 306
finalis 303
gratis data 293
gratuitas 313
increata 292, 426
infidelium 317
infinita 288, 257
illuminationis 293
Mariae 287
medicinalis 296
mensura 288
momentum 293
necessitas 298
non necess. 305
notio 292
operans 295
organismus 330
per Mariam 290
perseverantiae 303
praeveniens 295
protoparentum 215
ramificatio 330
sacramentalis 401
subsequens 295
sufficiens 309
systemata 310
universalitas 315
versatilis 310
Gratia actualis
essentia 293, 296
et iustificati 302
et opus honestum 306
et venialia 304
morphologice 293
ontologice 296
Gratia habitualis
amissibilitas 336
comitatus 328
effectus formales 323, 325
essentia 322
et caritas 327, 329 s.
et fides 329, 331
et peccatum 323, 328
et Spiritus s. 326
et Trinitas 328, 330
et virtutes 328
habitus 327
incertitudo 334
inaequalitas 335
mensura 336
metaphysice 326
praeparatio 331
signa 335
Gubernatio mundi 191
Guilelmi 123
Günther 17, 111, 126, 187, 245
Γυμναστικῶς 169

Habitus 327
pravi 522
Haeresis 99
Haeretici 99, 363
Hagiographus 81 s.
Hallucinatio 33, 55, 57
Harnack 45 s., 58
de Ecclesia 346
de Trinitate 181
Hartmann 193
Hebdomades 67
Hegel 130, 148
Hellenismus 9
Henoch 506
Henotheismus 5
Hereditas psychica 209
Hermes 17, 101, 126, 187
Heteronomia 71
Heterosoteria 268 ss.
Heterosuggestio 33
Heuristica 115
Hexaemeron 188
Hierarchiae angelorum 200
caput 357
dispositio 355
et charismatici 354
factum 353
nomina 356
Hiereus 355
Hierosolyma 61 s.
Hinduismus 7
Hippolytus 120, 170
Hoc est 431 s.
Homo
elevatio 215
imago Dei 210
immortalitas 212
libertas 211
una substantia 213
Hume de miraculo 33
Hungari 4
Hylemorphismus 215, 428, 442
Hyperdulia 291
Hypnopsychitae 508
Hypostasis 164
Christi 245

Iac 5 481, 483
Iansenismus 305, 308
de peccato orig. 227
et communio 458
Iaponici 4
Iconoclastae 390
Idea 147
creatrix 186
Ieremias 67
Ignatius 488 s.
Ignis inferni 519
Ignorantia 11
Illuminati 26
Illuminatio 81, 294
Imagines 390
Imago Dei 210
Immaculata conceptio 284
Immanentismus 26, 28
Immensitas 145
Immortalitas 212, 217
Immunitas 287
a concup. 216, 254
Immutabilitas 142
et oratio 194
Impeccabilitas 254
Imperium 351 s.
Incarnatio 232
active 247
convenientia 270
et empirismus 244
et ratio 243
et rationalismus 244
et religiones 244
et Trinitas 247, 271
haereses 232
motivum 271
mysterium 243
passive 247
Incendium mundi 516
Incomprehensibilitas 139
Indefectibilitas 368
Indi 6
Indulgentiae
conditiones 480
effectus 480
et peccata 478, 480
evolutio 479
existentia 478
genera 478
notio 478
plenae 478
potestas 480
pro defunctis 480
Induratio 317
Inerrantia Scripturae 84
Infallibilitas
et episcopi 383
et fides 380
et ratio 380, 385
et veritas 380
et V. T. 380
factum 379
notio 378
obiectum 380
Pontificis r. 384
subiectum 382
Infantes
et baptismus 72, 420
et Eucharistia 458, 460
et sacramenta 398, 409, 419, 427, 458, 493, 499

Infantes
sine bapt. morientes 419
Infernus
et ratio 517 s.
existentia 516
genera 277
ignis 519
locus 520
notio 516
paenae 518
theodicea 517
Infideles 317
Infinitas 138, 280, 452
Infralapsarii 315
Inhabitatio 280, 325
Initium 301
fidei 300
Innocentius I. 482
Insolubilitas matrimonii 502
Inspiratio
analysis 81
criterium 79
effectus 83
essentia 80
extensio 82
factum 79
natura 80
negativa 81
privata 26, 350
subsequens 80
verbalis 82
Integritas 42, 216
Intellectus 147, 211
et fides 106, 109
obiectum 19
Intellectus Dei
existentia 146
genera 150
media 151
obiecta 148
perfectio 146, 151
Intellectus fidei 108
Intentio 409
missae 452
Intercessio 452
Interpolatio 359
Interpretatio patrum 92
Ioachim a Flore 165
Jn 6 429
Ioannes a s. Thoma 125
Ioannes ev. 43 s.
Iob de resurr. 509
Ioel 67
Iosaphat 515
Ioseph 282
Iosephinismus 126, 495
Iosephus Flavius 44
Irenaeus de primatu 373
de redemptione 263
Isaias 66 s.
Isaias 7 281
Isis 5, 10
Israel conversio 512
Israelitae 74, 76
Iudaei 61, 65, 74
Iudicium
credibilitalis 103, 106
modus 508, 515
particulare 508
universale 514
Jurieux 97
Iuris-facti 10
Iustificati et gr. 302, 316
Iustificatio
causae 322
dispositio 331, 334
et fides 331
et gratia 322 ss.
et V. T. 407
incertitudo 334
notio 322
praeparatio 331
Iustinus 170
Iustitia 161
et misericordia 162
legalis 407
originalis 218 s.

Kant 2, 26, 45, 209

Latria 137
Leges naturae 36
physicae 34
Leontius Byz. 121
Lerinensis canon 90
de profectu dogm. 111, 113
Lessius 125
de Eucharistia 437, 440, 450
de missa 450
Lex 147
Lexica theol. 118
Lex moralis 302
Liberalismus 349
Liberius 386
Libertas 97, 190, 211, 256
christiana 212, 276, 337
Dei 158
et cogn. futur. 149
et vaticinium 38
Liber vitae 319
Libido 229
Loca transcendentia 520
Logos 181
Lombardus 123
de gr. sanctif. 326
Lotio pedum 396
Lugo de fide 103
de missa 449
Lumen
gloriae 525
propheticum 37
Lutherismus 59

Macaulay 60
Macedoniani 164
Magia 4, 205, 398
Magisterium 273, 352
Ecclesia 349
obiectum 95
ordinarium 383
subiectum 94
Malach Iahve 166
Malachias 68
Mal 1 443
Malum 157
et providentia 195
Mandaeismus 7
Mandatum magnum 70
Manicheismus 7
et gratia 298
Manismus 3, 12
Marduk 8
Maria
assumptio 289
charismata 288
cultus 291
dignitas 280
et concupiscentia 287
et Eva 285
et peccat. orig. 284
et redemptio 290
et Trinitas 280
et venialia 287, 304
festum concept. 285
glorificatio 289
gratia plena 287
immaculata 284
immunitas 287
mater Dei 279
matrimonium 282 s.
mediatrix 290
mors 288
partus 282
virginitas 280
virtutes 288
votum 283
Martyres 72
Martyrium 418
Materia Sacr. 394 s.
Maternitas 280
Matrimonium
bona 494
consummatum 504
contrahentes 497
effectus 501
essentia 496
et benedictio eccl. 497
et Ecclesia 497
et ratio 496
et virginitas 499
et vota rel. 504
fidelis et infid. 499
finis 494
forma 498
fundamentum 496

Matrimonium
honestas 494
impedimenta 498
infidelium 498
insolubilitas 502
institutio 495
in V. T. 495
materia 498
minister 497
necessitas 499
non consummatum 505
notio 494
pactio matr. 496
quasi-character 501
ratum 495
sacramentum 495 s.
solubilitas 504
subiectum 499
unitas 501
vinculum 501
Mt 16 358 s.
Mt 28 167, 350, 413
Mediatio
Christi 259
Mariae 290
Mediator 259
Medium scientiae div. 151
Mechanismus
et Deus 136
et finalitas 155
Melchisedech 444
Membra Ecclesiae 362
Mercennarii 338
Meritum
Christi 265
conditiones 339, 507
de condigno 340
de congruo 342
et caritas 340
et gratia 313, 341
et vita aeterna 341
factum 337
notio 337
obiecta 340
reviviscentia 341
Messianismus 47
Messias 47, 64, 66, 166
Metempsychosis 6, 507
Micheas 67
Millenarismus 513
Minister sacram. 408, 411
Ministerium 351
Mirabile 31
Miraculum
cognoscibilitas 33
et daemones 35 s.
et natura 32
in Ecclesia 60
notio 30
possibilitas 31
«Misericordes» 516 s.
Misericordia 161
Missa
de sanctis 450
effectus 450
efficacia 452
essentia 447
et sacrificium crucis 447
fructus 452
in eccl. prisca 445
nomen 443
offerentes 448, 451
pro defunctis 451
propitiatoria 451
recipientes 452
sacrificium 443
theoriae 449
Missio trinitaria
existentia 179
finis 180
genera 179
notio 179
natura 179
Missionarii hiberni 478
Missiones 345
Mithraismus 59
Mithras 6, 10
Modalismus 164
Modernismus
de revelatione 17
de sacramentis 395, 397
et dogma 96, 111
et Eucharistia 432
cf. etiam Critici et Rationalismus
Mohammedanismus 8, 59
Möhler 126, 113
Molina 125
Molinismus 125
de concursu 190
de eff. sacram. 399
de gr. actuali 296
de gr. et libert. 311
de praedest. 321
de scientia div. 152
et thomismus 153
Moloch 8, 270
Monarchianismus 164
Mongoli 4
Monismus
et Deus 136
et miraculum 32
Monophysitismus 233
Monotheismus 5, 76, 140
Monotheletismus 233, 243
Morinus 125
Mors 288
causa 506 s.
christiana 484
finis merendi 507
genera 506
universalis 506
Mortui 3, 5, 6, 12
Motiva credibilitatis 25
Motivum 340
fidei 101
Movens immobile 136, 143
Multilocatio 442
Mundus
aeternitas 188
bonitas 193
finis 515
renovatio 516
Munera Ecclesiae 349, 352
Mutatio 135
Mysteria 9, 69
Mysterium 17, 19
et ratio 108
Mystici 125
Mythus 3, 45, 55, 58

Natura 15, 32, 35, 164
pura 219
vulnerata 229 s.
Naturalismus 45, 55
Necessitas 21, 427
Ecclesiae 364
gratiae 298
moralis 21, 302
sacramentalium 407
sacramentorum 401
Nestorianismus 233
Newman 126
Nicolaus I. 415
Nigritae 4
Nihil 185
Nirvana 6
Nomina Dei 133
Nominalismus 122, 124
de attrib. div. 142
Nomismus 147
Notae eccl. 98 s.
Notionalis actus 173 s.
Novatores cf. Protestantismus
Novum Testamentum 75
sacramenta 407
Numerus
praedestinatorum 319
ternus 182
Nyssenus 120

Obex 398, 412
Oblatio sui 446
Obstinatio finalis 518
Occam 124
Occultismus 35, 39, 53
Odo Cameracens. 228
Oecumenici 377
Oleum 425, 482
Omnipotentia 31, 159
Omnipraesentia 145
Ontologismus 131
Opera: genera 341
Optimismus 187

Opus
operantis 398, 407, 413, 419, 452
operatum 397, 406 s., 419, 473
Oracula 39
Oratio 313, 314
et immutabilitas 143, 194
Ordinatio 486
liceitas 492
per saltus 493
valida 492
Ordines 486
et Eucharistia 490
hierarchici 486, 488
maiores 488
minores 487
religiosi 382
septem 489
Ordo
character 491
effectus 491
et mulieres 493
forma 491
institutio 486
materia 490
minister 492
notio 486
presbyteri 492
sacramentum 487
subiectum 493
supernaturalis 16
susceptio licita 493
susceptio valida 493
Oriens 59
Origenes 119
de anima 208
de inferno 517
de paenitentia 463, 470
de redemptione 263
de Trinitate 170
Orphica 9
Osiris 5, 10
Οὐσία 164

Paedobaptismus 398, 420
Paena
aeterna 518 s.
damni 518
medicinalis 162, 270
sensus 519
temporalis 472
Paenitentia
actus 466
confessio 469
confessores 477
contritio 466
diaconi 477
effectus 473
essentia 464
et extrema unctio 484
Paenitentia
forma 465
in prisca eccl. 463, 474, 477
institutio 461
materia 465
minister 476
necessitas 475
notio 461
partes 465 s.
pneumatici 463, 477
privata 478
profectus dogm. 477
publica 463, 478
remissio omnium pecc. 474
satisfactio 472
subiectum 475
veritas fundam. 464
Pagani 23
Palamitae 141
Palaestinenses 120
Panis 453
Pantheismus 130, 136, 141
et mysteria 19
et revelatio 23
Papa cf. Pontifex
Paradisus 216 s.
et sacramenta 408
Paradoxum 71
Parapsychica 40
Parapsychologia 31
Parsismus 7, 197
Particularismus 75
Parusia 62 s., 512
factum 512
signa 512
tempus 513
Paschalis fides 55 s.
Paschasius Radbertus 429
Pater 168
Pathetici 2, 13
Patres 89, 91, 117, 118 ss.
apostolici 119
de Eucharistia 433
de primatu 373
de redemptione 263
Patrini 420
Patripassiani 164
Paulinae 44
Paulus
de Eucharistia 431
de iustificatione 324
de matrimonio 495
de peccato orig. 224
de resurr. 509, 511
de sacrificio euch. 444
Paulus Samosat. 164
Pázmány 125
Peccata
capitalia 474
gravia 476
Peccatores
et gratia 316
obstinati 317
Peccatum
ad mortem 475
angelorum 204
et concursus 191
et gratia 336
et gr. sanctificans 323, 328
et infernus 518 ss.
et providentia 195
notio 226
protoparentum 221
remissio 462, 484
reviviscentia 473
veniale 304, 337, 471
Peccatum originale
essentia 225
et baptismus 416 s., 421
et creatianismus 229
et eschatologia 230
et iustitia 231
et Maria V. 284
et matrimonium 229
et misericordia 231
et Patres 224
factum 223
propagatio 228
sequelae 229
theodicea 230
voluntarium 227
Peccatum originans 222
Pelagianismus 223, 298, 307
Per concomitantiam 439
Perichoresis 177, 251
Per modum suffragii 480
Persae 7
Perseverantia 303
Persona
Dei 176
et natura 244
Pessimismus 193
Petavius 125
Petrus
caput Eccl. 357
epp. Romae 372
et apostoli 358, 360
et Christus 358
et Ecclesia apost. 360
et Paulus 360, 374
fides 358 s.
negatio trina 360
pastor 360
successores 372, 361
Phantasia 12
Philo 181
Philosophia 381
et revelatio 22
et theologia 118
perennis 110
Platonici 131

Plenitudo temporis 59, 77, 271
Plinius 45
Pneumatici 477
Pneumatomachi 165
Polemistae 88, 119, 125
Polyandria 502
Polygamia 502
Polygynia 502
Polytheismus 3
Pontifex r. 357 ss., 361
caput iuridicum 375
errores 386
et apostolicitas 376
et Chalced. 374
et concilium 383
et confirmatio 427
et corpus mysticum 391
et Eccl. prisca 374
et episcopi 376
et Florent. 375
et primatus 374
et Roma 376
et unitas Eccl. 377
infallibilitas 384
iurisdictio 376
successor Petri 372
Possibilitas
miraculi 31
revelationis 18
Posttridentini 124
Potentia
Dei 18—20, 31, 160
obedientialis 16, 24
Praeadamitae 208
Praeambula fidei 102, 106
Praedestinatio
ante merita 321
factum 318
immutabilitas 319
incertitudo 319
motivum 320
mysterium 322
notio 315, 318
numerus 319
signa 320
Praedeterminatio 152, 190
Praedicatio paschalis 56 s.
Praeexistentianismus 208
Praeredemptio 284, 286
Praesentia 145
Praesentia eucharistica
causa 435
Christi accidentia 441
Christus totus 428
definitiva 441
factum 429
modus 438
mysterium 441
species 441 s.
totalitas 438
Praestigium 30, 31, 35
Pragmatismus et dogma 96
Presbyteratus 488
Presbyteri 356, 484
Primatus 357 ss., 361, 372
et infallibilitas 385
natura 375
profectus dogm. 374
Privatio 226
Privilegium Paulinum 504
Probatio 202, 221
Processio Spiritus s. 172
Processiones trinitariae
et ratio 173
existentia 171
natura 173
Profectus dogmaticus 110
causae 112
existentia 111
forma 113
natura 112
phases 112
Professiones fidei 95
Progressus 97
Propagatio 58
Propheta 37
Prophetia Christi 61
de Christo 63 ss.
notio 37
Prophetismus 74
Propositio Ecclesiae 93, 117
extensio 96
Prosper 295
Protestantismus
criterium revel. 26, 27
de Christo 233
de Ecclesia 343, 353, 362
de iustificatione 322, 324, 332 s., 336
de merito 338 s.
de primatu Petri 358 s.
de redempt. 260
de sacramentis 395, 397
de Trinitate 165
et Eucharistia 429, 432
et infernus 516
et redemptio 269
et vera Eccl. 372, 377, 378, 387 s.
extensio 370
notae Eccl. 372
Protoevangelium 289, 284
Protoparentes
conversio 223
creatio 206
et gratia 215
et praehistoria 218
integritas 216
lapsus 220
scientia 217
sequelae peccati 222
unicitas 208
Providentia 194
et angeli 202 s.
«Providentissimus» 80
Psalmi 68
Ps. Dionysius 121, 200
Purgatorium
et ratio 522
existentia 521
ignis 522
intercessio 523
locus 523
notio 521
obiectum 522
paenae 522
tempus 523
Pygmaei 3
Πρόσωπον 164

Qualitas mortua 297
Quantitas dimensiva 442
Quasi-character 483
Quasi-materia 465

Ramificatio gratiae 330
Rationalismus 110
biblicus 45
de conceptu virg. 282
de Ecclesia 344 s.
de fine supern. 300
de merito 338
de redemptione 260
de revelatione 17, 20
dogma eius 46
et criteria 26
et infallibitas 379
et infernus 517 s.
et miraculum 33, 35
et prophetia 38, 64
et redemptio 269
et resurrectio Ch. 54
et V. T. 75
theologicus 109
Rautenstrauch 114
Raymundus Sab. 124
Realismus 228
Realistae
de attrib. div. 141
Rebaptisatio 410
Redemptio
convenientia 270
et ascensio 278
et descensus 277
et Maria 290
et religiones 268
et resurrectio 278
extensio 265
factum 261
gratuitas 268
haereses 260
intensio 266
libertas 268
momenta 259

Redemptio
mysterium 267
notio 258
obiectum 265
possibilitas 269
theoriae 263
universalitas 266
V. T. 261
Regnum messianum 64, 65
Regressus in infin. 135
Regula fidei 93
Reimarus 45, 54
Relatio 175
subsistens 176
Relationes trinitariae
natura 175
notio 175
possibilitas 176
Religio 1
definitio 1
degeneratio 11—13
elementa 1
et evolutionismus 76
et sacrificium 446 s.
futura sors 14
genera historica 3
intensitas 14
materialiter 2
metaphysice 1
naturalis 21
necessitas 26
origo 10
perpetuitas 14
prisca 76
psychologice 2
una vera 10
universalitas 14
vera 41
veritas 10
Religioni-historici 46
Reliquiae 389
Remissio peccatorum 462, 473
actus iud. 464
potestas Eccl. 474
Renan 45
Renovatio
hominis 324
mundi 516
Reordinationes 491
Replicatio 437
Reprobatio
factum 319
negativa 321 s.
notio 318
positiva 320
Res et sacramentum 395, 454, 468, 483
Respublica 349
Resurrectio 54
et ratio 510
factum 509
Resurrectio
identitas corp. 510
notio 509
proprietates 510
secunda 514
Resurrectio Christi 54, 278
Revelatio
absoluta 21, 24
conservatio 78
convenientia 23
criteria 25
efficacitas 23
et evolutio 18
formalis 21, 23
genera 16
mediata 19
modi 88
mysteriorum 19
necessitas 21
notio 16
possibilitas 18
prisca 42
privata 98
theoria 15
V. T. 74
Revelatum
formaliter 380
implicite 96
virtualiter 104
Reviviscentia 341, 399, 417, 473
Rex 275
Romani 9
Romanus Pontifex cf. Pontifex r.
Roscellinus 165
Ruiz 125

Sabellianismus 164
Sacerdos 447
Sacerdos in aetern. 274
Sacerdotium
liturgicum 355
universale 355
Sacramentalia 406
Sacramentum
administratio 408
auctor 404
character 402
definitio 393, 395
effectus 400
efficacitas 397
et fides 410
et gratia 400 s.
et mysteria 405
et Patres 396
et sanctitas 410
evolutio 395
existentia 395
forma 394, 398, 483
infantes 398, 409, 427, 485
Sacramentum
initerabilitas 402
institutio 404
intentio 409
materia 394, 405
minister 408
mortuorum 401
naturae 408
necessitas 401
notio 393
numerus 395
reviviscentia 399
significatio 395
signum 394, 404
subiectum 411
susceptio 411
theoriae 399
validum 408
V. T.-i 407
vivorum 401
Sacrificium 2
Christi 274
essentia 447
et religio 446 s.
eucharisticum 442 ss.
finis 446
minister 447
notio 446
obiectum 446
Sacrificium crucis 259, 274
et missa 447
Sacrificium euch.
essentia 446
Patres 445
Salmanticenses 104, 125
Salus 314 ss.
Salutatio angelica 285
Samsara 6, 507
Sancti
cultus 388
et missa 451
imagines 390
invocatio 389
momentum 387
ratio 388
reliquiae 389
Sanctificatio 324
Sanctitas 29, 160, 367
Ecclesiae 386
substantialis 256
Sapientia 29
Satanas 204 s.
Satisfactio
genera 266, 472
notio 259, 472
sacramentalis 473
secundum rigorem iust. 267
theoria 264
vicaria 259, 264, 269, 270
Scheeben 103, 126
Schismatici 363

Schleiermacher 2, 13
Scholastica 122 ss.
Scholastici 122 ss.
Scientia
acquisita 252
Dei 148
et fides 105
fidei 108, 109, 110
infusa 253
media 150, 152
Scotismus 122, 124
de angelis 198 s.
de anima 213
de beatitudine caelesti 526
de effic. sacram. 400
de gr. sanctif. 327
de materia paen. 466
de motivo incarn. 271
de transsubst. 437
Scotus 124
de attrib. div. 142
de Chr. filio 248
de unione hypost. 246
Scriptura s. 78 ss.
et traditio 92
genera litteraria 85
idea Dei 133
inerrantia 84
interpretatio 117
litter. histor. 86
sensus multiplex 85
sufficientia 92
veracitas 84
Sectarianismus 99
Semipelagianismus 300
Semirationalismus 17 162
Semitae 7
Sensus
litteralis 85
Numinis 13
typicus 85
Sententiarii 123
Separatio a thoro 504
Septem sacr. 395
Sepulchrum 56
Sermo
eschatologicus 63
eucharisticus 429
Shilo 66
Shintoismus 4
Simplicitas 140
Signa parusiae 512
Signum 393
Sinenses 5
Slavi 5
Socialismus 13 s.
Societas 343, 354
christianae 370
perfecta 348 s.
Socinianismus 165, 232
Solvere et ligare 358
Soteriologia v. Redemptio
Söderblom 181
Species euch. 437, 439, 440
et Christus 442
Specificatio 10
Speculativa scientia 108
Sphragis 402
Spinoza 31 s.
Spiratio 173
Spiritualitas 211
Spiritus
et corpus 198
et ignis inferni 520
Spiritus s. 168, 171
dona 330
et confirmatio 425
fructus 330
magister 350
peccata in Sp. 474
Stapleton 125
Status
naturae purae 219, 408
possibiles 219
priscus 218
viatorum 339, 507
Stipendium 452
Strausz 45, 55, 57
Suarez 125
de adoratione Chr. 249
de Chr. filio 248
de fide 103
de missa 449
de unione hypost. 246
Subdiaconatus 488
Subordinatianismus 164
Subsistentia 177
Substantia 164
et accidens 438
Successio apostolica 369
Suetonius 45
Suffragium 480
Suggestio 53
Superbia 204, 222
Supernaturale 15
Supernaturalitas 218
Supralapsarii 315
Sustentatio 188
Symbola 12, 95, 117
Symbolum 393
Synagoga 345
Syncretismus 9
et gratia 312
Synoptici 43
Syrus Sinaiticus 281
Systema 109, 115

Tabernaculum Dei 270, 347
Tabu 4
Tacitus 44
Talmud 44
Tao 5
Teleologismus 154
Templum Dei 325
Templum hieros. 44, 61 s.
Tempus 144
Ternaria 181 s.
Tertullianus 119
de Eucharistia 433 s.
de paenitentia 463, 471
de sacramentis 398
Testamentum Spiritus s. 77
Thaumatophilia 34, 52
Thaumaturgus 31
Theandricae actiones 250
Themistiani 251
Theologia 91
dogmatica 114
fundamentalis 114, 116
genera 114
historia 118, 125
instrumenta 117
methodus 115
notio 113
patrum 118 ss.
Theophaniae 166
Theosophismus 20, 111
Thesaurus Ecclesiae 348, 479
Thnetopsychitae 508
Thomas Aqu. 123
auctoritas 91
de aeternitate mundi 188
de cognitione angel. 199
de convenientia sacr. 397
de gratia protopar. 216
de immacul 286
de pot. obed. 24
de sacrificio 446
de unione hypost. 245
quinque viae 128
Thomismus 122, 124, 125
de beatitudine 526
de concursu 190
de effic. sacr. 399
de gr. actuali 297
de gr. et libert. 310
de immacul. concept. 286
de motivo incarn. 271
de scientia div. 152
de transsubst. 437
et molinismus 153
Timor 12, 469
Tiro theol. 110, 118
Tonsura 486
Topographia inferni 520
Tormenta 193, 195
Traditio
criteria 89
documentaria 89, 117
et Scriptura 92
existentia 87
fontes 89 s.
monumentalis 89, 117

Traditio
notio 87
viva 89
Traditionalismus 26, 28, 129
Traducianismus 209
Transformismus 207
Transitus Mariae 288 s.
Transsubstantiatio
consecutiones 438
et Scriptura 435 s.
factum 435
modus 436
natura 436
nomen 435 s.
Trichotomismus 214
Tridentinum
de causis iustif. 322
de dispositione iustif. 334
Triduum 55, 242
Trinitas
analogiae 182
appropriationes 178
et Ecclesia 366
et graeci 177
et gr. sanctif. 328
et incarnatio 247
et philosophia 183
et ratio 180
et religio 183
et religiones 181
et theologia 183
et traditio 169
et V. T. 166, 167
existentia 166
Filius 168
haereses 164
in Euch. 439
inhabitatio 325
missiones 179
momentum 183
mysterium 180
notiones 177
opera ad extra 178
Pater 168
perichoresis 177
processiones 171
Trinitas
proprietates 177
relationes 175
sensus 163
Spiritus s. 168
termini 164, 182
Triplex via 134
Tritheismus 165
Tubingenses 45
Tu es Petrus 358 s.
Typi 85
religiosi 2
Θεοπρεπῶς 207
Θεότοκος 278 s.

Unanimitas 90 s.
Unctio 424, 482
Unio hypostatica
causa 245
duratio 241
et Eucharistia 439
factum 240
sequelae 243, 247
Unitas 139
Ecclesiae 363, 365, 370
377
Universalitas 366 s.
Ecclesiae 378
Universalismus 345
Usener 181
Utilismus 13, 155

Vasques 449
Vaticinia messiana 65, 66 ss.
Vaticinium
cognoscibilitas 38
notio 37
possibilitas 38
Vedanta 6
Vedismus 6
Veracitas 43
Veritas 18, 19, 148
historica 33, 38, 52, 62
65
philosophica 34, 39, 53,
62, 65
Veritas
theologica 36, 40, 53, 65
Veritates cath. 97
Versio 83
Vetus Testamentum 74 ss.
Viator 408
Victorini 123
Viennense 215
Vigilius 386
Vinculum triplex 362, 365,
377
Vinum 453 s.
Virginitas 500
Virgo 281
Virtus
et gratia 329
infusa 329
notio 328
Visibilitas Ecclesiae 361
Visio beatifica 131, 252, 524
immutabilis 526
Visionarii 55, 57
Vita 146
Voluntarium 227
Voluntas 211
antecedens 315
consequens 315
creata 190 s.
signi 158
Voluntas Dei
existentia 154
genera 158
libertas 158
obiecta 156
perfectio 154
perfectiones 158
Votum sacramenti 401, 418
Vulgata 86
Vulneratio naturae 229 s.

Wirceburgenses 126

Yoga 6

Zacharias 68, 386
Zwingli de Euch. 432

OR. SZ. SZÉCHÉNYI KÖNYVTÁR

M
45.783

SCHÜTZ

Dogmaticae